







PHILIPPI COMINÆI. BARONIS ARGENTONII, ET EQVITIS.

COMMEMORATIONVM RERVM GESTARVM DICTARVMQVE. LVDOVICI VNDECIMI ET CAROLI OCTAVI, REGVM FRANCIÆ, LIBRI OCTO.

CASPAR BARTHIVS
Exemplar Gallicum bonâ fide, nihil omittens, nihil trajiciens, ordine placitoq; auctoris LATINITATI *transscripsit.*

FRANCOFVRDI
Sumptibus Clementis Schleichij, et Vidua Danielis Aubrij.
ANNO cIↄ Iↄ CXXIX.



I.

CAROLUS BURGUNDUS.

Magnanimus acri candor à versutia
Superatus, obicit Ludouico Carolum.
Quo plus superbus iste, plus alter vafer,
Sic in perenni lite pugnarunt sibi.

2.

LUDOVICUS XI. REX GALLIÆ.

Suspicione plenus, extra Franciam
Sata, rediuit timidus, & nulli bonus.
In vltionem semper ardidus, sua
Ludouicus in se mente diffidens furit.

3.

PHILIPPUS COMINÆUS, EQUES, BARO ARGENTONIUS.

Lex veritatis, criminisque expers Eques,
Pictorque Regum Principumque nobilis,
Quo sæpius legere, cupiere amplius,
Sic neminem non vincis Eloquentia.

LECTO-




LECTORI.

PHILIPPI COMINAEI, vtilissimi, experientia ipsa nati, Prudentia educati, vsuique publico adulti, scriptoris, nouam Interpretationem, Amice Lector, Tempora mihi ista suaserunt primum. Deinde & auctoris tanti series ab interpretibus turbata. Hi ingeniosi in alieno opere plus satis esse voluerunt, Titulo eximentes Dicta Heroum, Librorum ordinem immutantes, traiicientes, omittentes, pro lubitu, vt visa abundare aut hiare quælibet: Igitur exemtus alieno arbitrio, suo restitutus, vt ipse voluit, vt ipse se reliquit, Latium nostro munere tamdem habeat, nec sit vt cogatur deinceps secundum alienos Commentarios sapere. Quem titulum si Iulius Cæsar recte suis libris dedit, indicare volens materiam potius scripturis datam, quam absolutam Historiam elaboratam esse, non ideo Cominæum nos eidem adstringemus, qui suorum Principum res commemorare, promisit titulo, & opere impleuit, vt vix vmquam quisquam tale aliquid potuerit melius. Scripsit enim quæ vidit, quibus interfuit, quorum partem ipse administrauit, functus Legati, Ducis, militis, Consiliariique, officiis, minime vulgari vel industria vel ingenio, nō vt alii nudum laborem offendentes, aducerent ornamenta eloquentiæ, (quo nomine Regia quadam modestia sui seculi ambi-

tioni Cæsar illusit,) sed vt ita legeretur à Posteritate, vt ipsi optime profuturam Historiam vir tantæ prudentiæ existimasset. Tempora nostra si respicias, quid nunc tot annos habent nisi bella? Quid bella præter vim robore grassantem, & arma ipsa nouis armantem munimentis, prudentiam? Vtriusque huius ecquod speculum clarius comparare poßis, quam compositas, accurateque lectas horum Principum vitas, perpensa consilia, libratos euentus, vt instruatur animus à gestorum momentis ad gerendorum pondera? Et his itaque vt pro copia prodessemus, tralatione hac noua laborauimus; cui & voluntati optimæ, & non inutili fortasse successui, si, LECTOR AMICE, fauebis; ad ampliora alia talia nobis animum addes. Malignitatis & Inuidentiæ dentem, quem in nos stringi rumor fert, vel contemnemus, si videbitur, vel illudemus nouis contra semper beneficiis posteram ætatem nobis obligantes: Vt enim respondendo serram ducamus, nonne horas bonas melius collocare poßimus, & tu cupias? VALE.

PHI-



PHILIPPI COMINAEI

COMMEMORATIONVM RERVM GESTARUM DICTARUMQUE DE REBVS GESTIS LVDOVICI XI. ET CAROLI VIII. *Galliæ Regum*,

LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.



VT precibus tuis, qua liceret, obsecundarem, Viennensium honoratissime Antistes, iniungentis mihi Commentaria tibi conficere rerum gestarum Ludouici Vndecimi Francorum Regis, quantum earum ad notitiam meam peruenisset, & nunc repetenti memoria suggereret; rem aggressus veritatisq; stricte inhærens vestigiis, Principis, de vtroque nostrum præclare meriti, æternisque posterorum commemorationibus dignissimi, Historiam conscribere conatus sum. Et quod primæuam quidem eius ætatem attinet, non potero vel alia, vel plura, tradere, quam ex eo narrante audita percepi; quæ vero postinde gesserit ex quo officiis eius ego admotus sum, ad finem vsque vitæ, cui præsens adfui, non video quis fere possit ea litteris mandare diligentius me, qui frequentius familiariusque quouis alio ei conuersatus sum, paris quidem apud eum muneris; Nam vel ex Cameræ, vti vocant, eius officiosis sem-

per fui, vel aliis non minimi momenti negotiis adhibitus atque occupatus. Sic non minus quam aliorum Principum, quorum in contuberniis ætatem insumsi, eius vitiorum & virtutum mihi licuit arbitro esse: cum nemo mortalitatis communi sit exemtus sorti, qui quidem homo natus sit, itaque nec iste, solo Deo perfectionis titulis mactando: Verum cum in viro aliquo Principe Virtutes vitiis antepollere deprehenduntur, maxima eum ego commendatione dignum existimare soleo, cum vniuersum hoc genus ad libitum viuendi suum magis cæteris mortalibus propendeat, tam ratione educationis, & laxæ prorsus in adolescenti ætate disciplinæ, quam quod, vbi maturuerint, pleriq; omnes Procerum studia sua ad placitum eorum dirigunt, seque obsecundare moribus Dominorum, qua possunt, contendunt. Itaque, cum mendacii omnem speciem procul habeam, poterit fieri vt progressu horum Commentariorum aliqua lectori obuentura sint, parum omnino laudando tanto Regi facientia; quæ, spero, eorum consideratione, quæ modo dicta sunt, facile æquos lectores inuentura. Et hoc tamen audacter prorsus pronunciare velim, memoriæ eius celebrandæ, & virtutibus præconio digno non destituendis, non nouisse me alium principem, vbi totum eum contemplari volueris, minus vitiis obnoxium; Neque putes alium meo tempore vniuersas Gallias habuisse, qui plurium insignium mores explorauerit, me ipso: Tam quidem eorum qui huius regni clauo præfuerunt, quam qui Britanniæ, Belgii, Germaniæ, Angliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Italiæque res moderati sunt, iique tam Ecclesiastici Principes, quam quosSeculares vulgo vocant. Aliquos horum etsi coram non viderim, non minus tamen indolem, perspicere potui, conuersatus Legatis eorum, consiliis litterisque expendendis præsens adhibitus, vnde neque naturales

rales eorum, neque Prudentiæ vſu acquiſitæ dotes latere me potuerunt. Quod iudicium de Rege noſtro, laudemque meritam, illi hoc loco adſcriptam, in nullius alterius gloriæ æſtimationiſque attrimentum proferre volui, hoc ſolum ſtudens, vt quæ promte & ex re ipſa rerum geſtarum eius memoria mihi ſubiecerit, ea codicillis excepta, tibi mittam, perſuaſus ea non alia abs te cauſſa flagitari, quam vt Operi Latina lingua concepto, cuius egregio cultu celebraris, inſerantur. Et eius quidem Operis amplitudine atque præſtantia declarari poterunt non minus tanti Principis Virtus, quam eruditio & ſapientia tua, quibus vbi ego materiem velut rudem præbendo, non ſuffecero, præſto vobis aderit Baro Bucagius, aliique, qui comtiori ſermone melius omnia proponent; ita tamen vt ſummæ familiaritatis cum Rege, beneficiorum & honorum infinita, &, vſque exceſſum eius, continua, ab eodem perceptione, mihi & modo nominato viro longe omnes cæteri ceſſerint, vtrumque enim incomparabili rerum eius memoriæ alligant, ab eo viuo præſtiti, vt dictum, honores: damna vero & cordolia innumera ab obitu illata, me præcipue & ſigillatim. Quod quidem genus infortuniorum non mediocriter potens eſt reducere mihi in animum beneficiorum tanti Regis recordationem; quamlibet vſu rerum non infrequens ſit, ab exceſſu magnorum præpotentiumque principum, vt mutationes contingere ſolent maximæ, ita hos aduerſitates, illos ſequi proſpera, cum nequaquam ſecundum cupiditatem vouentium bona honorumq; copiæ mortalibus contingant. Nunc vt de tempore certi quid tibi conſtet, quo cognitum mihi Regem, de quo ſermo eſt, initio dixi, res meæ repetendæ erunt altius, vt ſumma earum iucunda altius etiam quam ex quo in miniſterium eius promotus ſim: Hinc ducto ordine perſequar propoſitam narrationem

primum vſque aduentum in Aulam eius, meum, dein ſermonis filum ad mortem eiuſdem vſque continuauero.

CAPVT. PRIMVM.

Occaſio, Cauſſæque bellorum inter Regem Ludouicum XI. & Comitem Charolæum, qui poſt Dux fuit Burgundiæ.

POſtquam Ephebis exieram, ætatem adeptus equeſtribus exercitiis aptam, ad Carolum Burgundiæ Ducem Inſulas, me contuli, qui tunc nomine Comitis Carolæorum notus erat: Is ſtipendio me recepit, Anno Chriſtiano, M. CCCCLXIV. Tribus præterpropter ab aduentu meo diebus in Aulam Comitis Legati Regii venere, Aula tum, vt dictum, Inſulis, erat; Comes videlicet Euius, Cancellarius Franciæ, Moruillerius nomine, Archiepiſcopus Narbonæ. Horum mandata, præſentibus Duce Philippo, dicto Comite Carolo, cæteroque vniuerſo Conſilio, apertis valuis Palatii, audita ſunt. Moruillerius magna ſermonis arrogantia propoſuit, Carolum Comitem, tum in Hollandia degentem, vi capi iuſſiſſe lembum bellicum, Diepa venientem, quo vehebatur Spurius de Rubempre, ipſum in carcerem compegiſſe, prætendentem ſui intercipiendi animo eo veniſſe; & eam iniuriæ cauſſam publicaſſe tum alibi, tum Brugis præcipue, quo oppido peregrinorum hominum infinita multitudo viuere conſueuerit, per Equitem quemdam Burgundum, Oliuerium de Marca: Huius facti ergo magnopere ſeſe læſum Rex, idque nullo ſuo merito, cauſſabatur, dedique ſibi, & vinctum Lutetiam mitti, Oliuerium, à Philippo poſtulabat, vt ſecundum rei indignitatem pœnas ab eo ſumeret. Huic poſtulato à Duce reſponſum eſt, Oliuerium de Marca natum eſſe in Comitatu Burgundiæ, aulæ ſuæ tum Præfectum,

fectum, neq; vlla iuris specie subditũ Regi Galliæ: tamen si qua in re conuinci posset Maiestatem Regiam, honoremque indigne habuisse, sese exacturum ad facti meritum conueniens ab eo supplicium: Quantum attineret Spurium de Rubempre, sese non inficiari, in carcerem raptum, ob conatus suspectos, & molitiones hostiles, quibus circa Hagam-Comitis cum satellitibus suis grassari deprehensus fuerat, quo loco tum Carolus filius sese tenuisset. Quod si Carolum ipsum paullo suspiciosiorem censeret, sciret, id eum ex se, vti patre, non habere, quippe talium omnium expertissimo, posse vero à matre, quam ipse compertum habeat, mulierum facile fuisse hanc in partem facilimam. Vt vt ea sint, quamlibet, vti dictum, non sit harum ipse rerum, caussas tamen hoc casu non obscuras sibi esse, vt, si filii loco fuisset, ad quem intercipiendum adfuisse fama sit, non minus qualem offendisset, & ipse in vincula Rubempræũ coniecisset. Super hæc omnia, si, quæstione habita, innocentiam suam captiuus probare nunc etiam possit, sese confestim solutum carcere ad Regem remissurum, vti Legati eius flagitarent. His relatis, institit Moruillerius insignibus & indecoris flagitiis traducere Ducem Britanniæ, Franciscum; adiiciens; eum & Comitem Carolum, tum præsentem, cum visitatum Regem Turones venissent, societatẽ, datis tesseris, fidei sigillo vtrinq; munitis, bellicã coniurasse; cui rei conciliandæ affuisset Dominus Tanneguy de Castello, qui post factus sit Gubernator Rossilioni, vir non minima in Galliis auctoritate. Hoc facinus tam odiosis verbis Moruillerius criminabatur, vt nihil prorsus omitteret, quin dedita opera vituperandi & conuiciis proscindendi Principis alicuius consilium iniisse videri vellet. Comes interruptis criminationibus non semel respondere oranti, vt quem contumeliæ istæ magnopere percuterent, ne amicum con-

fæderatumque præsens tam indigne lacerari pateretur, voluerat: at Moruillerius conantem dicere sæpius impetu verborum repressit, in hæc tamdem erumpens: Non tui compellãdi gratia, Domine Comes, sed Parentis tui, hanc legationem habeo. Ad hæc Carolus precari patrem, respondendi homini sibi faceret potestatem; Qui ad eum conuersus, Ego, inquit, fili, nomine tuo respondi, quæ æquum putaui debere pro filio patrem: tamen si tanta tibi cupido est, hodie cogitandi, cras tibi loquendi spatium, quæ vsui videbuntur, habeto. Adiecit tum prædictis Moruillerius, non videre quamobrem hoc cum Britanno fædus inierit Comes, nisi ob ademtam sibi, quam cum Præfectura Normanniæ habuerat, ab Rege pensionem pecuniæ. Postridie concilio de integro conuocato, præsentibus iisdem, Comes super puluillum holosericum flexo poplite, prior parentem allocutus est. Sermonis exordium sumsit à Spurio Rubempræo, affirmans iustas captiui eius & sufficientes caussas habere, quas ordinario iure demonstrare possit. Ego vero nihil horum veritati consentaneum fuisse crediderim; neque erant nisi suspiciones enormiores, & captiuum liberari post quinquennii carcerem ipsemet vidi. Dehinc vicem Ducis Britanniæ loqui, eumque excusare insimulatorum criminum, insistit, seque simul: verum esse confessus fædus cum eo pepigisse mutuum, quodque fraternam in bella, quam vocant, societatem iniuerint: neque tamen eo eos nomine quicquam aduersus Regem moliri, aut statum regni eius, quin eo potius conuentiones istas spectare, vt, vbi opus fuerit, ipsi adesse subsidio possint. Quod ad pecuniæ reditus, quorum mentio facta esset, à Rege ademtæ ipsi spectet, quam rationem eius habere debeat, facile ex ea ipsa cõspici posse, cum in vniuersum illa nouẽ Francorum millia faciat, cuius sibi vix quarta pars præstita fuerit; quod-

que

que nullo eam tempore ambiisse probari possit; eamdẽ Præfecturæ Normãnicæ sibi æstimationem esse; qué nemo nesciat beneficiis aliorum procãdis nõ habere opus, quam diu salua sit ipsi Paternæ beneuolẽtiæ gratia. Hæc Comes: qui si præsentem Patrem reueritus non fuisset, longe, meo animo, asperioribus verbis rem egisset. Sentẽtia Ducis Philippi, omnibus perpensis, modesta admodum & sapiens fuit; precabatur Regem ne æquo facilius credere vellet quæ ad cũ de se filioq; deferrentur, vtrumque cõmendatum haberet. Dehinc, more gẽtili, poculis, & gustatione circumlatis, Legati, sumta tam à Patre quã Filio, discedendi venia, abitum parant: hæc dum fierent; Comite Euio, & Cancellario, iã expeditis, Carolus, satis longo interuallo à patre consistens, ad Archiepiscopum Narbonensem, qui vltimus adibat; Sodes, inquit, me Regis tuæ amicitiæ commenda; indicans ipsi, optime hic me per Cancellarium suum depexuisse, verum prius quam iste annus verterit orbem, pœniturum facti. Antistes ad Regem reuersus, retulit ei mandata, vt post narrabitur. Rex, perceptis his verbis, immani odio in Carolum exarsit; cui alia caussa accedebat. quod paullo ante Rex redemerat ciuitates ad Somonam sitas, Ambianum, Abbauillam, Sanquintinum, aliasque, quas pignori Philippo pro mutuis Quadringentis Coronatorum millibus Carolus Rex, ea tractatione dederat, qua apud Atrebates conuenerat, vt Duci liberisque eius masculis tamdiu parerent, quoad refusis dictis Aureorum millibus, ad Regem aliquem Francorum reuerterentur. Non liquet mihi quibus auxiliis res patrata sit; illud certum est, Philippum, affecta iam ætate, cum pleraq; eius negotia Domini de Croy, & Chimay, fratres, aliiq; de familia horum, administrarent; pecuniã à Rege recepisse, resignatis ciuitatibus; quæ res non mediocriter animum Caroli turbauit. Hi enim limites erant, & velut

pro-

propugnacula ditionum, quæ ad eum iure hæreditario ſpectabant; ad quæ obtinenda non parum ſanguinis fuſum fuerat. Rem omnem familiæ illi Croiorum imputabat Carolus; cumque iam decrepitis annis pater eſſet, (quibus tum non longe quoque aberat) vniuerſos eius nominis Poſſeſſionibus, & Officiis ipſorum deiecit, extorres etiam egit prouinciis ſuis.

CAPVT SECVNDVM.

Quemadmodum Comes Carolæus, sociis pluribus de Franciæ Regno magnatibus, Exercitum contra Ludouicum XI. compararit, prætextu Boni Publici.

PAucis poſt diſceſſum Regiorum Legatorum diebus, Inſulas appulit Dux Borbonius Iohannes, eius nominis hactenus vltimus, ſpecie viſendi auunculi, Philippi ſcilicet Burgundiæ Principis; qui amplius omnibus familiis amabat Borboniam. Erat hic ex ſorore Nepos Philippo, vidua prolixo iam tempore; & ſecum adduxerat fratrem, pluresque liberorum, tres filias nimirum, vnumque filium. Hæc in ſpeciem cauſſa prætendebatur, vera autem non erat alia, aduenienti, quam vt perſuaderet Philippo, vti exercitum conſcriberet in territorio ſuo; omnes cæteros Franciæ Principes eodem eſſe animo referebat, vt Regem iniuſte poteſtate vtentem in ordinem redigerent; quod quidem armis exigendum ab eo videbatur, qui alias demonſtrationes non admitteret. Hinc Bellum hoc nomen habuit Boni deinceps Publici; quippe eo titulo ſuſceptum, vt omnibus Galliarum ditionibus conſuleretur. Philippus (quem ab obitu conſenſu gentium Boni appellatione honorauit Poſteritas,) aſſenſus quidem eſt, vt miles cogeretur; ipſe autem negotii cardo, nunquam in eius peruenit notitiam, neq; arbitrabatur rem ad manus aut arma omnino venturam.

Extemplo itaque omni conatu collectæ ſunt copiæ, venitque Comes SanPaulinus, poſt Franciæ Coneſtabilis ad Carolum Cameracum, vbi tum aula erat Philippi: Quo præſente, & Mareſcalco Burgundiæ, Nouicaſtelli cognomine, concilium Carolus conſcripſit paternorum Senatorum, aliorumque, quorum apud eum ſpectatæ erant Auctoritas & Prudentia, idque domum Epiſcopi Cameracenſis coire iuſſit. Illic frequente ſenatu Patri ſuoſque capitales aduerſarios declarauit vniuerſos domus Croyæ agnatos, nulla habita ratione affinitatis Comiti SanPaulino cum iis initæ, cuius filiam potentiſſimi Croyorum filius longo iam tempore in matrimonio habebat, inefficaci eiuſdem, ſui dedecoris nomine, interceſſione. Proſcripti ita ſunt omnes, omnibus Burgundicæ ſtirpis terris exacti, tam præcipiti exſilio, vt mobilium quoque, quæ vocant, bonorum, magnam plerique iacturam fecerint. Ægre quidem admodum hæc ferebat Philippus, cuius Cubiculariorum princeps eiuſdem familiæ erat, poſt Dominus de Chymay appellatus, homo primæuus, indole prorſus eximia, Nepos Domini Croyæ; qui ſine vale dicto Principi ſuo, metu captiuitatis, aut mortis, (ita enim indicatum ipſi erat ex proſcriptionis formula,) profugit: Sed anni iam per naturæ ordinem vltimæ neceſſitati proximi, patienter eum & hæc & hoc genus alia ferre adigebant: Cauſſam vero tantæ huius turbæ fuiſſe reſtitutas Regi horum conſilio, recepta pecunia, vrbes ad Somonam, ſupra memorauimus, qua re non alia infeſtior Caroli animo acciderat.

His confectis, quibus artibus poterat patris commotionem lenire Carolus, & in gratiam ſe eius reducere contendit; quo reconciliato illico in campum patentem exercitum producit, ſtipatus Comite Sanpaulino, cui principalem rerum omnium ſuarum curam commenda-

mendauerat, quiq; Caput totius ipsius erat militiæ. Sũma militum ei parentium Trecenti erant grauioris armaturæ equites, & quatuor millia sagittariorum, quorum bona pars ex nobilitate Artesiæ, Hannoniæ, Flandriæ, flos fortium virorum; Imperator summus ipse Carolus, cætera sub imperio dicti comitis. Pari fere copia parium quoque militum erant agmina Domini de Rauenstein, fratris Ducis Cliuiæ, & Antonii, Nothi de Burgundia, quibus ab eodem horum data erat gubernatio: Cæteros copiarum Duces, breuitatis studio consultius omiserim; duos tamen memorare non abs re erit, oppido potentes apud Carolum, & magna fide; Dominum nimirum de Haultburdin, prouectæ ætatis militem strenuissimum; nothus is erat frater Comitis Sanpaulini, educatus in expeditionibus Gallicis & Anglorum, cum rerum in Gallia potiretur Henricus Quintus, Angliæ Rex, cui comes bellorum, & fæderatus adhærebat Philippus, Caroli parens: Et Dominum de Contai, paris cum altero ætatis & existimationis. Horum strenuitas & sapientia celeberrima tum erat, & parere iussi imperio iuniores per vtrumque exercitum, qui quidem non mediocri erant numero. His accedebat tertius Philippus de Lalain, iis ortus maioribus, qui fortissimorum animosissimorumque militum titulis alta prosapia honorabiles habebantur, & fere omnes seruatis Ducibus in acie vitam impenderant, velut quodam priuilegio Gloriæ.

Omnis itaque armatura erat Mille Quadringentorum Equitum; non satis vtique dextre armis vtentium, quippe qui longo iam tempore, altæ pacis otio velut obsolefacti, desueuerant bellicos ferre sudores; neque hostem promtiorem ex quo pax Atrebatensis conclusa fuerat, habuerant, certe parum omnino armis

mis exercitati totos iam triginta ſex annos quiete pingui deſederant, exceptis minutis quibuſdam prælιationibus, vt aduerſus Gandauenſes, quarum ratio nulla, ob breuitatem temporum, quibus euanuerunt, fere habebatur. Apparatu quidem hi & Equis præfortibus inſtructiſſimi prodibant; quippe ſinguli quatuor vel & quinque alebant inſignes mole corporum & robore equos. Peditum ſagittariorum ad octo aut nouem millia cenſebantur: tales quidem, vt cum ad Cenſionem veniretur, plus fere laboratum fuerit in dimittendis tum, quam fuerat antea in contrahendis. Lecti igitur meliores, cæteri ſunt ordine moti. Erant tum temporis Burgundicæ domus ſubditi præditi rerum copia, abundantia longæ pacis opulentiſſima, qui fructus erat ſingularis in Duce Bonitatis, ſub quo degebant; Ille perparuis aut nullis exactionibus eos premebat; vt nullam ea ætate regionem Beatæ nomine hac iuſtius cenſuiſſes, quotquot ſub Sole erant. Erant dites, & diuitiis frui tranquillitas Pacis ſinebat: nec poſt ſemel amiſſam ante hos viginti tres annos, felicitatem, reprehendere eamdem potuerunt.

Locus hic transpoſitione vitiatus eſt. Nã quæ de Equitibus dixit, minus idoneos fuiſſe bello, ad pedites puto referenda. Non tamẽ mutare quicquam volui.

Superbia autem opulentiam ſequebatur. Luxus & faſtus veſtitum tam virorum quam muliebrem in ſuperfluas expenſas protulerant. Conuiuia opipara, & ſplendor epularum, prodigalitate immani omnium aliarum gentium profuſiones exceſſerant. Balnearum parum honeſti cum fæminis, aliique conuentus, irritandæ libidini, omnem pudorem exſuerant; neque magnatum iam velut ordinariam luxuriem loquor; vulgus muliebre nullum inſaniendi in talibus modum habebat. Prorſus neminem toto orbe tam potentem eſſe Principem opinabantur, qui vel auderet vel poſſet felicitatem tantam turbare, eo amentiæ ſuperbia, gentes has euexerat. Nunc vero interlapſis

aliquot

aliquot annis, tanta rerum mutatio oborta eſt, vt florentiſſimæ nuper, nunc prouinciarũ ſint deſolatiſſimæ, vt animum ſubeat cogitare, luere nunc eas proſperarum rerum abuſionem tantis aduerſitatibus: Inter omnia vitia ſecuritas quoque impietaſque pectora eorum obſederat, vt nullam omnino partem proſperitatis ad Deum auctorem referre vellent; qui hoc etiam exemplo docuit, ſeſe conferre copias bonarum rerum, & auferre contra, quibus velit. Hoc exercitu, ita vt dictum eſt, parato, (quod quidem momento velut temporis effectum eſt) mouit in hoſticum illico Carolus, vniuerſo Equitatu comitatus, tormentorum magnam trahens copiam, vt tum tempora ferebant, expeditiſſimorum, ingenti inſuper carrorum plauſtrorumque numero, & tanto quidem, inſtructus, vt bonam partem exercitus, cui ipſe aderat, iis, ingruente vſu, claudere & communire poſſet. Primum iter verſus Nouiodunum inſtituit, & in eo minutum quoppiam Caſtellum, Nelam nomine, militari tamen præſidio munitum, obſedit, & intra paucos dies cepit. Ioachim, Mareſchallus Franciæ, Perona eo fine egreſſus, ſemper ad latus iter facienti erat, non tamen vt quicquam damni facere tentaret: nec ſufficientibus enim copiis inſtructus erat; & cum Carolum appropinquare ſentiret, Lutetiam prior ingreſſus eſt. Toto illo itinere Caroli miles nemini incolarum moleſtiam exhibuit, neque quicquam, quod non præſenti ære rependeretur, vlli ablatum eſt: Itaque & Ciuitates, ad Somonam ſitæ, non inuitæ manipulatim milites intrare mœnia ſinebant, acceptoque argento, quæ poſtulabant, exhiberi iuſſerant. Res facilis erat perſpectu, ſpectare eas belli euentum, vt victori, ſiue Regi, ſiue Principum exercitui, accederent. Continuato viæ labore Copiæ tamdem ad S. Dionyſii oppidum prope Lutetiam, peruenere, quo conuentus Procerum

Regni

Regni condictus erat; verum neminem ibi eorum offenderunt. Nomine Ducis cum Carolo illic erat Procancellarius Britanniæ, inſtructis cartis ſigillo Principis ſui munitis, cætera inſcriptum nihil habentibus, quibus rem pro præſente copia, vt fors ferebat, vice eius adminiſtrabat. Erat is Normannus natione, vaferrimus homo; & certe opus ipſi erat quacunque ſapientia, contra occultam populi indignationem, quæ vndique infeſta ei obnunciabatur. Carolus ad Pariſiorum mænia inſtructũ militem oſtentans fædo tumultu ciuitatem impleuit, atque ad ipſas vſque portas adequitans incolis magno terrori fuit. Non erat in vrbe alius miles, quam qui ductu Ioachimi Mareſchalli intrauerat, præter cohortem Domini de Nantoillet, poſtea Magni Magiſtri; qui hac expeditione inſignem operam Regi ſuo præſtitit, qualem quidem pauci ſumma rerum neceſſitate, pari iuuentute: reddita vero in finem mala ipſi gratia eſt, machinationibus inimicorum potius tamen, quam culpa Regis; quanquam nec iſte nec illi omnino excuſabiles fuerint, ſi rimari rem penitius volueris. Plebs Pariſienſis eo die; vt nobis poſtilla compertum eſt, turpi metu confuſa fuit; adeo vt clamores auditi ſint, iam hoſtem intra mænia eſſe, vti relatione plurium mox edocti ſumus; verum is metus ratione prorſus carebat. Hautburdinus tamen (de quo memoratum eſt ſupra, quique in Vrbe ea fere educatus erat, cum iis nondum præſidiis munita tum eſſet, quibus nuuc conſpicitur) non abhorrebat à conſilio oppugnandi: Miles ad eam rem operam volens haud dubie impendiſſet, plebem vrbanam magno deſpectu habens, cum tumultum terroris ad portas vſque intus bacchantem audiret. Veriſimile vero mihi videtur, nos nihil eo conatu fuiſſe effecturos, neque noſtræ opis erat tantam vrbem tum capere. Carolus ad Sanctionyſium exercitum reduxit.

Altero mane consilium militare congregatum est, vt decideretur, expediret ne obuiam proficisci Ducibus Biturigum & Britanniæ, quos non procul abesse asseuerabat huius Pro-Cancellarius, litteras vtriusque ostentans: sed fallebat ille, ipse enim, nudis à Duce chartis sigillo Principali munitis; acceptis, quæ voluerat, inscripserat, neque aliud aduentus eorum indicium habebat. Conclusum est transeundum Sequanam, quamquam plures retrocedendum opinarentur, cum fefellissent condicto die ad San-Dionysium adesse Principes, qui consponderant; quin satisfecisse virtuti & promissis suis Carolum traiectis Somona & Matrona fluuiis, etiamsi Sequanam terminum procedendi faceret: Magna argumenta his firmandis inferebant alii, à tergo ne vnum quidem ipsis præsidium esse, si retro gradum ferre necessitas compelleret. Omnium voces in Comitem SanPaulinum acuebantur, nec minus Procancellarium Britanniæ: obtinuit tamen apud Carolum sententia transmittendi fluminis, & facto eo, castra posuit ad Pontem SanClaudianum. Postridie eius diei litteræ illi nobilis cuiusdam fœminæ manu scriptæ allatæ sunt, monentes, Regem Borbonia egressum infesto agmine magnisque itineribus eum petere. Sed antequam procedat oratio, scribere non extra rem erit, vt Rex in Borboniam mouerit. Sciens is omnes Galliæ proceres in ipsum iam non clam conspirare, si nihil aliud, vt saltim administrationem eius in ordinem pro vitiosa redigerent, consilium sumsit, primo loco ducem Borbonium armis opprimere; quem arbitrabatur manifestiora reliquis Principibus infesti animi signa edidisse: exsequi rem aggressus, terras nullibi munitas satis, nullo negotio bonam partem in potestatem redegit; & quæ restabant à primo impetu, pariter vtique subiugasset, si citra auxilia Burgundica fuisset, quæ oportune aduenerant

rant ducibus Domino de Coulches, Marchione Rotelensi, & Domino de Montagu, cum aliis. aderat illic & Cancellarius Franciæ (qui hoc tempore bonæ auctoritatis opinionem habet) armatus, nomine Gulielmus de Rochefort. Hoc agmen in Burgundia coegerant, Comes de Beauieu, & Cardinalis Borbonius, frater Ioannis Ducis; idque Molinio immiserant. Ex altera parte subsidio eidem Borbonio Duci aderant, Dux de Nemours, Comes Armignaci, & Dominus de Albert, non mediocribus copiis comitati; quibus inerant insigni fortitudine multi ex Nobilitate Equites, relictis ordinariis stipendiis suis agmini coniuncti. Sed ingens hic numerus militum admodum male instructus erat; necesse enim erat ciuium sumtibus, qua venirent, viuerent, nulla stipendiorum spe affulgente: Regem vero minime tanta hostium conuenarum multitudo terrebat, quin negotii ipsis plurimum vndique facesseret; Sic res ad tractationem de Pace tamdem deuenit: medio in primis Duce de Nemours; qui licet iuramento Regi pollicitus fuerat, partibus ipsius affuturum, nihilominus paulo post in contrarium secessit, vnde exortum est illud diuturnum Regis in eum odium, vt ipsemet sæpius mihi recensuit; His ita succedentibus, cum videret Rex opinione sua tardius negotium Borbonii ducis conficiendi, extrahi, & Carolum interim Lutetiæ appropinquare, metuens ne ciuitas ea sese ipsi traderet, accedentibus præcipue fratre ipsius Duce Biturigum, & Britanniæ Principe, qui de regione sua cum exercitu procedere nunciabatur, & prætensione Boni Publici Franciæ, cui expeditio illa inseruire videri volebat; eiusq; exemplo reliquæ etiam post Ciuitates; consilium cepit, quam maximis posset itineribus properare, vt quam primum Parisios intraret, &, quacunque posset ratione, obstaret, ne grandes illi duo exercitus coniun-

gerentur. Neque enim ſeſe confligendi animo Carolum petiiſſe, ipſemet mihi ex re nata de his poſtea negotiis ſermonem mutuum habenti cum eo, non ſemel narrauit.

CAPVT TERTIVM.

Vt Carolus caſtra poſuerit prope Montlerium, & de prælio ibidem inter ipſum & Regem Franciæ commiſſo.

CArolus, vt ſupra quoque memoratum eſt, cum comperiſſent Regem ex Borbonia mouiſſe, & eum recta ad ſe contendere opinaretur, conſilium cepit obuiam proficiſcendi: Tum publicari fecit ſententiam litterarum, quas recepiſſe ſupra diximus, tacito tamen ſcribentis nomine; adhortatuſque eſt militem ad ſtrenue rem gerendam: ſibi enim concluſum eſſe iacere aleam, & fortunam prælio tentare. Hiſce actis caſtra poſuit in pago Longjumeo, prope Pariſios; Comes vero SanPaulinus primi agminis Dux duobus milliaribus vltra, ad vicum Monthleri. Hinc miſſi exploratores & equites reſcitum vtrum & qua via Rex adeſſet. Præſente SanPaulino campus ad Longjumeum prælio aptus, electus eſt; & ipſi à Carolo iniunctũ, hoſte propinquante retrocedere ad locum conflictui deſtinatum, cui ſententiæ aderant Haultburdinus etiam & Contæus. Sciendnm vero à Rege Comitem Mainium cum octingentis præterpropter Equitibus obuiam Ducibus Britanniæ & Biturigum fuiſſe miſſum. Sub horum principum ſignis erant ſtrenui & cordati maxime Heroes, quos omnes Rex aula & ſeruitio ſuo abdicarat, cum primum ad Imperium deuenit; quamlibet optima fide Patri ipſius ad recipiendum pacandumq; Regnum operam

ram locaſſent: Cuius quidem facti eum poſt ſæpius pœnitentia habuit, cum errorem ſuum agnoſceret. Inter cæteros horum erat Comes Dunoiſius, magnæ ad omnia exiſtimationis. Mareſchallus de Loheac, Comes Dammartinus, Dominus de Bueil, pluresque alii, quos fere quingentos Rex miniſterio ſuo amouerat, armis & vſu rerum viri incluti, conuenerantque ad Ducem Britanniæ, qua regione plerique omnes oriundi erant, qui in exercitu eo militabant. Comes Mainius, quem Regios anteceſſiſſe ſupra memorauimus, cum infirmius agmen ſuum cerneret, quam quo hoſtem prouocare poſſet, ſenſim Duces præcedebat, ad Regem retro iter legens. Ipſi autem principes nihil magis ſtudebant quam Burgundicis copiis ſuas iungere. Non defuerunt qui Mainium occulta conſilia cum hoſtibus participare iactarent, verum id ego à nemine aſſertum audiui, & minime etiam credidero. Carolus ſuas copias Longjumei habens, SanPaulino, vt dictum, ſe Monthlerii tenente, à captiuo quodam edoctus eſt, Mainium Regi ſe iunxiſſe, omnibus regni ordinariis ſtipendiariis eodem congregatis, quæ copiæ ad Duo millia & ducentos Equites æſtimabantur, iunctis quadraginta vel quinquaginta Sabaudis nobilitatis egregiæ, & virtutis notæ, qui ex Delphinatu venerant. Rex interea conſilium habebat cum comite Mainio, Magno Seneſchallo Normanniæ Brezæo, Ammiralio Franciæ cui genus erat è familia de Montauban, aliiſque intimis militiæ ſuæ; &, quicquid contra alii inferrent, vel argumentarentur, concluſerat non confligere, ſed Lutetiam ſe conferre, vitatis locis quos Burgundi inſederant. Et hæc ſententia, vti ego exiſtimo, erat tum optima. Suſpectum idem habebat Seneſchallum Normanniæ; itaque rogauit eum, diceret, fidemne ſuam ſigillo addito, dediſſet principibus

contra ſe mouentibus. Ille affirmauit, ſed, ait, ego ſpem nunc eorum fruſtror, & corpus hoc meum nunc tibi militabit: Protulit hæc iocabundus, vt moris habebat reſpondere.

Regi apprime placuit hominis liberalitas, & primi agminis curam ipſi commendauit, cum viæ, quam teneri vellet, conductu, decreuerat enim, vt dictum eſt, prorſus non confligere. Seneſchallus ex conſilio ſuo rem diſpoſiturus, cuidam familiarium; hodie, inquit, tam prope has acies conducam, vt inſigne ſapientiæ ſuæ documentum ſit præbiturus, qui eas poteris disjungere. Sicut dixit, & fecit; primuſque cadentium ipſe fuit, cum nonnullis qui circa erant. Hanc hiſtoriolam rex mihi poſt retulit; tum enim inter ſtipatores Caroli eram.

Porro vigeſima prima die Iulii anni Chriſtiani M CCCC LXV. Agmen Regis primum prope Montlherium acceſſit, vbi caſtra Comes SanPaulinus habebat. Hic ſumma feſtinatione aduentum Regii militis Carolo indicauit, qui duobus milliaribus inde in campo, conflictui deſtinato, tentoria fixerat, flagitans vt quantocyus ipſi ſubſidio veniret, iam enim aliqui equites deſcenderant; & ſagittarii carragini ſe admouerant, ſibi quippe impoſſibile eſſe retro ad ipſum cedere, vti conſilium initum erat, niſi fugientis ſpeciem præbere vellet, cum dedecore & damno totius exercitus. Carolus extemplo ei ſubmiſit Spurium de Burgundia, Antonium nomine, cum bona parte copiarum quas ducebat, ſecum deliberans, an ſequeretur. Secutus demum & ipſe eſt, appulitque caſtris SanPaulini horam circiter ſeptimam matutinam; cum iam prope acceſſiſſent quinque vel ſex vexilla Regii militis, foſſam quandam ſecuta, quæ media erat inter infeſtos exercitus.

Hactenus adfuerant militiæ Caroli Procancellarius Britanniæ, Rouvillius nomine, & veteranus quidam miles Maderæus, qui tradiderat Pontem Sancti Maxentii, qui concepto timore ex occultis militis in ipsos sermonibus, cum viderent ad prælium rem spectare, non comparentibus copiis, quas adfuturas ipsi toties iactauerant, sese discrimini fuga subduxerunt priusquam ad manus veniretur, eo properantes vbi Britonum inuenturos agmina sperabant. Cum veniret Carolus, iam Comes SanPaulinus equo descenderat, & cæteri omnes, vti aderant, sese in aciem componebant. Sagittarios omnes offendimus equis descendisse, quorum ante se quisque paulum terra defixerat, & plures cupas in medium datas, vti vini bibituris copia esset; neque memini, quantillum etiam talium rerum oculis meis obiectum est, vidisse vnquam militem ad confligendum alacriorem; quod mihi quidem optimum boni euentus signum æstimabatur, & magnum ad bene rem gerendam incitamentum erat.

Primo loco decretum est vt omnes equis descenderent, nemine prorsus excepto: sed versum mox id consilium, & plerique equos repetierunt. Nonnulli tamen optimi Equites, & milites acerrimi, inter pedites remanere iussi sunt, quorum in numero erant Dominus de Cordes, cum fratre. Philippus etiam de Lalain equo descenderat, inter Burgundos enim maximi tum fiebant, qui pedites cum sagittariis pugnam inirent; & nobilitatis cæteræ non pauci eodem conueniebant, vti pari conflictus discrimine, vulgus militum animosius dimicaret. Hic mos ab Anglis haustus erat, in quorum contubernio Dux Philippus iuuentutē bellando triginta duos cōtinuos annos

in Regno Franciæ, ſine intercurrente vſpiam pace, inſumſerat: Et eo tempore eius nationis Gloria reliquarum fere antepollebat, cum & Vſus & Opes, quibus bella conſtant, penes Anglos eſſent ſingulares. Tum vero & præcipue cordato Regi parebant, Henrico Pulcro, fortiſſimo Principi, qui inſtructus inſuper ipſo dignis militum Præfectis magna rerum omnium copia abundabat; horum erant primores Comes de Salberi, Talbotus, & alii, quorum nomina non proponam, cum meam ætatem anteceſſerint, quamlibet reliquas tamen eorum viderim. Cum vero Deus ipſis benefacere iam non vellet, morte cordatum illum Regem apud Bois-de-Vincennes, ademit filio ſuccedente, fatuo; qui Regiam Franciæ & Angliæ Coronam Lutetiæ ſumſit; & ſic paullatim fortuna Anglorum in peius deſcendit, donec diſſenſio inter ipſos oborta, etiam nunc inſopita, & paullo momento nouas datura turbas. Tum familiæ Yorchenſi id regnum vſurpabatur, vel & bono titulo tenebatur; meum enim non eſt iudicare de talibus, quorum hæreditas in cœlo diuiditur. Regreſſu ad noſtram narrationem facto; Burgundiones, dum equis deſcendunt, & mox eos repetunt, inſigni partium damno oportunum tempus perdidere. Extinctus illic eſt Heros annorum flore & virtute inſignis Philippus de Lalain, quod male armatus diſcrimen iniiſſet; Regius miles in nos procedebat trans ſaltum de Torfou; neque, cum principio in conſpectum noſtrum venirent, vltra quadringentos armatos erant, quique tum, occupatos tempore, inuaſiſſet, facile coniectu magnam eorum ſtragem fuiſſe daturum. Neque enim, niſi pauci ſimul, in ſuccurſum eorum, ex iis qui ſequebantur, venire poterant; & ſic numerum paullatim augebant.

Hæc cum cerneret Contæus, inſigni prudentia

vir,

vir, propere ad Carolum accedens, Domine, inquit, ſi victoriæ tibi honos cordi eſt, nunc tempus eundi in hoſtem. addebat argumenta conſilio, quæ ſi expediiſſet citius, iam hoſtem profligatum haberet, adortus principio, cum rari adeſſent, nunc numerum augeri dum loqueretur, vt nemo non videret. Vtique hic vera memorabat.

Tum vero turbari ordines cæperunt, & conſilia, quolibet ad dicendam ſententiam prodeunte. Interim iam commiſſæ erant Sagittariorum ad pagi Montlerii egreſſum, vtrinque copiæ. Regis aciem ducebat Poncetus Reuireius, omneſque Sagittarii de Ordinariis Regis erant ſtipendiis, egregie armati, & expediti: Burgundiones contra ſine ordine & imperio, quilibet quæ viderentur, velut facturus. Sic pugnæ initium datum eſt, vbi pedites iis præerant Philippus de Lalain, Iacobus de Mas, vir celebri fama, poſt Magiſter Equitum apud Carolum, iam Burgundiæ Ducem. Et hi quidem numero ſuperabant, occupataq; domo quapiam portis eius pro vallo vtebantur. Pariter intratum eſt in pagum, & alteri ædificio ignis immiſſus. Aderat fauens ventus, exceptamq; flammæ vim in Regios torquebat; qui incepere ſenſim laxare ordines, & repetitis equis fugam ingredi.

Hoc tumultu late perſonante Carolus mouere ſuos occepit, omni prius decreto rerum ordine, turbato atque euerſo. Statutum initio fuerat tribus interuallis iter diſtinguendum eſſe, diſtabant enim partes immani inter ſe ſpatio. Regii erant prope Caſtrum Monthleriarum, & ingentem à facie ſaltum, foſſamque habebant.

Vltra hanc ager frumento conſitus erat, fabis item aliiſque leguminum ſpeciebus, ad morandum tranſitum non ineptis, erat quippe vberi is locus

 gleba.

gleba. Omnes Caroli ſagittarii ipſius agmen antecedebant, nullo prorſus ordine: quamquam mea ſit opinio hoc genus militum in diſcrimina conflictuum cæteros omnes longe excellere: ita tamen vt bona adſint copia, pauci enim, nihili ſunt. adhæc velim eos equis non optimis adſuefieri, vt nullo omnino loco eorum amiſſionem habeant, vel & iis prorſus carere.

Inter hos etiam eos elegerim qui tum primum hoſtem incurrant, præ exercitatis, & veteranis. Huiuſdem opinionis noui & Anglos eſſe, qui flos ſunt Sagittariorum, nulli gentium comparabilis. Concluſum fuerat, vt bis in itinere interquieſceret miles, vt pedites præcipue ſpiritum reciperent, ob viæ longinquitatem, & quia fructuum eminentes ariſtæ pedem morabantur: at contraria omnia acta ſunt, velut dedita opera in exitium ſe præcipites coniicerent. Inque hoc clare demonſtrauit Deus ſucceſſus præliorum ſua manu habere, victoriamque, cui libuerit, conferre. Neque quiſquam mihi perſuaſerit humani vnius ingenii opem eſſe, moderari ordine tantam multitudinem; aut vti res adminiſtrentur in campo, velut conſtitutæ ſunt in tentorio; contra qui hanc ſibi arrogantiam ſumſerit, impietatem in Deum incurrere crediderim, ſiquidem ratione homo ſit à natura ſatis inſtructus.

Ædepol cuique incumbere non inficiabor iniuncto officio, omni ſtudio fungi, interim tamen agnoſcendum effectum operis à Diuina gratia pendere, qui ingentium rerum ſucceſſus ſæpe minimis orſus eſt principiis, iamque victoriam iſti, iam aſſignauit alteri, eſtque hoc eius arcanum tam profundum, vt hinc ſæpe integra Imperia Regiæque poteſtates rui-

nam

nam capiant ex altera, ex contraria aliæ parte augmenta, vel & initia ipſa nouorum principatuum. Nos ad hiſtoriam reuertamur. Carolus vno impetu militem rapiebat in hoſtem, nulla habita ratione Sagittariorum & peditum, quibus reſpiratione opus erat.

Regii equites per ſaltum gemino exitu procedebant, cumque tam prope iam hoſtem acceſſiſſet, vt lanceæ eſſent retinaculis aptandæ, Burgundicus Equitatus ruptis ſuorum ſagittariorum ordinibus, per medios eos prouolat, impedito omni ſagittarum vſu, à quorum tamen opera totius ſpes exercitus pendebat.

De Equitibus enim noſtris hoc affirmare poſſum, in numero mille ducentorum, nec quinquaginta ipſos fuiſſe, qui ſatis ſciuerint lanceam quo pacto feriendo hoſti firmare brachio oporteret. Non erant quadringenti in vniuerſum vt decebat, armati, neque vnus his omnibus ſeruus aderat armatus.

Cuius ſocordiæ cauſſa erat diuturna Pax, quodque Burgundiæ duces ſtipendiarios, ea durante, milites alere non adſueuerant, vt parcerent ſcilicet ſubditis tributo onerandis. Ab die autem huius conflictus ea domus vſque in hunc diem nullam reindepta eſt quietem; cum deteriore nunc ſtatu ſit, quam fuit hactenus vmquam. Sic tum quidem florem militiæ ſuæ ipſimet perdiderunt, cum ſpe ipſa, ſi Diuina voluntas non interueniſſet victoriæ. At arcana Dei diſpoſitione contigit, vt qua Carolus ipſe irruperat, agmen eius regios profligaret, quod ad dextrum latus caſtelli fiebat, nulla omnino hoſtium contra defenſione. Toto eo die à latere eius non ſecedebam, minus timoris habens, quam vmquam, quotquot poſtinde periculis interfui: idque iuuenilium

anno-

annorum imprudentia, ignara quid metuendum tali discrimine foret: attonito simul animo mirabar qui fieret, quod nemo prorsus Principi meo resistere auderet, hinc concludens apud mentem meam, eum omnium longe cæterorum esse potentissimum, cui sors voluisset vt ego seruirem. Sic conciliati sunt homines, qui vsum rerum nullum habent, vnde eis frequenti prorsus reprehensione opus est, quoniam neque dextre iudicio vtuntur, neque negotiorum fundamenta intelligunt. Itaque consultum videtur eius sequi sententiam, qui sciuit; neminem pœnitentia opus habuisse quod parum locutus sit, infinitos, quod nimium.

Ad sinistram manum curabant Domini de Rauenstein, & Iacobus SanPaulinus, cum pluribus aliis, quorum manifesta erat inopia militis, quibus tantum, contra ingruentem, exercitum, exciperent. Sed tam prope iam discrimini erant, vt sero de nouo rerum ordine disputatum fuisset; summa, hi fusi fugatique sunt ad Carraginem vsque, maiorque fugientium pars in siluam vsque, quæ dimidio milliari aberat, compulsa est. Ad Carraginem collegerant se Burgundicorum peditum nonnulli. Præcipui huius cladis patratores erant Nobiles de Delphinatu, & Sabaudi, iunctis aliis de Regio Equitatu primoribus, non aliter persuasi quam vniuersam hoc successu victoriam sese adeptos: fuga quidem Burgundorum ex hoc latere grandis erat, mixtis proceribus ipsis; maximo plerique studio ad occupandum pontem Sancti Maximini properabant, rati in suorum potestate eum etiam esse. In medio saltu tamen substiterant non pauci, interque hos Comes SanPaulinus eodem retrocesserat cum agmine non pænitendo, quippe qui non longe inde in acie constiterat:

osten-

ostenditque re ipsa postea, nequaquam sese partes suas pro profligatis habere.

CAPVT QVARTVM.

De periculo, cui incidit Carolus, vtque ei succursum sit; item de diuersis casibus, prælio Monthleriano interuenientibus.

CArolus fugientem, quem acie propulerat, hostem persequendo, ad medium miliare Monthlerium reliquerat paucis comitatus, cum contra nemo resisteret: obuiis vndique plurimis hostium: iamque prorsus victoria se potitum arbitrabatur. Aderat quæsitum eum vetus militiæ nobilis quidam Luxemburgicus, Antonius Breton nomine; qui vbi in eum incidit, recenset Francos agminibus integris sese vndique colligere, quod si paullum procedat, manifestum exitium non posse effugere. Ille hæc nihil moratus instabat proposito, quamquam repetitis ab homine bis terque monitis. Eodem momento aduenit Contæus, de quo supra sumus locuti, eadem ferens dicta, tantaque confidentia sermonis, vt æstimatione hominis & rei nunciatæ, illico retropedem ferret. Quod si ad duos sagittæ iactus vltra contendisset, captus vtique fuisset, instar eorum qui paullo modo spatio antecesserant. Transiens abhinc pagum, incurrit cohortem peditum fugientium, quos persequi denuo aggressus est; quamuis nec centum Equitibus comitatus. Horum nemo restitit, præter vnum militem gregarium, qui Caroli ventrem hasta adeo grauiter perculit, vt ictus vestigium sub noctem exarmato clarum superesset.

Is qui-

Is quidem interemtus eſt, cæteri plerique ſepibus hortorum vicinis diſcrimen vltimum euaſerunt. Cum prope ipſa caſtri mænia tranſiret, vidimus Sagittarios Regis in portæ veſtibulo, ſed illi gradum non mouerunt. Magnopere percellebatur Carolus hos conſpiciens, non enim credebat vel vnum hominem ſupereſſe, qui vel cogitaret defenſionem. Ita ad latus, vti ſpatia campeſtria teneret, ſeceſſit; vbi, cum iam non mediocris ſuorum pars eum reliquiſſet, quindecim ſedecimue Equites illum irruere, & primo congreſſu Diribitor, Philippus Orgæus nomine, interemtus eſt, qui inſignia Caroli armis ſuis inferebat; ipſe in ſummo periculo fuit, ſæpius ictus, ſemel gladio ad iugulum vulneratus, cuius cicatricem toto vitæ tempore habuit; vulneri cauſſa fuit perdita inferior pars galeæ, nec bene annexa cum armaretur, & elapſa, quod ipſe videram, in ardore prælii. Ad vltimum manus iniectæ ſunt, vociferante hoſte; Domine, matura deditionem, ne cogas nos te perimere, quem optime, qui ſis, nouimus.

Ille vero non ceſſabat ſtrenue ſe defendere, quo vſque in ipſo diſcriminis maximi feruore, inuectus filius Medici cuiuſdam Pariſienſis Iohannis Cadeti vocabulo, ſtipatorum vnus, homo robore corporis, & audacia iuxta inſignis, equo præualente, & ad domini ſtaturam, ſidens, diſiecit medios, & iam proximum ſupremo diſcrimini inuitis hoſtibus exemit. Regii his actis omnes retroceſſere ad marginem foſſæ ſuæ, vbi illo mane conſtiterant; terrorem quippe illis iniecerat agmen quoddam non adeo procul approperare conſpectum.

Carolus ſanguine vndique perfuſus in medio patentis campi, contra eos conſtitit: Vexillum, Spurii

de

de Burgundia totum, vt nec pedis vnius ſpatium integrum foret, diſciſſum dilaceratumque erat: Sagittariorum ipſius Caroli Vexillum, non iam quadraginta hominum integrum habebat, noſque illi non ſine maximo metu coniuncti ſumus, qui nec triginta Equitum agmen eramus.

Ipſe continuo equum mutauit, inſcenſo altero quem præbebat Simon de Quingi, tum ſatellitum vnus, poſt celebris admodum. Tum campum vndique peruectus eſt ad recolligendum militem; tantus vero nos pauor occupauerat, vt iſtius dimidiæ horæ ſpatio nihil animo obuerſaretur, quam fugæ inſtantis imago; quam ſane raptim iniiſſemus, ſi centum ſeſe contra milites intuliſſent.

Noſtri correpebant exiguo numero iunctim; tam equites quam pedites. Pedites præcipue vulnerati & laſſati, tam hoſtili diſcrimine, quam noſtra ipſorum vecordia, qua mane eius diei perruperamus eorum ordines.

Memini vniuerſum agmen noſtrum eo tempore non fuiſſe centum hominum, ſed paullatim augebatur ſuperuenientibus aliis. Fruges in agro altæ erant; pulueris omnino terribilis copia; totus campus perfuſus viris equiſque interemtis, neque quiſquam occiſorum, pulueris vi, agnoſci poterat.

Parum hoc ſtatu commorati, videmus Comitem SanPaulinum ſaltu prodeuntem, ſtipatum equitibus circiter quadraginta, cuius vexillum recta ad nos contendebat, augebaturque ſenſim numero confluentium hinc inde militum; ſed nobis admodum longe abeſſe videbatur: Itaque ter quaterue miſſi ſunt, qui precarentur, feſtinaret; verum ille eius gratia nequaquam properabat, neque niſi militari gradu propinquabat, iuſſis ſuis

tolle-

tollere lanceas humi ſparſas: Sic ordine ſeruato, quod magnopere noſtros excitabat animis, auctis inter procedendum copiis, ad nos peruenit; Eraſmus hac acceſſione ad Octingenti Equites. Peditum exiguus numerus, & fere prorſus nullus. Quæ res obſtitit Carolo ne integra victoria potiretur, inter acies enim vtraſque, vti memoratum, ingens foſſa, & ſepimenta, equiti infeſta, media erant. Ex parte Regia profugit Comes Mainius, aliique plures, ad octingentorum equitum numerum. Rumor à nonnullis ſparſus eſt Mainium occultam cum noſtris conſpirationem conſiliorum habuiſſe, ego vero exiſtimo nihil tale veritate conſtitiſſe. Numquam vtriuſque partis, inter prælio congreſſos, maior fuga fuit; & notatu dignum, neutrum partium ducem campo ceſſiſſe. Memorabilis etiam duorum hominum fuga ipſa fuit. E regiis Eques honoratæ conditionis, vſque Luciniacum, non intermiſſo curſu, delatus eſt: Ex Caroli copiis alius, æque non ignobilis, ad Queſnæum Comitis effuſa ſe fuga abſtulit.

Hi ambo optime cauerunt ne obuius alter alterum quopiam læderet. Ita redactis in amiſſos ordines vtrinque copiis, inque acie collocatis, pluries tormentis hinc inde, non ſine plurium morte, concertatum eſt.

Nulli iam conflictus vlterior placebat: noſtrorum agmen Regio erat numeroſius; eius vero contra præſentia multum quoque poterat, cum militum erga ipſum ſingulari deuotione, quam bonorum verborum copia alere & augere norat. Quod ſi ipſe tum ſuis non adfuiſſet, ex his quæ poſtinde comperi, ſcio, neminem non præcipiti fuga ſalutem ſuam fuiſſe quæſiturum. Erant ex noſtris qui redintegrari prælium volebant, præcipue Haultburdinus,

affir-

affirmans procul ſe conſpicari agmen militiæ hoſtilis fugæ deditum. Quod ſi centum ſagittariorum noſtræ parti copia fuiſſet, qui trans ſepimenta illa prælium iaculis commiſiſſent, totus noſter exercitus certo ſecutus fuiſſet pugnam. Dum hæc diſceptantur, & ambigitur quid facto opus ſit, citra tamen pugnam, ſuperuenere noctis initia, cum quibus Rex retro Corbeliam ſe contulit, nos vero arbitrabamur, caſtrametari eum, & noctem in campo ducturum. Forte-fortuna ignis vas pulueris tormentarii comprehendit, quo loco Rex conſtiterat, exinde plauſtra nonnulla occupans, & ad ſpatia ſepimentorum longe graſſatus, nobis ſpeciem præbuit præſentis eorum exercitus. Comes Sanpaulinus, quem iure principem huius expeditionis dixeris, & Haultburdinus vltra hæc iuſſerunt carraginem fieri, & ita incluſi tum fuimus. Dum illic in acie ſtaremus, & colligeret ſe ſparſus miles; multi regiorum à perſequendis, quos expulerant, noſtris, reuerſi, omnia ab ipſorum parte eſſe proſpera perſuaſi, per medias noſtras copias iter tenere coacti ſunt: horum aliqui elapſi ſunt, maior pars interemta eſt. Celebriores inter Regios occubuere Gotfridus de SanBelin, Magnus Normanniæ Seneſchallus, & Floquetus, Capitaneus. Ex Burgundionibus Philippus de Lalain, gregariorum peditum plures, quam ex aduerſariis, interfecti ſunt. Equitum vero maior numerus ex Regiis. Captiuorum potiorem partem Regii habuere ex iis qui fugerant. Ex vtraque acie ad duo millia minimum cecidere; acerque fuit conflictus; virorum fortium documenta vtrinque data ſunt, etiam ignauorum. Hoc, meo ſenſu, notabile maxime fuit, reconueniſſe vtroſque exercitus in campo, quo pugnatum erat, & ſtetiſſe poſt ibidem tres quatuorve horas in reparata acie, contrariis agminibus. Principum vero erat optimam eorum rationem habere, qui tanto vtrique diſcrimine

adfuerant. Verum illi fecere hac quoque in parte vt homines, non vt Angeli. Hic amisit officium auctoritatemque ob fugam, quæ collatæ sunt aliis, quos decem vltra priores milliaria maior metus abstulerat. Quidam ex nostris statu motus est, & præsentia Principis damnatus. Qui vix vno post mense honoratior eidem affuit, quam vmquam alias. Cum plaustris nos circumductis iam inclusissemus, quisque quam optime poterat, quieti se composuit. Intererat nostris magnus vulneratorum numerus, reliqui maximam partem pusillo animo, & insigniter pauentes ne qui Parisiis sub Mareschallo Ioachimo Regio Præfecto, essent Ducenti Cataphracti Equites, subito se vrbe in eos effunderent, & ita ex vtroque latere oppugnarentur. Conticinio noctis Quinquaginta Lancearii Equitibus selectis mandatum est negotium explorandi castra Regia, & vbi ipse consedisset: ex iis viginti iere. Tres sagittæ iactus spatium à nostris castris aberat, quo consedisse Regem opinabamur. Inter hæc Carolus cibi paullum potusq; sumebat, & aliorum quisque, vt poterat; vulnus etiam, quod in collo acceperat, ligatum curatumq; est. Quo loco cœnam capturus erat, quatuor vel quinq; cadauera erant exportanda. Post illati sunt duo fasces fœni, vbi consideret. Dum hæc parantur vnus ex iis qui pro cadaueribus elati fuerant, cœpit commouere sese, nudus vt erat, & poscere potui aliquid. Inditum ori est paullum tisanæ, vnde iam biberat Princeps. Quo accepto reuenere misero spiritus, recepitque vitam, agnitusque esse sagittariorum de custodia corporis Caroli vnus, fama fortitudinis celebri, nomine Sauaric: Obligatis mox vulneribus reualuit. Consilio dein collecto deliberatum est quid factu foret opus. Primus sententiam dixit SanPaulini Comes, sciscens summo omnia periculo esse; suadere se retro exercitum in Burgundiam ducendum, incensa parte impedimento-

mentorum,ſola tormentorum ratione habita: quodque plauſtri ducendi nulla detur copia, niſi qui decem lancearijs Principi mereret,quodque illic ſine pabulo &victualibus, mediis inter Lutetiam & Regem morari impoſſibile ſit. Haultburdinus,ordine hunc excipiens,eiuſdem fere opinionis ſermonē habuit; neuter exſpectatis relationibus eorum qui exploratum Regia caſtra miſſi fuerant. Tres vel quatuor hos ſequuti,idem cenſuerunt. Vltimus rogatus ſententiam Contæus,dixit, quamprimum hęc per exercitum fuerit audita conſultatio,neminem non fuga mature ſibi cōſulturum; neq; aufugituros quin intra vigeſimum lapidem omnes in poteſtatē hoſtis ſint venturi. Adiecit his egregia argumenta plurima; ſui vero animi eſſe hanc noctem, vt poſſent, quieti pro ſe quiſque ducerent;primo mane vnanimi feruore Regem appeterent; neceſſe ſibi videri, vincendum illic eſſe aut moriendum;quæ res ſecuriorem vtiq; exitum haberet, quam illa altera inertis fugæ conſilia. Huius ſententiæ ſua ſubſcripſit Carolus;mandauitque,quiſq; ad duas horas quietem caperet; ſinguli vero parati ſint ad ſignum tuba è prætorio dandum: miſit hinc per decurias idoneos homines, qui militi verbis virtutem adderet. Circa mediam noctem reuenere ſpeculatum egreſſi, (quiſque æſtimauerit quam longe hoc reditu proceſſerint)pro certo referentes,Regem illic caſtra locaſſe, vbi ignem ante viderant. Statim alii eodem miſſi ſunt;& vna poſt hora quiſque ad aggrediendum hoſtem ſe comparabat; mihi tamen conſtat paucos non fugæ conſilia prætuliſſe. Vt dies appulit, ii, qui vltimum emiſſi fuerant, obuium habuere plauſtrarium quempiam, de noſtris nuper, tum captiuum, vehentem dolium vini de pago proximo, qui indicauit regem cum omnibus copiis abiiſſe. Eum in caſtra noſtra miſere, rem nunciatum; ipſi profecti vbi pridie Rex conſtiterat,

vera eſſe quæ comperiſſent, videre: ſic ad nos cum certa relatione omnium redierunt. Ingens lætitia tam inopinato gaudio vniuerſas copias perfudit; & fuere qui perſequendum hoſtis abſceſſum dicerent; qui quidem vnam ante horam, alia omnia muſſabant. Mihi equus erat vltra modum & annis & labore confectus, is integrum ea nocte temeti vtrem ebibit: forte nares vino merſerat, non turbaui quin totum hauriret. Numquam tam alacrem & firmum expertus fueram, quam poſtridie habui. Cum adulta die omnes equos adſcendimus; acies raræ erant; tamen accurrebant indidem multi qui timore in ſilua latuerant. Carolus ſubornatum quemdam à ſe Monachum produxit, qui nunciaret exercitui, velut inde veniens, Britanniæ Ducis copias tam propinquas adeſſe, vt illo ipſo die putauerit noſtris iungendas. Hoc artificio creuere animi militares: non tamen omnes credebant quæ ſimulabant. Hora decima reuerſus ad nos eſt Procancellarius Britanniæ Rouvillius, cumque eo Maderæus, quorum ſupra res deſcriptę ſunt, ducentes ſecum duos ſagittarios ex ſtipatoribus Britanni, faſces ſuos militares portantes, quod magnopere milites excitauit; exploratis argumentis laudatus eſt fugæ, æſtimatione occultorum contra ipſum obmurmurationum, amplius tamen reuerſionis: nemo non his officia ſua offerebat. Totum eum diem Carolus campo illo commoratus eſt, exſultans animo, gloriam victoriæ ſibi adſcribens; quod magni ipſi poſtea conſtitit. Numquam enim ex eo tempore facilem monitoribus aurem præbebat, nihil non ſuo conſilio tribuens: cumque antehac ad bellum inutilis fere fuiſſet, exoſumque eius omnia haberet, mutatæ exinde ſunt meditationes eius: ſecutuſque eſt feruorem illum ſuum ad mortem vſque, qui cauſſa ipſi fuit perdundæ vitæ ſimul, & familiæ ſuæ peſſumdandæ: quæ ſi, Dei beneficio, prorſus adhuc deſtructa non eſt,

maxi-

maximam tamen partem desolatam nemo inficiabitur. Tres sapientissimi & maximi Principes, præcessores eius, eam in sublime extulerant; neque, Galliarum excepto, Reges erant multi ipso potentiores; quod ad insignes vero & splendidas vrbes, nemo æqualis erat. Nullius est iusto amplius sibi de se credere: præcipue potens aliquis princeps; cui præ cæteris incumbit fortunas & successus omnium rerum scire à Diuino nutu pendere. Duo de eo hîc affirmare possum. Numquam me vidisse hominem laboriosiorem, omnibus negotiis, vbi opus erat suis adniti viribus. Idque primo loco. Altero, non cognouisse audaciorem. Numquam memini querentem de lassitudine audire; neque quoquam tempore, aut loco, vel minimum pauoris in eo deprehendi; per integros illos septem annos, quibus bella gerenti continue adfui; æstates certe omnes vno protelo: aliquorum annorum etiam hiemes. Cogitationes ipsius & conclusiones præcelsæ erant. Hominis non erat eas exsequi, vbi Deus manum auxiliarem subtraxit.

CAPVT QVINTVM.

Vt Biturigum Dux, Regis frater, & Britanniæ, iunxerint copias cum Carolo Estampii, contra eumdem Regem.

POstridie, qui dies erat ab inita pugna tertius; Montlerium noctem ibi insumturi, profecti sumus. Incolæ metu nostri partim in arcem, partim in munitiones Templi confugerant. Carolus Edicto proposito reuocari eos iussit, neque quisquam vnius nummi iacturam passus est: Quisque nostrum præsenti ære emebat quibus erat opus, non aliter quam si in media Flandria degeret. Arx Regi seruata est, nec à nobis oppugnata. Tertio die elapso Carolus castra Estampium versus, id occupaturus, mouit, idque consilio Contæi, vt præciperet

amplum oppidum, & optimo loco ſitum, Britanno eõdem contendente: Simul quoq; vt ſub tecta tamdem locaret confectam vulnerib. & laſſitudine copiarũ partem, alteram autem ſanam & illæſam ſub dio patentib. campis inferret. Eodem conuenere Carolus de Francia, Dux tum Biturigum, vnicus frater Regis, Dux Britanniæ, Dominus de Dunois, Dammartinius, de Loheac, de Bueil, de Chaumont, cum filio Carolo de Amboiſe, qui poſtea præcipuorum Regni Procerum vnus fuit, quos omnes vltimo nominatos Rex ſtipendiis ſuis abdicauerat, officiisque diſcinxerat, cum primum Coronam ſumſiſſet, quamlibet nemo eorum non optime Patri eius Regniq; commodis longo tempore inſeruierat, tam in vindicata Normannia, quam pluribus aliis expeditionibus. Carolus quique maxima in exercitu eius auctoritate erant, illos peramanter exceperunt, obuiam egreſſi, ipſoſque hoſpitatum ſecum oppido inuexere, milite in tentoriis circa relicto. Horum copiæ erant Octingenti Equites cataphracti, optime inſtructi; maiori numero Britones, qui nuper admodum ordinaria Regis ſtipendia reliquerant, vt hîc & alibi memoratum eſt; omnes admodum periti rei militaris. Sagittariorum, aliorumque militum non exiguus erant exercitus, loricati plerique, neque intra ſex millia equitum cenſebantur, & parebat vel primo intuitu, Britanniæ principem magnæ potentiæ eſſe, omnes enim hæ copiæ ſumtibus illius alebantur. Rex, qui Corbeilium receſſerat, vt ſupra dictum eſt, non ſegniter curabat quæ opus erant: Profectus in Normanniam erat, vt militem cogeret, ſimul proſpecturus ne eo loci, quod metuebat, res nouæ ſuborirentur: partem copiarum ſuarum circa Lutetiam diuiſerat, vbi indigere earum præſentia res videbantur. Prima à congreſſu veſpera, modo nominati Principes Eſtampii

mutuis

mutuis se colloquiis reficiebant, narrantes alter alteri suorum negotiorum fortunas. Britanni quosdam de Regio exercitu fugitiuos exceperant, quod si paullo maturius affuissent, tertiam partem eius militiæ haud difficulter profligassent. Consilium quidem ante ceperant partem sui equitatus præmittere, certi exercitus cæteros non procul abesse, tamen ab aliis id negotium dissuasum est. Tamen, his non obstantibus, Carolus Ambœsius aliiq; quidam exercitum aliquatenus præcesserant, periculi faciendi, an quisquam sese obiiceret. Hi captiuos non paucos exceperant, vt dictum, & aliquam tormentariæ Regis rei partem. Captiui ii retulerunt certo Regem esse exstinctum, ita enim opinabantur ipsi, quoniam inito statim prælio fuga se abstulerant. Qui eos ceperant rem ad exercitum Britanni nunciarunt; qui summo inde gaudio perceptus est, credentibus plerisque quæ ferebantur. Iamque spe futuram sub nouo Rege felicitatem præcipientibus. Ludouico enim defuncto, Regnum ad Ducem eorum Carolum citra omnem exceptionem deuoluebatur. Iamque consultabant, vt postea ab optimæ fidei homine mihi relatum est, qui adfuerat, quo pacto eiicere regionibus suis Burgundiones istos possent, seque onere eorum subleuare. omnesque fere eo sententiam dixerant, vt qua commodissime fieri posset, interficerentur. Verum lætitia hæc ipsis paruo omnino tempore durauit: animaduertere autem hinc cuiuis procliue, quam corda hominum in Regnorum translationibus sint mutationibus obnoxia. Sed vt ad propositum reuertar, exercituum nimirum Duces Estampii tum congregatos; cum omnes bene cœnati essent, cumque per spatia platearum plurimi hinc inde hominum deambularent; Carolus de Francia, & noster Comes Carolæorum, ad fenestram ambo concesserant vnam, è qua

prospicientes, mutua beneuolentia de rebus non parui momenti colloquebantur. Erat inter Britones homo animi gratia ludicros ignes parare solitus, quos clausos tubulis in medium populum euibrabat sæpius, discurrere factos; & modica flamma emissa, exspirare; huic nomen erat, Iohanni Boutefeu, vel Iohanni cum serpentibus, nescio an petito ex artificio vocabulo. Hic fatuus domo quadam absconditus, vt ne perspiceretur vnde ignes illi ridiculi prouenirent, exinde duos vel tres in auras proiecit, de loco excelso, vbi latebat. Casu earum vna clatros eius fenestræ, ad quam duo Principes modo dicti, constiterant, adeo arcte, vt nec pedis spatio vnius amborum capita ab inuicem distarent, attigit. Ad ictum vterque erectus, & attonitus, alter alterum adspectare, rati haud dubie ipsorum lædendorum gratia hoc excogitatum. Contæus confestim ad Burgundum accedit, paucisque illi in aurem dictis, descendit, iubetque armari Satellites, Sagittarios, & quibuscunque custodia corporis eius demandata erat. Tum Biturigum etiam Ducem adhortatur Burgundus, pariter suos stipatores iuberet paratos esse. Cum dicto ducenti trecentiue lecti milites ad ingressum aulæ constitere, cum pluribus etiam sagittariis: & magna diligentia vndique inquirebatur, quo auctore scelus fuisset patratum. Adfuit miser ludio, qui facinus fecerat, inque genua coram vtroque procubuit, confessus auctorem, vtque res accidisset, enarrans; quam vt probaret, tres quatuorve alios tales præsentia principum ignes eiaculatus est. Quo facto plurimorum animis iam flagrantem suspicionem exemit, quam in alios alii conceperant. Itaque in risum tantus timor abscessit, & quisque positis armis, cubitum se reduxit. Postridie mane concilio egregio congregato, Principes omnes, cum plerisque principalibus Officiosorum, cõuenere; vbi deliberaretur, quid exinde fieri oporteret. Vt-

que erant partium diuersarum, nec vnius omnes arbitrio subiecti, veluti fortasse vtilius fuisset tali conuentu, ita & sententias discrepantes protulere. Inter cætera vero verba, notata, & obseruata, præcipua fere fuerunt, prolata à Biturigum Duce, qui adolescenti admodum ætate erat, neque talem aliquam ante expeditionem viderat; quem quidem ipsa hæc verba indicium fecerunt pertæsum iam esse totius negotii; allegauerat enim multitudinem vulneratorum, quam in copiis Burgundi viderat, ostendensque se sortem eorum commisereri, in hæc dicta proruperat: Mallem, inquit, totum hoc negotium nō esse inceptum, quam tantum patrari mea caussa malorum. Hæc mirifice & Carolo & militi eius displicuere, vt post narraturus sum. Hoc tamen concilio decretum est, recta Lutetiam eundum, si posset ea ciuitas persuaderi, vt Regiis relictis, Bono Publico militantium partibus accederet; hic enim titulus, vt dictum, vniuersæ expeditioni præferebatur. Videbant quippe si ea Vrbs ipsis consensisset, reliquas toto regno exemplum non inuitas secuturas. At Biturigum Ducis nimis humanus ille sermo, de quo modo locuti sumus, tali dubitationū nube Caroli primorumque eius animos occupauit, vt dicerent alter alteri. Audiuistine, sodes, huius hominis sententiam? Pauefactus est conspectu septingentorum octingentorumve hominum, quos vulneratos per oppidum incedere vidit, qui ad eum tamen non pertinent, neque notos quidem habet. Quanto metu collisum iri putas, si eius rerum alicui damnum datum quandoque fuerit? Ille est factus ad pacem de facili componendam, homo, nosque relinquere in periculo; & propter vetera bella, inter patrem ipsius Regem Carolum, & Parentem meum, Burgundiæ Ducem, gesta, minima quaque de caussa, conciliatus fratri, cum ipso in nos vertet belli molem: itaque consultum erit ipsi parum fidere, & a-

liunde de amicis nobis prospicere. Ob solam hanc persuasionem missus est Gulielmus de Cluni, Protonotarius, qui factus postea Pictauorum Episcopus, in ea dignitate mortuus est, ad Regem Angliæ Edouardũ, tum regnantem; in quem Carolus semper eatenus inimico animo fuerat, fouebatque familiam contra eum Lanclastriam, vnde materna ille stirpe oriundus erat. Huic legato iniunctum erat proponere Edoardo matrimonium Margaritæ, sororis eius, cum Carolo; non tamen vt conficiendi eius potestatem haberet, sed vt extrahendo proposito, rege interim pro voluntate vteretur. Nouerat quippe Carolus Regem hoc impense cupere, &, oblato, nihil, ad minimum, contra sese facturum; quod si eius auxilio opus esset habiturus, facile in partes suas hac spe producturum. Quamlibet autẽ eo tempore, ne per vmbram quidem voluntatis, ad effectum rei spectaret, & toto terrarum orbe non haberet inuisam magis familiam Yorchensi; tantum tamen negotiorum huic tractationi intercessit, vt post multos annos matrimonium fuerit conclusum; susceperitque Carolus ordinem Periscelidis Anglicæ, gesseritque insignia eius toto post vitæ tempore. Sic sæpe in rebus mortalium leui imaginatione cœpta, insperatos exitus sortiuntur; præcipue penes Principes præpotentes, qui suspiciosiores sunt cæteris hominibus; propter copiam deferentium hinc inde monita, & cautionum caussas: sæpius vero per adulationem & delationem eis abutentium.

CAPVT SEXTVM.

Vt Carolus, sociis Principibus, cum exercitu traiecerit Sequanam, ponte portatili, vtque Iohannes Calabriæ Dux iisdem se iunxerit; itaque posuerint iunctim castra circa Lutetiam.

Itaque,

ITaque, vt in concilio conclusum fuerat, iunctis copiis Principes Estampio abscessere, postquam paucis ibi diebus consedissent: iter institere versus SanMaturinum-de-Larchant, & Moretum-in-Gastinois. Biturix & Britanni his duobus oppidulis commorati sunt: Carolus vero castra in spatioso quodam prato posuit, ad ripam Sequanæ amnis. Edixerat militibus, quisq; vncum aliquem stipitē secum ferret, equis alligandis. Septē aut octo minutas scaphas plaustris aduehebat, magnamque cuparū copiam, dissolutarū, vt refectis iis pontē flumini imponeret, quoniā vadum eo loco nō erat. Dominus de Dunois aderat molienti: Ipse lectica vehebatur, ob podagram, qua equo arcebatur, vexillum vero sequebatur sellam. Vt ad amnem venere scaphæ immissæ sunt, & his occupata minuta quædam insula, mediis vndis exstans. Translati mox sunt sagittariorum nonnulli, qui velitarentur cum equitibus accessum littoris vlterioris tuentibus, quibus præerant Mareschallus Ioachim, & Sallezardius. Locus his non erat cōmodus, altior quippe quam pro equestri prælio, & vinetis impeditus, ex parte vero Burgundorum tormenta expeditissima, ingentique copia. Præfecto iis administrandis præcelebri artifice,, Giraldo nomine, quem in prælio Montleriano nostri ceperant, cum Regi militaret. Ad summam qui aditum defenderat, loco pulsi sunt, & in Vrbem redacti. Ea adhuc vespera pons in mediam vsque insulam confectus est. vbi confestim tentorium figi iussit Carolus, eamque illic noctem ipse transegit, stipatus quinquaginta corporis custodibus. Vt altera dies illuxit, ingens doliorum & cuparum, ex materia allata per opifices assuetos operi, copia comparata est; neque media etiam dies erat, cum vidimus pontem ex altera etiam insulæ parte absolutum; quem mox transiit Carolus, inque vlteriorem ripam Principale tentorium fixit, cum ingenti

ingenti cæterorum numero, quibus opipare inſtructus erat. Sic totus Burgundorum exercitus translatus eſt, qui decliui amnis ripa caſtris poſitis, inſigne ſpectaculum ſequentibus Principibus præbebat. Is dies horum tranſitu inſumtus eſt. Poſtridie cum aurora procedente Biturigum Britanniæque Duces, ſuas quoque copias tranſmiſere; quibus pons iſte affabre commiſſus, & luculenta operis diligentia videbatur. Præteriere hi paullum Caroli caſtra, ſuaq; pariter excelſiore loco fixere. Cum primum nox ſecuta paruiſſet, vidimus ingentem ignium multitudinem, quam procul viſus ferebat, longa ſpatia occupantem. Regem eſſe non pauci ſuſpicabantur: ſed ante conticinium adhuc noctis edocti ſumus Ioannem Calabriæ Ducem aduenire, vnicum filium Renati, Siciliæ Regis, ſtipatum noningentis grauis armaturæ equitibus, ex Ducatu Comitatuque Burgundiæ. Et equeſtri quidem comitatu præcellebat, pedites vero paucos omnino adduxerat. Pro exiguo horum numero non memini ornatiorem videre militem, quemque vel primo conſpectu iudicares non iam primum arma tractare. Erant in iis copiis centum circiter & viginti Cataphracti, vel Itali, vel totis his in ea prouincia bellis innutriti. His præerat Comes de Campobaſſo, & Dominus de Baudricourt, nunc Gubernator Burgundiæ, neque toto noſtrorum cenſu dexteriores exercitatioresque equites habebantur, verus flos militiæ Principum. Quadringenti porro erant Arbaleſtrarii, quos mutuo ipſi dederat Comes Palatinus, præualentibus equis inſtructi, & pugnaciſſimi. Accedebant quingenti pedites Heluetii, primi omnium qui ſtipendia merentes in Regno Franciæ viſi ſunt; quique virtute ſua tantam ſecutis gloriam conciliarunt. Fortiſſime enim vbique fecere, quibuſcunque adhibiti ſunt negotiis. Hæ copiæ altero mane nos acceſſere, eoque etiam die pontem tranſgreſſæ ſunt. Sic perhi-

perhiberi possit omnes Franciæ vires eo loco amnem traduci visam esse, exceptis iis qui cum Rege erant: ego affirmare hæc lecturis possum, & maximas & ornatissimas fuisse copias, hominum strenuitate & dexteritate præcellentium: optandumque esset beneuolos amicosque huic regno mecum eas vidisse, vt pretio potuissent, quod merebantur, censere, pariterque inimicos; qui quidem hoc spectaculo compulsi numquam non magis reueriti fuissent & Regnum & Regem. Burgundionum summam Præfecturam habebat Dominus de Nouo Castello, Mareschallus Burgundiæ, iunctis, fratre Domino de Mantagu, Marchione Rotelensi, insignique numero Equitum & Nobilium virorum, quorum aliqui in Borbonia fuerant, vt dictum est supra initio huius narrationis. Omnes vero ii sese coniunxerant, vt eo securius cum Duce Calabriæ ad nos peruenirent: Qui erat insigni virtute & specie Princeps, bellator præcellens, ipso habitu indice, neque quisquam cæterorum ei comparabilis. Inter Carolum & ipsum suborta est maxima necessitudo. Cum omnis iam miles pontem transmisisset, qui equitum numerus corruptus & puto legendum in Gallico: Quand toute ceste compagnie fut passée, que l'on estimoit vingt mille chevaux. hoc est viginti millibus Centum æstimabatur millibus, tam quidem futilium quam vtilium, vt ego crediderim, castra mouere Principes, & Lutetiam accedere decreuerunt. Primas singularum copiarum acies coniunxere. Burgundionum vice eas ducebat Comes SanPaulinus, Biturigum & Britannorum, Odetus de Rye, post Comes de Comminges, & Mareschallus de Loheac, si satis memini. Ita Vrbi appropinquarunt. Omnes Principes morabantur in acie. Carolus vero & Dux Calabriæ præcipue multum laboris exhauriebant milite in ordinibus præstitutis seruando. & obequitabant diligentissimo armorum cultu: aspectu

Videntur quadam transposita aut omissa.

aſpectu ipſo ſciſſes optime officio ſuo fungi cupere. Britanniæ & Biturigum Principes vehebantur minutis tolutigradariis, vt conſueuerant, leuiter loricati, quæ ſumma erat armaturæ. Erant qui dicerent has ipſas loricas non eſſe, ſed pictum aureis clauis in ſpeciem ferrearum ſquamarum, ſericum pannum, ne grauarentur ſcilicet pondere verorum armorum; hoc tamen affirmare non poſſum. Hoc pacto omnis militia ad Pontem Carentonium deuenit, duobus milliaribus, iiſque exiguis, ad vrbem: Eum pontem, expulſo paucorum ſagittariorum præſidio, nullo negotio noſtri occuparunt. Tranſito ab omnibus, Carolus caſtra poſuit ab ipſo vſque ponte ad Conflantium, vbi domicilium præparatum habebat, ſecus littora amnis; metitus quoq; grande ſpatiũ de campeſtri planitie, plauſtris, & impedimentis rei tormentariæ, vniuerſas ſuas copias ea carragine incluſit. Aderat ipſi iunctis caſtris Calabriæ Dux; cæteri principes partem ſuorum ad SanMaurum ad foſſata collocarunt, alios SanDionyſium dimiſere, itidem duobus Lutetia miliaribus: Iis locis vndecim dierum hebdomadas copiæ cõmoratæ ſunt, quo tempore quid actum ſit ſequentibus docebitur. Altero mane cum iubaris ortu conflictiunculæ vſque ad portas Vrbis peruenere. Intus eam erant Dominus de Nantoullet, Magnus Magiſter Franciæ, optime ibi rem gerens, vt alibi diximus, & Mareſchallus Ioachim. Plebs animo admodum perculſo erat: multi ciuium inſigniores optabant Principes cum Burgundis videre intra mœnia, quorum opinio erat communis Egregii gratia totum hoc bellum militari, & commodum ſpectare Regni vniuerſi. Inerant non pauci Burgundorum rebus fauentes, eaſque promoueri cupientes, ſpe meliorum fortunarum, & officiorum, eorum ſucceſſibus. Nam Officiorum ea eſt in hac ciuitate ratio, vt amplius deſiderentur quam vllibi aliorum locorum. Qui
enim

enim ea obtinent tanti nundinantur, quanti volunt, non quanti debent: ſuntque inibidem ſine reditibus, quæ Octingentis tamen Scutatis venduntur, aliaque minutis admodum, quæ pluris veneunt, quam tenenti quindecim integris annis de fructu eorum recipere licet. Vnde venit vt ſæpe nemo ſe his abdicet; quos hac in re tuetur Curia Parlamenti. Et hoc conſentaneum quidem eſt æquitati, verumtamen non ſine detrimento fit Reipublicæ. In ipſo Senatu ſemper abunde eſt cordatorum inſigniumque virtute hominum; Neque tamen & contrarii cenſus deſunt, quam bonorum malorumque permiſtionem in nullis non Rebuspublicis inuenies.

CAPVT SEPTIMVM.

Digreſſio ſuper ſtatibus, officiis, & ambitu, illuſtrata exemplo Anglorum.

VErba de Officiis & per ea Exiſtimatione hominum, facio. Hæc enim deſiderabilia ſunt in mutationibus rerum, & pariter harum cauſſæ. Quod vſu compertum eſt non noſtro hoc modo tempore, verum ex eo quo Carolus Sextus rerum in Galliis potitus eſt, vbi exorſa ſunt bella quæ durarunt deinceps ad pacificationem vſque Attrebatenſem. Inter hæc enim Angli ſe Francorum rebus intulere, tamq; alte in Regnum peruenerũt, vt, dum pacificatio modo nominata confieret (cui ex parte Regis aderant quatuor vel quinque Duces aut Comites, quinq; vel ſex Antiſtites, decem duodecimve Senatores de Parlamento, à Duce vero Philippo magnus numerus præſtantium virorum, multo Regiis amplior: Ex parte Pontificis duo Cardinales, vice Pacificatorum, inſignium item hominum Anglorum nomine, copia) Dux de Betford regeret ab Anglis occupatam partem Galliæ, frater Henrici Quinti, matrimo-

nio

nio habens ſororem Philippi Burgundi; iſque domicilium Pariſiis habens, viginti millia Scutatorum menſtruo reditu recipiebat; neque eius tanta erat in eo officio auctoritas. Hæc tractatio durauit ſpatio bimeſtri, cupiebatque enixe Burgundiæ Dux ſatisfacere Anglis, antequam ab iis recederet, propter confœderationes atque promiſſa, quæ mutua illis dederat atque acceperat. Et hoc reſpectu oblati ſunt Regi Angliæ & Proceribus Ducatus Normanniæ & Viennæ; ea conditione vt fidelitatem iuraret Regi Galliæ, vt præceſſores ipſius fecerant, reſtitueretque ipſi, quæ extra eos Ducatus in Regno Francorum tenebat. Hoc ab Anglis impetrari non potuit; prorſus enim recuſarunt iuramento ſe Gallo ſubmittere; quod magno illis poſtea detrimento fortunarum fuit. Deſtituti enim à Burgundica domo, amiſſis, quas in Regno habuerant, amicitiis occultis, perdito tempore, paullatim collabi & imminui cœperunt. Ademta mox illis eſt Lutetia, & ſenſim poſt omnia quæ trans mare poſſederant. Poſtquam in Angliam ſunt reuerſi, nemo auctoritatem Status ſui diminui voluit, quibus vt ſatisfieret ſingulis, opes Regni non ferebant. Sic inter ipſos diſſidium exortum eſt & bella ſecuta propter Auctoritates, ex mera ambitione, quæ longo tempore durauere: Rex Henricus Sextus, qui Pariſiis Coronam vtriuſque Françiæ & Angliæ Regnorum, ceperat, miſſus in carcerem Arcis Londinenſis, declaratus Proditor, & Maieſtatis temeratæ reus, illic reliquam vitæ partem ærumnoſe exegit, tamdemque miſere interemtus eſt. Dux Porchenſis, pater Edouardi vltimum defuncti, titulum exinde Regium ſumſit: Paucis hic poſt diebus acie profligatus atque occiſus; occiſo caput abſciſſum, vt & Comiti VVarvvicenſi, cui tanta per Angliam auctoritas fuerat. Hic abduxit ſecum Comitem Marchiæ (poſt Regem Edouardum) trans mare Caleſium, cum

paucis

paucis omnino militibus, fugiens ex prælio. Comes Warvvicensis aderat familiæ Yorchensi, contra Dux Sombressetius Lanclastrassem defendebat: Tantum durauere hæc bella, vt vniuersi de familia Warvvicensi & Sombressetia capitibus fuerint truncati, aut interemti conflictibus. Rex Edouardus interfecit fratrem suum, ducem Clarentiæ, in dolio vini Cretici suffocatum, quod, vti rumor erat, ad regnum adspiraret. Sublato Edouardo, alter ipsius frater Richardus, Dux *Clocestriæ dictus, occidit duos Edouardi filios, filias declarauit spurias, & ipse Coronam Regiam sumsit. Confestim, his gestis, in Angliam transmisit Comes Richemontius, nunc Rex, qui plurimis annis captiuus fuerat in Britannia; debellauit & interfecit crudelem illum Regem Richardum, qui paullo ante nepotes etiam suos interemerat. Sic, si bene ego supputo, his Anglorum dissidiis periere Octoginta homines familiæ apud ipsos Regiæ, quorum partem notam ipse habui, cæteros recenseri ab Anglis audiui, qui cum Duce Burgundiæ erant, quamdiu eidem ego adfui. Et hinc elucet non in Francia solum belligerare homines caussa honorum officiorumque Mundi, seque mutuis infestationibus conficere: Cauendum vero enixe principibus, aliisque potentibus rerum opumque, ne qua, vtcunque parua habeatur, scintilla dissidii familiæ eorum irrepat, exinde enim ignis euolutus, omnem inuoluere potest prouinciam. Mihi quidem certum est non fieri talia sine permissione atque decreto Numinis: quippe, cum Principes aut Regna in prosperitatem opulentiamque insignem euehuntur, obliuiscuntur autem & contemnunt eum, à cuius gratia omnia mortalibus bona proueniunt; Excitatur ipsis aduersarius vnde nemo suspicatus fuerat; vt exemplis commemoratorum in Sacris litteris Regum, videre cuiuis licet, nec minus eorum quæ tam ex-

* Al Lancastre.

iguo tempore in Anglia, Burgundicisque ditionibus contigere; quibus similia vidimus alibi, & nemo non quotidiano vsu notare potest.

CAPVT OCTAVVM.

Vt Rex Ludouicus Lutetiam Parisiorum intrauerit, dum Principes ad eam castra habentes, cum vrbanis traditionis negotia tractant.

PRolixioribus, quam destinaueram, verbis, immoratus alienioribus, nunc ad historię nostræ ordinem reuertor. Ex quo prope Lutetiam castra Principes posuere, nihil sibi reliqui fecerunt pollicitationibus officiorum, opumq; ciuium animos sollicitandi, vt suarum partium fierent. Tribus diebus elapsis, in Curiam ciuitatis publicam ingens concilium coactum; & ob prolixas demonstrationes, & verbosas adhortationes, quibus publice Ciuitatem Principes conueniebant, conclusum est, de pace ad eos legationem mittere. Adfuit magna honorabilium hominum multitudo in castra, ad SanMaurum; cuius nomine Orator Gulielmus Carterius, post Episcopus Parisiensis, permagnæ existimationis vir, verba fecit. Ex Principum parte respondit Comes Dunesius: præsidebat concilio in sella frater Regis, Dux Biturigum, circa quem omnes cæteri erecti stabant. Ex altero laterum Britanniæ, & Calabriæ Duces, altero Carolus, totus in armis, solis casside & brachialibus demtis, pallio pretiosissimi operis ambitus: veniebat enim Conflantia, & Bois de Vincennes à Regis partibus erat, grandi præsidio militari instructum, vt necesse habuerit frequente armatorum copia cinctus adesse, Propositiones, & postulationes principum vno omnes fine conueniebant, recipi in Vrbem, vt libere conuersari & amicitiam iungere tantæ bono-

rum

rum virorum copiæ, vtque inibi communicare consilia de Regni negotiis in ordinem redigendis, quod male prorsus administrari caussabantur, Regem multorum magnorumque dedecorum insimulantes, possent. Responsiones fuere admodum humiles, atque gratæ Principibus; attamen prorogationē sententiæ postulabant; neque sic tamen Rex Episcopum prorsus postea excusatum habuit, neque quemquam huius legationis alium. Ita reuersi sunt in Ciuitatem, magnam occultorum consiliorum vim versantes. Quisque enim eos sigillatim conueniebat, opinorque secreto fuisse transactum cum quibusdam, Principes vrbe cum Aulico tantum Comitatu, recipiendos; exercitus autem transiret per cohortes, si ita iis videretur. Hæc Principum intromissio, non solum fuisset Lutetiæ occupatio, sed & totius propositi summus effectus. Nullo enim negotio promiscuam plebem suarum partium fecissent, infinitis de caussis, exemploque huius ciuitatis mox cæteras regni vniuersas. Verum Deus sagaci sapientique contra consilio Regem instruxit, quod ille egregie quoque executus est, iam gnarus omnium apud nos actorum. Priusquam, qui in castris nostrorum fuerant, legationis summam suis enarrarent, Rex vrbem intrauit, ea maiestate, qua venire quis debeat animum ciuibus suis redditurus. Maximæ ei militum copiæ erant; quorum confestim electa duo millia; omnes de Nobilitate Normannica, magnum liberorum sagittariorum numerum, satellitum suorum vexilla, cum stipendiariis ordinariis, ingentique aliorum censu, quali quidem tantum Regem pari negotio comitatu niti credibile est, vrbis præsidiis imposuit. Ita deliquit hæc Principum tecta molitio, iam propinqua effectui; neque vltra iam intra mœnia quisquam meminerat nostri, cum plurimi ante fa-

uiſſent noſtris rebus, neque quiſquam nundinationis mentionem facere audebat: aliquibus etiam quæ iam acta fuerant, male expetiere. Tanto diſcrimine liberatus Rex, non ſuſtinuit tamen capitali ſupplicio in quemcunque animaduertere. Aliquibus officia ademta ſunt, nonnulli aliorſum habitatum translati: Quod ego quidem ſingularis ei laudis nomine adſcribo, potuiſſe animum hac vindictæ ciuilitate compeſcere; tanto quidem periculo. Nam ſi conſilia aduerſariorum finem ſuum tenuiſſent, quod optimum illi accidere potuiſſet, fuiſſet Regno toto concedere, & fuga extra id ſalutem quærere, in eamdem mihi ſententiam ſæpe poſtea narrauit, ſi vrbis aditu excluſus fuiſſet, vel ciues alieno abs ſe animo offendiſſet, ad Heluetios vſq; refugiturum fuiſſe, vel ad Ducem Mediolani Franciſcum, cuius ſigillatim amicitiæ confidebat, quam idem Dux rebus certe neceſſariis comprobauit, ſubſidio ipſi miſſis quingentis Equitibus, & tribus peditum millibus, (Duce maximo natu filiorum, Galeazio, poſt patriæ dignitatis ſucceſſore; quibus copiis contra Borbonium Rex vſus fuerat, venerantque propinquiores noſtris, ad fines vſque ſiluarum, vnde reuocatæ ſunt inopinata morte Franciſci) datoque per prudenti conſilio, vbi res ad compoſitionem veniret, nihil non poſtulantibus principibus concederet, modo vt hæc ſocietas eorum diſſolueretur, ipſe vero ſuos in armis retineret. Quantum compertum mihi eſt, non vltra tertium diem ad Lutetiam conſedebamus, cum Rex eam intrauit. Cum eius aduentu bellum illico in nos ingens exortum eſt; præcipue vero pabulatores noſtri infeſtabantur; nam longius à caſtris neceſſariis conquirendis prodeundum erat, & multis opus ad tuendos eos militibus. Affirmare certo licet in hac, vt appellatur, inſula Franciæ, ſumma commoditate collocatam eſſe Pariſiorum vrbem, quæ duo-

duobus tantis exercitibus necessaria præbere potuit: numquam enim apud nos penuriâ victus fuit; *In vrbe vix quisquam de annona grauata queri auditus est, modico omnino pretiis rerum auctis; & hoc inde fiebat quod fluuiorum nullus à nobis supra infrave vrbem occupatus est, aut commercia in iis inhibita. Tres horum sunt, Maine, Yonne, & Seine, ab incolis appellati, exceptis minutioribus riuis, qui alueis eorumdem sese iungunt. Summa rem edicere, nullam ciuitatem videre memini meliore omnium rerum fertilitate soli cinctam, cuique tanta rerum venalium de proximo, sane incredibilis, copia inferatur. Dimidio post anno in comitatu eiusdem Regis fui, ad Tournellas hospitatus, quo tempore numquam ab eo abscessi, eadem perpetuo mensa, eodemque cubiculo, vsus: postquam mortem illius viginti mensibus in Palatio captiuus detentus; vbi de fenestris meis prospiciens notare omnia poteram, quæ aduerso Sequanæ flumine, ex parte Normanniæ, Vrbi inferuntur: Secundo vero amne longe itidem plures copiæ inuehuntur, quam vel ego autumassem vel quicunque credere possit, qui non viderit. Singulis porro diebus cunei militum portis emittebantur, nec exiguo numero vtrinque concurrebatur. Speculatores nostri quinquaginta lancea riorum ordinarii erant, qui consueuerant ad Grangæum consistere; Hi, quam proxime vrbem poterant, nonnumquam equites aliquos emittebant, qui sæpius ad ipsos vsque repellebantur; interdum & versis tergis prorsus ad vsque plaustra nostra retrudebantur, nunc resistentes, nunc effusis habenis fugientes. Hic à nostris mittebantur aliæ alæ auxilio, quibus vicissim repulsi hostes ad mœnia vsque submouebantur. Talia singulis fere horis accidebant. Præsidiariorum in

** Aliter tamen l. ca. XIII. & sic sæpe hic scriptor sibi ipsi contradicit.*

Vrbe plus duo millia quingenti cataphracti equites erant, magna fortitudine homines, armisque insignibus: His accedebat nobilitas Normannica, & agmina liberorum sagittariorum; Omnes vero in oculis Vrbani Gynæcæi fortiter facere studebant, & speciosarum puellarum gratiam laude armorum mereri. Noster exercitus numero vtique hos excedebat, sed minus erat Equestrium militum. Non enim nobis aderant alii quam Burgundiones, ad duo, vt magnum lancearioru m millia, tam bonorum quam sequiorum. qui longo interuallo hostium dexteritati cultuique cedebat, inexercitati plerique ob longam pacem, vt supra dictum est. His abscesserant etiam insuper ducenti, qui Laignæi erant, vbi tum Calabriæ Ducis erant copiæ. Pedites nostri sane & copia & probitate valebant. Britannorum agmina SanDionysii erant, qui illîc quæ poterant deprædabantur, cæteri sparsim necessaria quærebant. Ad vltimum superuenere nobis Dux de Nemours, Comes Armigniaci, & Dominus de Albret. Copiæ horum procul manebant, quoniam deerant iis subsidia pecuniæ; & si accessissent, vniuersum nostrum inopiæ infamia exercitum traduxissent. Constat mihi Carolum his principibus argenti summam dedisse, vsque ad sex Francorum millia, cum dicto, ne eorum miles nostrum propius accederet. Erant his ad sex millia Equitum, qui mirifice multa malefaciebant.

CAPVT NONVM.

Vt Tormenta Regia & Caroli prope Carentonium concertarint, vtque Carolus alium à priore pontem Sequanæ imposuerit.

Nulla

NVlla dies transibat, nobis Parisiorum ciuitatem adsidentibus, qua non ex vtraque parte & fierent & reciperentur damna. Memorabilius tamen nihil contigit. Rex enim suis interdixerat, ne maioribus agminibus Martem tentarent, neque militem discrimini vllo modo exponere volebat; votum eius vnicum erat, pacificatione inita dissoluere prudenter tantam hanc principum societatem. Tamen summo mane vnius diei venere è regione Aulæ Conflantiensis ad littus fluminis castrametari quatuor millia Liberorum, quos vocant, sagittariorum. Nobiles Normanni, paucique ex ordinariis Regiis stipendiariis in pago quodam, quadrante solo vno milliaris ab his eodem tẽpore considere: quos secuta sunt peditum aliquot vexilla eodem, cum non esset explicandæ aciei præter vnius campi planiciem. Sequana amnis inter eos hostes & nos intererat: Regii tum cœpere aggeres moliri, & castellum ligneum erigere, idque vallo circumducto munire, atque producere opus ad longitudinem vsque castrorum nostrorum, medio tantum flumine, ipsa Conflantia emensa. Illuc adduxere mox ingentem vim tormentorum, quibus primo statim conatu militem Calabriæ Ducis Carentonio exegere: qui coactus non sine dedecore odioso nostris se castris inducere, non sine cæde aliquot hominum & equorum. Dux ipse Iohannes hospitium cepit in minuta quadam domo, è regione eius, qua Carolus se tenebat, aduersus fluminis ripam. Tum tormenta cepere & nostras infestare stationes, & per media castra aliquot globis immissis non mediocriter exercitum paucfecere, præcipue cum aliquot primis ictibus occisi forent. Duo de cæteris globi ipsum triclinium, quo Carolus diuerterat, transiecti sunt, Principe inibi considente ad prandium, quorum alter Tubicinem in ipsis gradibus ædificii,

patinam cibi inferentem, interemit. Prandio finito Carolus in inferius secessit tabulatum, certus id seruare, neque temere excedere. Altero mane conuenit concilium Procerum, quod nullibi præter apud Carolum coire consueuerat, quo finito moris habebant principes simul cibum capere. Duces Biturix & Britannus honoratiorem consessus locum habebant, contra eos Calaber & Burgundus considebant. Ita omnes honore præponere sibi Carolus solebat, & certe non poterat aliter facere, cum in ipsius habitaculo conuenirent. Conclusum est quicquid totis castris tormentorum esset, accersendum, & regiis opponendum. Carolo magna horum copia erat, non pauca Dux Calabriæ, aliqua & Britannus. His dispositis & firmatis ingentibus foraminibus effossi sunt muri, qui secus fluuium, pone Aulam Constantiensem, erant; illuc collocata sunt de tormentis exquisitiora, exceptis prægrandibus & vastissimis eorum, quæ his rebus adhibita non sunt; cætera vbi iis commode vti posse sperabant: Et horum quidem ex nostra parte longe maior, quam regiorum, copia erat. Castellum aggere & trabibus contextum, quod hostes exstruxisse memorauimus, longe illinc ad vrbem versus pertexebatur, & instabant strenue operi terram effossam, contra nos eiicientes, vt inde vallum aggestum, ictus nostrorum tormentorum sustineret: alioquin nemo contra contendere audebat. Laus in quo consederant planus erat, instar volæ, insignibus vndique spatiis camporum. Numquam vidi crebrius tormentis rem gestam, tam paucis diebus. Ex nostra enim parte summis viribus contendebatur, vt vi globorum expellerentur præsidiis suis. Hostibus subueniebatur quotidie ex vrbe, qui summa diligentia adniterentur operi; neque pulueri tormentario vllo modo parcebant. Bona pars nostrorum itidem ag-

geribus habitacula ſua circummuniebat. Nec foſſæ alioquin deerant, cum locis iis conſtet olim ſaxorum iactibus eſſe concertatum. Sic obarmabat ſe quiſque, & tres quattuorue dies ſublapſi erant. Timor tamen damno dato atrocior fuit, nemo enim ex nobilioribus illîc periit. Noſtri principes cum viderent Regios nullo genere ad molitiones noſtras moueri, indigne rem, vt periculo & ignominia ſimul plenam, tulerunt, hoc enim eſſe addere animum vrbanis cenſebant. Et, quodam induciarum die, tantus ad munitiones eas populus venit, vt æſtimaſſes videns, vix aliquos homines intra mœnia manſiſſe. Concluſum igitur eſt proximo ſenatu pontem firmum ſupra valida nauigia ædificandum eſſe, nec iam minutis ſecundum longitudinem, ſed grandibus iis imponendas tranſuerſas trabes, quarum terræ vtrinque proxima coagmentatio ingentibus ancoris iactis firmaretur ſolo. Huic rei plures lembi ſpatioſiores coacti ſunt in flumine, qui comparati fuerant ad tranſuehendum militem, & aggrediendos Regios. Giraldo, Tormentis præfecto, cuius ſupra mentio facta eſt, expeditio huius mandata eſt operis. Hic cenſuit noſtris magno emolumento venire, quod de foſſatis hauſtam terram, verſus caſtra noſtra hoſtes eiecerant; ita enim futurum, vt noſtri, amne tranſmiſſo de ſuperiore loco in eos tormentis ſæuire poſſint, quorum metu nemo auſurus ſit foſsis ipſis procedere. Hæc talia noſtros magnopere ſtimularunt ad promtius pontem tranſeundum. Pons nullo impedimento confectus eſt, & ordine ſuo poſitus, ad vltimam vſque contignationem, quæ in latus paullum deducta eſt, parata & ipſa ſtationi ſuæ; iam & naues vniuerſæ aderant. Abſoluto & perfecto toto opere, cum ad vſum iam progrediendum foret, ſubito Regius quidam præco ad pontem venit, conqueſtum, contra

pactas inducias hæc agi: Induciæ in eum & præcedentem diem initæ fuerant, vt ad opus visendum ex nostris multi castris prodiissent. Forte fortuna is in Bureilium incidit, pluresque alios, quibus mandatum quod erat, exponit. Cum eo die terminabantur induciæ. Pons eius latitudinis erat vt tres iunctim equites, lanceas femore prementes, commode transire possent. Erant & sex nauigia tantæ amplitudinis vt singula mille militibus simul transuehendis sufficerent. magno vero numero minores, quibus omnibus tuendis ordine posita erant tormenta. Sic initi scriptique sunt ordines quibus exercitum transduci oporteret. Principes negotii erant Comes San Paulinus & Hautburdinus. Media nocte exeunte arma capere cæperunt, quorum erat Duces eos sequi; ante diluculum armati sunt; & auditis deuote sacris, vt Christianos bonos par erat, tali casu, operi se accinxere. Eam noctem ego sub grandi quopiam tentorio exegi, quod in medio erat castrorum, vbi vigilum excubabat cohors; inter hos mea tum statio fuit, neminem enim inde lex militaris excipiebat: Princeps vigiliæ erat Dominus de Castro Guyon, qui ad Gransonium postea occubuit: iamque hora committendæ pugnæ aderat: subito auditus est de hostium fossatis ingens vociferatio, Valete vicini, Valete vicini; cum dicto immiserunt habitaculis suis flammam, & tormenta reducere orsi sunt. Deus iam inalbebat: qui delecti ad rem aggrediundam fuerant, partim iam supra flumen procedebant cum videre hostes iam procul abductos, qui recta Lutetiam petebant. Sic quilibet ad arma ponenda remissus est; nec mediocris super hoc aduersariorum abitu lætitia exorta est. Re ipsa quos eo homines Rex miserat, non erant ad dimicandum nobiscum destinati, sed solum castris per tormenta damnum, quod possent, dare. Ipse enim conclu-

ſerat nullum prorſus conflictus periculum ſubire, vt ſupra diximus, quamlibet ingentes virtute & numero copias haberet, nec minores aut imbecilliores vnus omnibus iis quas principes confœderati adduxerant. Vnicum illius conſilium erat tractare pacem, & ſocietatos exercitus arte diſpergere, citra rerum honoriſque ſui vllum diſpendium, aut maieſtatis imminutionem; quæ eo gloriæ adſcenderat vt tam opulentum potenſque & amplum Regnum, volens ſibi ſubditum videre ſeruire: quarum rerum quamlibet ſemper incertum exitum habens, conflictus militaris, prudenti rerum cenſori, minatur. Singulis diebus aliquæ intercedebant velut nundinationes, ad alliciendum vulgus militare, nunc his nunc illis quæſitis rationibus: multos dies integros induciæ habuere, paciſque nunc his nunc illis conuentibus mentio occulte iniecta eſt. pleriq; congreſſus Grangæi fiebant, ſatis prope caſtra noſtra. Ex parte Regis illuc venire ſolebat Comes Mainius, ex noſtra SanPaulinus, cum aliis nonnullis. Ipſi Principes ſæpius conſiliis coibant, nec quicquam tamen expediebatur. interim confiebant induciæ; & colloquia miſcebant plurimi vtriuſque partis milites, ſola foſſa latiore diremti, quæ media erat inter caſtra & vrbem, quam vetitum vtrinque erat, etiam per ſuſpenſa arma, tranſire. Vix dies labebatur, quo noſtris non ex vrbe decem vel paullo amplius transfugæ accederent, alia totidem de noſtris ad hoſtes tranſibant: Vnde & loco ipſi poſtea Fori nomen impoſitum eſt, quod quaſi nundinationes quotidianæ illic militum fierent. Mihi hæc conſideranti ita videtur, colloquia conuerſationesque tales, talibus negotiis damnoſas prorſus eſſe, præcipue illi qui minores altero ſucceſſuum ſpes habet. Per naturam enim plerique hominum ſolum aut augendis rebus ſuis, aut ſaluti quoquomodo tuendæ, intentos ſen-

ſus habent.Quod facit vti à fortioribus nullo fere negotio abſtrahantur. Alii ſunt adeo firmi, vt neutrum horum reſpiciant vel attendant; verum horum vbique magna eſt raritas. Certo autem certius tum periculum eſt, cum aduerſariis eſt Princeps aptus alliciendis hominibus, quam ſingulari Dei munere gratiam tribui æſtimandum eſt, eſtque euidens ſignum tali homini minime animum eſſe ſuperbiæ macula inquinatum, quæ gignit odia omnium cum quibus conuerſetur quiſpiam. Propterea, vt incepi dicere, cum ad tales pacificationis velut nundinationes ventum eſt; negotium committendum eſt non niſi fideliſſimis miniſtris, quos inter omnes maxime perſpectos habent principes, quique integra ætate ſint; ne imbecillitas ipſorum in quicquam inhoneſti conſenſum eis extorqueat, neve redeuntes Dominos ſuos expauefaciant vltra quam opus ſit: præterq; alios talibus præficiendos arbitrer, qui inſigniori aliquo beneficio Principibus obligati ſunt: omnino autem cordatis hominibus vſus eſt; ope fatui enim nemo vmquam res ſuas meliores fecit; tractationes ipſæ ſecurius ex longinquo fiunt, quam vbi prope adſunt partium Duces. Cum reuerſi Legati fuerint, audiendi ſunt ſecretim ſoli à ſolis, aut paucis omnino idoneis rei, adhibitis. Idque eo fine, vt ſi quid vulgo metuendum eorum ferunt verba, edoceri poſſint quid cuique inquirenti reſponderi oporteat. Nemo enim ex his non rem geſtam audire atque expiſcari cupit, cum reuerſos viderit de talium rerum tractationibus. Plurimi dicunt, hic mihi nihil mentietur, nullam nec rem celabit. Omnino vero celabunt omnia, ſi tales erunt quales ad negotia hoc genus legendos iam diximus, ſiquidem perſpectum habebunt Sapientes cordatosque ipſorum eſſe Principes.

CAPVT DECIMVM.

Digreſſio ſuper virtutibus vitiisq; nonnullis in Rege Ludovico XI. obſeruatis.

AGgreſſus ſum paullo operoſius tractare hanc materiam, ea de cauſſa, quod infinitas fraudes circumuentionesque in vita mortalium fieri viderim, quibus miſere afflicti ſunt à miniſtris ſuis Domini: expertuſque ſum, & ſæpius & facilius falli Principes faſtu & ſuperbia turgentes, quorum veſania eſt, vt ſermonibus aliorum rariſſime aurem præbere velint, contra facientibus humilitate animi præditis; qui libenter audiunt conſilia aliorum. Inter omnes vero eos quos vmquam vidi cognouique, maxime ſapientia ad explicandum ſe de quibuſuis aduerſitatibus valebat, Rex noſter, Ludouicus Vndecimus: humilimus erat & veſtitu & verbis, quique omnibus amplius laborabat ad ſibi conciliandum hominem quempiam, qui vel vſui ipſi amicus, vel detrimento hoſtis eſſe poſſet. Neque vna vice re non ſuccedente, odio aut iracundia cæpto deſiſtebat, quin pertenderet ſuperare & ſibi deuincire quem propoſuerat: ita vero pertendebat, vt nullis vel promiſſionibus, vel & præſenti argento parceret, quin & officia & dignitates largiens qualeſcunque tali homini cordi eſſe nouerat. Quantum vero attinet eos quos ſecundioribus rebus amouerat, & velut eiecerat, nullis ad redimendos ſumtibus parcebat, cum opera eorum opus haberet, fidebatque illis, omni ob res præteritas odio ſublato. Natura ingenium eius fauebat hominibus mediocrium fortunarum, omnium potentium hoſtis erat, quos quocunque pacto ſupra ipſum aſcendere poſſe ſuſpicabatur. Nemo homo natus plurium ſermonibus aurem præbuit, nemo tot expiſcatus eſt, nemo plurium hominum cognitionem ambiuit. Certe affirmare licet omnes viros,

ros, qui insigniori paullo essent auctoritate, & pondere, in aulis Angliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Italiæ, Regionibus Burgundicæ familiæ Britanniæq; principibus subditis, notos habuisse, non secus quam familiarium suorum aliquos. His artibus, quibus assuetum diximus, hisque moribus, Regnum sibi seruauit. Omnibus vero his maiore vsu ipsi fuit liberalitas largitionum. Vti enim aduersas res summa prudentia moderabatur, sic contra, cum securo viuere liceret, vel induciis saltem frui posset, illico grauis esse incipiebat suis, orsus à minutis quibuslibet principiis, vnde parum posset ad eum emolumenti redire: neque quicquam minus tolerare norat pace. Omnino præceps erat de hominibus loqui, idque tam eorum præsentia, quam absentibus, his solis demtis, quos timebat. Quorum quidem non exiguus erat numerus, natura enim meticulosus admodum fecerat. Vbi vero loquendo suis rebus aliquod damnum dedisset, aut dedisse metueret, culpamque emendare vellet, non pudebat, ipsum, quem læserat, alloqui in hæc verba. Noui linguam mihi meam sæpe ingentia incommoda peperisse, contra illa quoque magnis me sæpe vtilitatibus mactauit; Attamen opus erit emendare me hanc noxiam. Rarissime familiarius quem alloquebatur, vt non simul beneficio aliquo adficeret; neque hęc parca manu, aut exigua dare nouerat. Magna certe diuinitus gratia præditus est princeps, qui discernere nouit bonum & malum; præcipue vero cum Bonorum potiorem rationem habet: quam habebat certe iste Rex noster. Mea autem sententia angustiæ rerum, quibus in adolescentia intricatus fuit, cum à parente fugatus ad Burgundiæ Ducem Philippum se contulit, penes quem sex integros annos commoratus est, plurimum ipsi profuerunt: Coactus est enim tum accommodare sensus suos iis quorum indigebat assistentia: hocque,

que,quod non exiguum ſane eſt, debuit aduerſitatibus ſuis,bonum. Cum iam emerſiſſet omnia,vt ſolium teneret Regium, iamque poteſtatem abſolutam primum adiiſſet,nihil tam verſabat animo,quam vindictam: cito autem hoc ſtudenti damna clariſſima obuenere, paullatimq; pœnitudo euidens ſubſecuta eſt. itaque reparare amiſſa;& errorem culpamque emendare voluit, reuocatis,reconciliatiſque ſibi iis, quibus iniuriam fecerat, vt proceſſu harum narrationum percipietis. Quod ſi aliter educatus non fuiſſet,quam fieri vidi plerisque cæteris hujus Regni magnatibus, nequaquam credidero tot calamitatibus eluctaturum fuiſſe. Non enim his quicquam Inſtitutores præſtant,niſi vt fatuos in veſtitu & ſermonibus faciant. Litterarum cognitionem omnem procul habent. Nullius ſapientis hominis ſermones audiunt, aut conuerſationi adhibentur. Præceptores Gubernatoresque ipſis ſunt,ad quos negotia eorum referuntur,nihil horum ad ipſos peruenit:illi omnia dominorum curant, vt volunt. Vidiſſe memini hoc genus Heroas, quorum cenſus vix annuos decem Solatos faceret, qui gloriæ haberent poſſe dicere percontantibus: alloquere horum gratia homines meos: exiſtimantes hoc ſe ſermone exprimere ſummos Principes. Sæpe quoque animaduerti à miniſtris inſigniter eludi magnates,fatuitate eorum commodis ſuis abutentibus, ipſoſque pro aſinis legitimis habentibus. Quod ſi forte fortuna aliquis ſenſuum ſuorum reminiſcitur, velitque rationes rerum ſuarum ipſemet intelligere, res eo iam redacta eſt,vt ſera ſuccurſui labentis ſint remedia. Ad hæc notandum eſt, quicunque mortalium ad ſumma aliqua faſtigia aſcenderint, resque inſignes geſſerint, ſumma adoleſcentia eas aggreſſos eſſe. Hoc vero vt efficiatur aut præſtant inſtitutio, atq; educatio, aut ſingulari dono gratiæ diuinæ confertur.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

Vt Burgundi, prope Lutetiam considentes, dum egressum Regiorum ad prælium exspectant, cacumina senticeti cuiusdam per nubilum diem visa, pro lanceis equitum erectis habuerint.

VErum longius iam nos ista auexere à proposito; sunt enim talia, vt ad ea diuertentes, nequaquam redire in viam, cum libuerit, valeamus. Sed ad rem. Audistis iam, qui ista legitis, eos, quos Rex extra vrbem in effossis munitiunculis, ad Sequanæ ripas, collocauerat, ea loca reliquisse cum nostri aggressuri eos pontem transire cœpissent. Induciæ non fiebant, nisi vnius aut duorum dierum. Cæteris pugnæ, & omnia bellica, continuabantur; tam sæpe asperis concursibus, vt integris diebus conflictus, minuti quidem, summa tamen contentione facti, non intermitterentur, à primo videlicet mane ad Solis occasum. Ingentes quidem cunei ex vrbe non emittebantur, sæpius tamen manipuli Speculatorum nostrorum repellebãtur, vt summissis subsidiis opus haberent. Non memini vel vnum solum diem præteriisse, vt pugna aliqua non committeretur, quamcunq; minuta etiam. Crediderim sæpius Regi consilium fuisse, vt maioribus copiis res gereretur, verum plurib. occupatus erat suspicionib. non paruis, fere sine caussa. Narrauit deinde ipse mihi sese per noctem semel Arcem S. Antonii, quam Bastillam vocant, patentem offendisse, idque ea porta qua extra vrbem eatur. Quæ res ingentem ipsi suspicionem in Carolum Meluniũ dederat, cuius pater castro illi præfectus erat. De ipso hoc viro aliud nihil scribo, quam quod modo retuli; hoc tamen certum est meliorem Regi toto eo anno seruitorem non fuisse. Alia quadam die in Vrbe consilium captum est, nos acie aggrediendi, vt arbitror, sine Regis consensu, militiæ Præfectorum conatu, idq; ex tribus prorsus partibus. Primi recta ad vrbem con-

confidentes inuecturi erant: hique robore præcipuo copiarum: Alteri ad pontem Carentonium, qui quidem nihil omnino damni potuissent dare: Tertium agmen ducentorum cataphractorum ad Bois de Vincennes assilire nostros debuerãt. Huius decreti indiciũ nostris fecit seruulus quidam, ex aduersa fluminis parte clamore, ad mediam noctem, excitatis vigilibus nostris. Erant enim apud hostes beneuolentes Principibus, qui tantæ rei eos commonerent: hic & quosdam nominabat, & celeriter ad suos regrediebatur. Cum prima diei luce adfuit Poncetus Reuireius pontem prope Carentonium ex vna, altera vero ex parte Dominus de Lau ad Bois-de-Vincennes; qui excurrere vsque ad ipsa tormenta nostra, vbi & horum quempiam magistrum interfecere. Tumultus ingens tota castra peruectus est, opinantibus cunctis hoc illud esse, quod de nocte seruulus prodiderat. Carolus illico in armis fuit, prior tamen Dux Calabriæ: omnibus enim casibus hic primus armatus conspiciebatur, totis quidem partibus, equo pariter instructo. Erat vestitus more vsuque Principum militari Italicorum, ipsoque conspectu & Ducem præpotentem, & egregium militem præferebat: rectaque ad nostra munimenta ex suis contendere sueuerat, vt excitaret militem; tantumque illi in castris auctoritatis erat, quantum ipsi Carolo: Etiam vulgus omne militum summa ipsi beneuolentia parebat: & profecto dignus erat qui ab omnibus honoraretur. Momento velut vniuersus exercitus armabatur, pedites plerique, quam longa carrago erat, intus castra, secus eam constiterant; exceptis ducentis præterpropter Equitibus, qui speculatum aberant. Non vidi toto hoc tempore spem prælii nobis fieri, præterquam hoc die, quo nemo non pro certa eam habebat. Eodem mox aderant Britannus & Biturix, armati, quos tales ad eum diem non videram. Biturix omnibus armis

 indu-

indutus erat: paucos omnino milites adducebant. Sic euecti campum, paullo vlterius processere, quærentes Carolum, & Ducem Calabriæ, quos vbi attigissent, iuncti colloquebantur. Equites nostri, confirmatis animis, propius vrbem adequitabant, multis obuiis aliis, qui ad tumultum in castris auditum, conuolabant. Tormenta nostra acriter prorsus repellebant eos, qui de copiis Domini de Lau propius accesserant. Regia, insigni præstantia, ex ipsis vsque vrbis muris ad castra nostra tela egere: mirabili quidem efficacia, cum duorum milliarium spatium intercederet: quod singulari aliquo Artificum commento patratum existimo, leuatis tormentorum, puto, in erectos stipites, orificiis. Horum vtrinque immanis sonitus nemini non persuadebat grande omnino negotium præ manibus esse. Dies erat prænubilus, aerque obscurus admodum; itaque Equites nostri, qui vrbem propius processerant, aliquam hostilium partem lanceariorum, non longe conspicabantur, remotius vero, vt ipsis videbatur, prorsus ingens aliorum multitudo, erectis hastis, constiterat: quos arbitrati omnem Regii Equitatus copiam esse, in aciem prodeuntem, iunctis Parisiorum ciuibus; recta ad Principes reuersi, rem, vt imaginati erant, retulere, certos eos facientes de Regis ad conflictum animo. Qui ex Vrbe Equites emissi fuerant, cum nostros retrocedere cernerent, consectabantur sensim, quæ res opinionem de toto exercitu pone sequente, eis confirmabat. Tum Dux Calabriæ eum locum accessit, quo Vexillum principale Caroli tenebatur, cum familiarium satellitumque comitatu, paratus Insignia suorum armorum soluere, &, qui mos domus erat eius, Vexilla dare auris: post allocutus nos in hæc est verba: Adeste nunc, strenui nostri milites, eccum quod tantopere omnes optauimus. Rex cum omnib. copiis suis vrbe egressus, ad nos cótendit,

dit, vt Equites nostri renunciant, pugnæ copiam factu-rus: nunc quiuis fortitudinem suam ostentet; illi nostra quærunt, potius est nos spolia ipsis, quorum in vrbe infinities maior copia est, sua intra propugnacula demere. Sic ille verbis virtutem militi addere studebat. Nostri interea Equites respirare cæperant, animumque recipere, cum viderent tam exiguum hostium numerum esse, quibus cesserant. Ita denuo ad Vrbem speculabundi processere: eo cum ventum esset, vnde paullo ante immanem illum hostium numerum vidisse arbitrabantur, animaduerterunt agmina illa eodẽ loco perstare, quæ res alia eos cogitare compulit, itaque quam prope possent, accedere decreuerunt. Sol iam altius prouectus diem fecerat clariorem, itaque semotis nubilis perspexere carduorum præcelsorum cacumina esse, quas ipsi erectas hostium hastas credidissent: sic ad ipsas vsque portas ciuitatis procurrentes, neminem prorsus offendere: quare Principibus extemplo nuntiata, sacris audiendis ciboque capiendo iam accinctis, ipsi superuenere: pudorem habentes non mediocrem tantis rerum turbis excitatis. Sed seruuli indicium, & tempestas nubila, culpam illis facile exemere.

CAPVT XII.

Vt collocuti sint Rex & Carolus, spe conciliandæ Pacis, quasq; hic conditiones posuerit.

NEgotiatio pacis inter hæc numquam cessabat: strictior quidẽ inter Regem & Carolum cæteris, quoniam summa rerũ penes hos erat. Postulata Principum erant magnifica, præcipue Biturigis, qui Normanniam, vt hæreditate ad se pertinentem, poscebat. Carolus restitui sibi volebat vrbes ad Somonam sitas, Ambia-

num, Abbauillam, Sanquintinum, Peronnam, & alias, quas Rex quadringentis Solatorum millibus redemerat vix tribus ante bellum hoc mensibus, possederat vero à Pacificationis Atrebatensis tempore Philippus Dux pignori à Carolo Septimo Rege traditas. Caussatio Caroli erat, ipso superstite nullo iure Ludouicum eas recipere potuisse; enarrantis, quam contra Rex Burgundicæ domui multa deberet. Toto enim eo tempore quo à Patre fugitiuus, penes Caroli parentem sustentatus ex dignitate fuerat, sex videlicet annis; mortuo vero, quem fugerat, Rhemos vsque, ad Coronam capiendam, & exhinc Parisios, Burgundi sumtibus deductus. Itaque loco insignis ignominiæ illatæ ipsum accepisse redemtionem harum ciuitatum. Tantum pacis huius nomine vltro citroque actum fuerat, vt mane quodam Rex secundo flumine in conspectum vsque exercitus nostri veniret, Equitatu quidem ripam omnem tenens, ipsa autem, qua vehebatur, naue, non vltra quinque hominibus comitatus, iis exceptis qui remos ducerent. Erant cum eo Dominus de Lau, de-Montauban, tum Admiralius Franciæ, Dominus de Nantouillet, & duo alii. Comes SanPaulinus cum Carolo aduersa ripa constiterant, aduentum Regis præstolantes. Is vt primum audiri potuit: Frater, inquit, tua fide ad te accedam? (Carolo quippe desponsata fuerat soror Regis.) Tum Burgundus; mea vero, retulit, & vt ad fratrem. Rex cum dicto exscendit in terram, secutis quos modo nominauimus. Comites duo exquisitis eum honoribus excepere, vt maiestas tanti Regis postulabat; ipse vero, talium minime parcus, loqui orsus. Frater, inquit, cognoui iam re ipsa Nobilem te vere virum, & agnatum Regiæ Francorum stirpi, esse. Tum, Carolus: & qua in re? inquit, Domine. Ea re, retulit Rex, quod cum nuper Legatis ad Patrem tuum auun-

Alibi nouẽ dicit, quod eo loco omisimus.

auunculum meum, teque ipſum, Inſulas à me miſſis inter eos, homo non ſatis mentis compos, Moruillerius tam egregie te conueniſſet, mihi per Archiepiſcopum Narbonnenſem, inſigni virtute, omnibuſque perſpecta amataque, virum, renunciari feceris, pœniturum me eius ſermonis, quem meo nomine Moruillerius tecum habuiſſet, idque ante elapſum anni ſpatium; nunc vero promiſſo tuo tam luculenter ſteteris, etiam prius quam tempus eius adſit. Hæc verba medio inter riſum ſerietatemque vultu Rex bona cum gratia protulit, notum videlicet ingenium habens eius, cum quo ipſi res erat, quodque is libenter admodum ea auditurus eſſet. Et certe non fefellit eum coniectura, grata enim omnino Carolo fuere. Addidit mox: Talium hominum mihi imprimis placet conuerſatio, qui norunt re facere fidem promiſſionibus. Inuectus porro eſt in Moruillerium, affirmans, nihil ſe, eorum verborum ei iniunxiſſe, quæ effutiuiſſet, ſua ſtultitia. De cætero non breui tempore medius duorum Comitum deambulauit. Ex noſtra parte copioſus miles in armis iuxta ipſum colloquii locum adſtabat. Poſtulatæ deinde ſunt, pro Biturige Normannia, littoralia Somonæ oppida, pro Burgundo, cum aliis vice aliorum, petitionibus; adiecta etiam quædam publicum, Regni bonum cernentia, indicia, pleraque ante iam oblata. Hæc vero illo loco minima pars negotii erat, priuata enim commoda iam Communium nomen obglutiuerant. De Normannia nullo genere quicquam audire Rex voluit. Carolo quod petitum erat, aſſenſus eſt; cuius in Gratiam SanPaullino obtulit quoque Coneſtabliatum Regni. Valedictio perquam humana fuit; ſicque Rex nauigium ingreſſus Vrbem repetiit; noſtri Conflantiam rediere. Et ita quidem tranſibant hi dies, pars induciis, pars bellicis actibus. Cæterum o-

omnes pacificandi tractationes exſpirauerant , eas dico quarum gratia delegati vtriuſque partis Grangæi toties iam conuenerant,reique omnis ſumma inter Carolum & Ludouicum ſigillatim verſabatur. Hi quotidie fere hinc inde per nuncios colloquebantur, non obſtante belli tumultu.Ex noſtris partibus traduces negotii erant Gulielmus Priſcheius, & Gnilliottus Diuſius, Caroli vterque ex miniſtris: vterque tamen anteà Rege beneficiis erat affectus. A Philippo enim Duce ambo in exilium acti , à Ludouico fuerant excepti, interceſſione Caroli. Hæ commeationes minime omnibus gratæ erant , & iam Principes cæperant ſuſpectam alter alterius fidem habere ; quod ſi ſequentes dies aliud remedium non intuliſſent,procul dubio pudendo abſceſſu mutuam beneuolentiam rupiſſent. Vidi tres cæteros conſilia ſeparatim communicare,magnis Caroli ingratiis , in cuius præſentia iam tertium hoc fiebat , cui omnino indigna res videbatur, magnique ponderis quid tractari , quod ipſum cælari oporteret, tum maxime conueniens intelligi. Retulit hoc Carolus ad Contæum,hominem,vt alibi dictum , primæ inter ſapientes notæ: ab eo hoc conſilium habuit: Patienter ferret, ſi enim vltra commoueret Principes , illos facilius ad pacificationem ipſo venturos : vt ipſius eſſet ſummum inter confœderatos robur , ita conuenire eſſe & Sapientiam.omnino autem cauſſas ipſis diſſidiorum nullas daret,quin omni conatu iunctos contineret. Cætera omnia diſſimulanda venire. Reipſa vero certe multos mirari , etiam familiariſſimos ipſi , tantam rem,tam abiectis, humilibusque , hominibus credi,vt ſint quos modo nominauimus , præcipue accedente eo periculo , quod cum tam notæ liberalitatis Rege negotium foret. Oderat alterum ex his , Biſcheium, Contæus, tamen eiuſdem cum eius dictis ſententiæ plu-

plurimi cæteri erant : neque eum ego ſecundum affectum ſuum,ſed ad rei veritatem,locutum exiſtimo. Placuit Carolo conſilium, comparauitque ſeſe ad maioris amicitiæ ſigna confœderatis exhibenda; hilariorem etiam erga eos ſeſe faciebat,& familiarius ſingulis conuerſabatur,etiam eorum amicis, quos intimiores nouerat, quam conſueuerat. Certe,quantũ ego iudicare poſſum, omnibus his magnopere opus habebat , resque in eo erat,vt citra hoc remedium ſolueretur omnis confœderatio. Talia negotia requirunt conſilium hominis exercitati & ſagacis , ad continendas hoc genus ſocietates; neque,ſi credere modo quiſpiam velit , pretium vllum magni habeatur,ei comparando. Ego vero nullum vnquam cognoui principem qui potuerit pretia hominum dignoſcere,priuſquam eo res eius veniſſet,vt ope eorum opus haberet. Quod ſi maxime quis Magnatum talẽ aliquem cognouerit,rebus florentibus,nihili illum pendit; fauetque potius illis, & conſilia communicat, qui grati ſunt animo, vel propter ætatem , vel paritate morum, aut perſuaſione hauſta de aliquibus eorum virtutibus; vel & quod clandeſtinis ipſius deſideriis aliquando adfuerint , eaque ad ratum expediuerint. Quorum vero intellectus eſt melior,cum fortuna reflauerit, illico reminiſcuntur idoneorum , & quouis pacto eorum operam ſibi reconciliant. Talem expertus ſum Regem Ludouicum, Comitem Charolæum, de quo nunc ſermo eſt, hoc quidem præſenti facto , & Regem Angliæ Edouardum,alioſque complures. Tres hos iis temporibus vidi, quibus opus maxime habebant bonis conſiliariis,indigebantque eorum ſuccurſu , quos ante contemſerant. At Carolus cum primum Dux Burgundiæ, dominuſque omnium paternarum prouinciarum factus eſt,iamq; fortuna illum altius collocauerat,quam maiorum eius quiſquam adſcendiſſet , adeo vt longe

lateque neminem sibi parem principem metuere haberet, Deus eum eousque arrogantiæ delabi passus est, tantumque intellectum eius obbrutescere siuit, vt omnium hominum consilia præ suis persuasionibus nihili haberet, sibi soli crederet, summamque sapiendi adscriberet: Hinc factum est vt sese ipsum indigno ærumnosoque exitio iniecerit, cum infinito subditorum militumque suorum numero; familiamque suam in eam redegerit desolationem, quæ nunc omnium oculis obuersatur.

CAPVT XIII.

Vt Rotomagus Ducis Borbonii fidei tradita fuerit, restituenda Biturigi; vtq; Pacificatio Constantiensis omnibus articulis conclusa.

QVoniam superius monui damna manifesta intercurrere tractationibus, inter partes bello conflicturas, susceptis, idque verbis quamplurimis: quodque Principes omnino caute talibus negotiis inuersari debeant, sagaciterque animaduertere, quibus hominibus ea concredant, præcipue vero is, qui aduersario se imbecilliorem sentiat, nunc ea recitaturus sum, quibus cognitis nemo non intelligere possit, quibus de caussis huic disputationi tam diu sim immoratus. Dum vltro citroque ex Burgundia Regiaque, partibus, per conuentus, propositiones, tractationes, & alia talia, de pace ineunda consilia versantur; loco huius occultis machinationibus effectum est, vt Normanniæ Ducatus sese transferret in potestatem Ducis Biturigum, quem vnicum Rex fratrem habebat: vtque ille hæreditatis partem, sibi debitæ, eo loco occuparet, Biturigibus Ludouico relictis: hæcque negotiatio ita transacta est, vt Seneschalli Magni Norman-

niæ

niæ coniux, nonnullique partium eius, vt cognati ministrique, Iohannem Ducem Borbonium reciperent in arcem Rotomagensem, vnde mox ciuitatem ipsam introiret. Ea ciuitas extemplo in mutationem hanc domini consensit, vt enixe cupiens gubernari à Principe peculiari, Normanniæ suæ semper præsente. Idem fecere vniuersæ cæteræ Ducatus ciuitates, & castella, paucis prorsus exemtis. Hoc genus semper huic regioni in votis fuit, & certe non absque bona ratione. Est enim ita comparata, vt magno propritim principi parere digna sit, opulenta in primis prouincia, & redituum insignium. Mihi constat annua noningenta & quinquaginta millia Francorum inde capta esse; alii summam vltra tendunt. Vbi ciuitas, vt dictum, occupata est: omnes incolæ fidem sacramento addixerunt Duci Borbonio, vice Biturigis; excepto Balliuo, (quem Rex inter cameræ suæ ministros (ut vocant hodie) educari fecerat, cum in Flandria degeret, habebatque summe familiarem,) & alio quopiam, nomine Wilhelmo Poquarto, post Præfecto militiæ Normannorum, tertioque Seneschallo, qui nunc est, eiusdem Prouinciæ; qui & ipse iuramentum recusauit, confestimque ad Regem se contulit, aduersante licet matre, quæ mulier princeps, vt dictum, negotio huic præfuerat. Rex, cum primum harum rerum nuntium accepit, conclusit pacem cum principibus inire, perspiciens, non se posse factam rem infectam reddere. Statim itaque misit ad Carolum cupere se denuo ipsi colloqui, indicans horam qua in campi destinatum conuentui locum prodire vellet. Qui quidem erat prope castra nostrorum, iuxta Conflantiam. Statuta hora ex vrbe Rex adfuit, stipatus non amplius centum equitibus, de custodia corporis sui, plerisque Scotis natione; perpauci ei alii adfuere. Carolus pene nullos secum milites adduxit, si-

ne omni pompa progrediens; tamen ſecuti eum ſunt plurimi, vt ad vltimum plures longe Regiis haberet. Vtrinque iuſſi ſunt ſatellites retro paullum concedere; ipſi ſoli deambulauere aliquo tempore: tum Rex indicauit Carolo; pacem iam eſſe compoſitam, recenſens ipſi quæ acta Rotomagi fuerant, quæ latebāt adhuc Burgundum, adiecitque; ſuo ſe quidem arbitrio numquam eo pacto inter ſe fratremque hæreditatem fuiſſe creturum; verum cum proprio motu ſuo Normanni talem rebus ſuis mutationem intuliſſent, ſeſe eidem conſentire; & ſubſcripturum iis omnibus Pacificationis articulis, qui præcedentibus fuiſſent diebus tractati. Quæ reſtabant pauca, eorundem pariter inita eſt compoſitio. Carolum magna hæ res lætitia perfudere, exercitus enim eius in ſumma iam penuria & argenti, & victui neceſſariorum, erat: & ſi hæc fortuito non ſuperueniſſent, coacti tamdem Principes ſoluere exercitum, pudendo tantorum conatuum exitu, diſceſſiſſent. Tamen ipſi vel eo adhuc die, vel ſequentium proximo aliquo, ſubſidium, venit domo, à Patre Philippo ſubmiſſum, Duce Domino de Saveuſes: Centum nimirum & viginti Cataphracti equites, mille quingenti ſagittarii, Centum quinquaginta millia Coronatorum, duobus aduecta ſaumariis, magnusque aceruus arcuum, telorum, neruorum, quæ res optime ſubuenit copiis Burgundicis; quippe iam metu non inani erant, ne, ipſarum ratione nulla habita, cæteri principes cum Rege tranſigerent. Hæc pacis concluſio tam grata fuit & Regi & Carolo, vt hunc poſtea referentem audiuerim, tam beniuole eos de componendis cæteris ſermonem habuiſſe, vt non animaduerſo quouſque procederent, recta ad vrbem eundo ſint ablati; & eouſque progreſſi, vt intrauerint caſtellum grande quoppiam, quod ceſpite atque

tra-

trabibus rex compingi fecerat, ſatis longe à caſtris noſtris, ad initum foſſati cuiuſdam, cuius altrinſecus exitus in ipſam vrbem duceret. Cum Carolo erant ad ſummum quinque viri; cumque munimentum hoc iam ingreſſi eſſent, obſtupefacti mirifice fuerunt, tum primum cognoſcentes quo ardor colloquii eos abſtuliſſet. Tamen Carolus rem, vultu & geſtibus vt poterat, diſſimulat: Vt vero vulgatum in exercitu eſt Principem cum Rege munitionem intraſſe; ſummo omnia fremitu impleta ſunt. Comes SanPaulinus, Mareſchallus Burgundiæ, Contæus, Haultburdinus, aliique complures, multum de eo, deque eius ſtultitia queri cœperunt, vt de iis quoque qui comitati ipſum eo fuerant: his allegabant infortunium, quod auo ipſius obuenerat ad oppidum Montereau-faut-Yonne, præſente Carolo VII. Rege Franciæ. Illico in caſtra conuocatum eſt, quicquid per campum noſtrorum hominum ſparſum erat: Mareſchallus autem Burgundiæ in hæc verba prorupit. Si princeps iſte adoleſcens & delirus, ſibi inſipientia ſua exitium confecit, noſtrum non eſt familiam herilem perdere, aut parentis eius noſtriſque virtutibus dedecori eſſe. Idcirco mea ſententia eſt quemlibet ſe in ſuum recipere contubernium debere, nec, quæcunque ſupervenire poterit, fortunam metuere: ſatis enim, ſi vno animo ſumus, roboris nobis ſupereſt, vt honeſte retrocedere ad confinia Hannoniæ, Picardiæ, vel & Burgundiæ, valeamus. Ab his verbis, ſocio SanPaulino, equum adſcendit, ſeque caſtris eiicit, ſpeculabundus obequitans, an quempiam ab vrbe venientem conſpicari poſſit. Cum eo ſtatu aliquo tempore hi fuiſſent: videre procul venientem quadraginta vel quinquaginta Equitum turmam, quæ reducebat Carolum, ſtipatum ex Regis familiaribus inſuper nonnullis, & Sagittariorum manu.

nu. Ille, cum ſuos accedere videret, veniam retrocedendi Regiis dedit, & ad Mareſchallum conuerſus eſt loqui, quem metuebat, ſolentem obiurgatoriis verbis vti, & delicta aſpere caſtigare, vt homo erat magnæ opinionis, & vetus fidelitatis perſpectæ, adeo vt in hæc dicta auderet venire. Ego tibi non ſeruio niſi mutuo acceptus, idque quamdiu ſupererit Pater. Caroli autem verba hæc fuerunt: Ne ſæuias; ipſe enim agnoſco quantum peccauerim; verum ſero animaduerti, nec prius quam ad ingreſſum caſtelli veniſſem. Hinc pluribus eum Mareſchallus ſui admonuit; ad quæ omnia inclinato capite, nihil repoſuit. Sic caſtra ſua repetiit, omnibus exſultantibus recepto, & fidem Regis cœlo efferentibus. Neque vmquam poſtea in poteſtatem Ludouici reuerſus eſt.

CAPVT XIV.

De pace inter Regem Ludouicum, & Carolum, eiuſque confœderatos, inita.

SVmma rerum ſupererat, pacem, omnibus acceptam, concludi. Poſtridie Carolus exercitum, in ordines redactum, patenti campo induxit, vt rationem iniret, quantum perdidiſſet, quantumque ipſi militum ſupereſſet. Rex improuiſus cum quadraginta Equitum comitatu ſuperuenit, circumuectuſque eſt vniuerſos cuneos, illo excepto qui parebat Mareſchallo Burgundiæ, qui in eum prorſus inimico animo erat, quod in Lotharingia Pinalem ciuitatem ipſi Rex dediſſet, eamdemque paullo poſt repetiiſſet, donandam Duci Calabriæ. vnde maximo damno affectus fuerat Mareſchallus. Rex paullatim reducere ſecum in gratiam moliebatur nobiles & cordatos viros, qui patri ipſius ſtrenue ſeruierant,

rant,ab ipſo vero, cum ad gubernationem Regni accederet, exauctorati fuerant; eaque de cauſſa exercitui huic acceſſerant, agnoſcebat enim hac in parte rex delictum ſuum. Decretum hinc fuit vt ſequenti die Rex in Caſtrum Vincennenſe veniret, eodemque ad eum omnes, qui fidelitatem ipſi iuramento ſponſuri eſſent. Vt id ſecuritate plena fieri poſſet, ſtatuit arcem eam in poteſtatem tradere Caroli. Eo die,vt deſtinatum erat, in dicto caſtro comparuere Rex primum, deinde quotquot Principes aderant, ne vno quidem excepto. Portæ & introitus, Burgundionibus armatis omnes conſtipabantur. Lecta fuit Pacis ibi concluſio. Carolus,Dux hactenus Biturigum, Sacramentum Regi fratri dixit,nomine Ducatus Normanniæ: Carolus ciuitatum Picardiæ, de quibus ſupra diximus, quique alii talibus beneficiis illi erant obligati ſua egere. Comes SanPaulini ratione officii ſui iurauit, futurus exhinc Regni Coneſtablius. Nullibi Nuptialia tam laute parata ſunt, quin de epularum defectibus aliqui querantur, vt eſt in prouerbio. Pars votorum ſuorum ſummam obtinebat, alii nihil de tantarum lætitiarum fructu participabant. Aliquos ſupradictorum virorum ad ſe Rex reduxit, maior tamen pars manſit apud Britannum, & nouum Normanniæ Ducem, qui Rotomagum illinc profecti ſunt, vt poſſeſſionem hic deſtinatæ ſibi prouinciæ,adiret. Ad diſceſſum è caſtro Vincennenſi, valedixerunt ſibi mutuo, & quiſque in ſuum abiit contubernium. Pax vero omnibus inſtrumentis,donationum, conceſſionum, & quicquid talium requiri poterat,perſcriptis,confirmata eſt. Vno eodemque die Duces Normanniæ & Britanniæ diſceſſerunt, primo, vti dictum, in Normanniam, iunctim, poſt Britannus ſuam repetiturus prouinciam. Carolus iter retro, Flandriam verſus,parabat, quem abſcedentem

tem Rex inuisit,comitatusque ad Villierium est vsque, qui est pagus quarto Parisiis milliari dispretus, ibi ambo noctem eam commorati sunt, rege omnia faciente vt Carolo persuaderet magnopere sese amicitiam eius desiderare. Eo itinere parum copiarum Rex habebat,mandatum vero suis reliquerat, vt ducentos Equites submitterent, qui reducerent reuersurum : hoc edoctus Carolus,cum iam cubitum se conferret, suspicionem vehementem hausit doli, subitoque bonam suorum partem in armis esse iussit. Hinc perspicere licet fere impossibile esse duos Principes è potentioribus, solide conuenire in amicitiam, cum tantum sit relationum, & ex iis suspicionum, nouarum in singulas horas. Itaque consuluerim hoc genus Proceres numquam oportere in mutuos venire conspectus, siquidem sese amare inter se velint. Sed per legationes bonorum & sapientium hominum sese consalutare, & familiaritatem sustinere,quibus ipsis etiam ad emendandos,si qui inciderint,errores,vti poterunt.

Postridie Rex & Carolus, dicta valedictione, catis & amicis verbis,segregati etiam sunt. Rex versus Lutetiam, comitatus iis, quos euocauerat, suspicione eorum ipso opere confutata, qui sinistri quid de eo conceperant. Carolus iter per Compiegnam & Nouiodunum tenuit,quo toto omnes apertis illum portis, mandato Regis,ciuitates, exceperunt. Illinc Ambianum se contulit, vbi Sacramentum fidelitatis illi littorales Somonæ vrbes, quarum possessionem hac pacificatione recuperauerat, præstitere. Non diu inibi commoratus in Leodiensium agrum mouit; quod illi iam quintum aut sextum mensem, dum ipse abest, bello patrias ditiones, in territoriis Brabantiæ & Namurci, vexauerant, iamque ipsius etiam exercitum semel inua-

serant.

ſerant. Tamen ratione hyemis, non erat integrum magni aliquid moliri: nihilominus non paucos vicos incendio populatus eſt, prædamque ex agris eorum plus vna vice egit: paullo poſt commiſſa pax eſt, iuramento ad ſeruandam obſtrictis Leodienſibus, & ingenti contra pecuniæ ſumma promiſſa: Sicque Carolus in Brabantiam reverſus.

CAPVT XV.

Vt, occaſione diſſenſionum, inter Britanniæ & Normanniæ Duces, Rex, quod fratri paullo ante ceſſerat, vi retraxerit in ſuam poteſtatem.

VTi ad Duces Normanniæ & Britanniæ modo reuertamur, qui profecti erant ad adeundam poſſeſſionem Ducatus Normanniæ; confeſtim, poſtquam Rotomagum intrauere, diſcidia inter eos orta ſunt, cum præda nimirum diuidunda foret. Erant quippe adhuc tum in comitatu eorum Equites illi quos ſupra nominauimus, ſuetos magnis honoribus bonaque auctoritate eſſe in familia Caroli Regis; hi ſua pro ſe quiſque commoda ſpectabant, præſpicientes Regi fidere non poſſe, itaque ex principum bonis quiſque ad ſe, quæ poterant, trahebat. Ex altera parte Britannus gubernationem participare volebat, quippe qui maximo momento fuerat ad fœdus coeundum, vt ſumtuum bellicorum pleroſque ſuſtinuerat. Hæc eorum diſſenſio erupit, vt Britannus neceſſe haberet, ſaluti ſuæ conſulturus, ad montem San-Catharinæ, prope Rotomagum ſitum præſidium, confugere. Odiaque in tantum excreuere, vt milites Nor-

Normanni,iunctis ciuibus Rotomagensibus, parati essent eo loco eundem deiicere:quo timore coactus, relictis rebus,in Britanniam suam se reduxit. Dum hæc disceptantur, Rex regioni propius propiusque accedebat. facile coniectu est, quid suarum rerum hoc casu acturus fuerit,qui insignis talium erat artifex. Sic qui oppida melioris census seruabant, cępere paullatim ad eum respicere, & nunc hæc nunc illa, conditionibus ipsis vtilibus,illi tradere. Mihi horum nihil est compertum, nisi quod fando audiui, non enim aderam tum huic prouinciæ. Initum à Rege est colloquium cum Britanno, qui inferioris Normanniæ quædam oppida tenebat, sperante eum à fratre prorsus auelli posse. Conuersati sunt aliquot diebus Caenni, & eatenus conuenere, vt Caennum cum aliis traderetur seruandum Domino de Lescun,cum nonnullis militibus Normannis.Hæc vero tractatio tam obscure facta est,vt ego quidem neutram eam partem satis intellexisse arbitrer. Sic Britanniæ Dux,in suum principatum rediit. Rex retrogressus copias in fratrem recta duxit. Normannus nullo se modo resistendo esse videns,Regemque iam pontem Achensem,cum aliis Ducatus præsidiis occupasse,fugere decreuit,& in Flandriā se conferre. Carolus tum hærebat adhuc ad Sanctœniū,minutū Leodiensis agri vicū: difficultate plurima impeditus; nam & exercitus eius fere disiectus erat, & hibernum tempus, hostisque, quod reliquum erat, afflictabant.Pessime,si quicquam aliud, hoc illum discidium habuit. inter summa enim vota habebat Ducem aliquem proprium Normanniæ dominari: hac quippe ratione vires Regis insigniter imminui, & tertia fere parte, certum erat. In Picardia igitur militem colligi iussit,vt Dieppam muniret præsidio: sed antequam ii expedirentur,

rentur, Gubernator oppidi, Regi id, certis conditionibus, tradidit. Sic ſub iuriſdictionem Regis totus Normanniæ principatus reuerſus eſt, iis tantum locis exceptis, quæ ſecundum pacta Caenni inita, Leſcutius obtinebat.

CAPVT XVI.

Vt nouus Normanniæ Dux in Britanniam confugerit, oppido egenus & miſer, quod ſpebus ſuis excidiſſet.

NOrmanniæ Dux, vt narratum eſt, decreuerat in Flandriam recta confugere. Sed dum in eo eſt, reconciliationem cum Britanno ineundi occaſionem adeptus eſt; vtroque agnoſcente errorem; Diſcidiis enim optima quæque humanorum negotiorum peſſumeunt. Adhæc impoſſibile ego exiſtimo Principes paris fere potentiæ longo tempore firma amicitia frui poſſe; hoc exemto, ſi quis ſuperior omnibus, nulli non in officio continendo ſpeciatim ſupereſſe poſſit: ad quod ipſum etiam admodum ſagace & cordato, ſummæque exiſtimationis homine opus erit, vt pari omnes obedientia continere poſſit. Præſens ipſe plurima, quæ huc referri poſſent, exempla, his oculis conſpexi, neque enim hoc in genere audita loquor: Mortalium communi vitio omnes inclinati valde ſumus ad diſſidia, etiam cum detrimento noſtro, nec fere quiſquam conſiderat, quæ hinc exoriri ſolēt, incommoda; prius quam contigerint: quod ſæpiſſime vidi, dum ego humanis negotiis inuerſatus ſum. Et ita mihi videtur, potentiorem eſſe aliquem Ducem, qui decem millia militum & gubernare & alere poſſit, quam decem alios, quorum cuique pari conditione ſex ſubſint millia, confæderatos vti velint inter ſeſe; cum horum coniunctioni tot quotidie infeſtandæ

occurrant caussæ, vt conciliandis & sustinendis in amicitia mutua animis, necesse habeant plus media parte temporis, opportuni rebus gerendis, inpendere, vt taceam quibus machinis opus sit ad persuadendum singulis, quod concludere atq; exsequi in vniuersum vsus postulat. Sic itaque in Britanniam Normanniæ Dux concessit, egenus, & afflictus, ab omnibus, nuper equitibus &-familiaribus-suis, desertus, qui cum patri ipsius diu antea inseruiissent, nunc cum fratre Rege in gratiam redierant, melioribus, quam ante vnquam meruerant, stipendiis excepti. Ambo hi principes, vt prouerbium de Britannis fertur, sapiebant icti, & iuncti tum manebant, princepsque cum iis, omnium ipsorum ministrorum, Lescutius. Crebræ vltro citroque ipsorum ad Regem, Regis vicissim ad ipsos, post eorundem ad Carolum in Flandriam, & ab hoc ad eosdem, etiam Regis ad Carolum, & huius ad illum, legationes discurrebant: pars ad expiscandum rerum statum, pars ad corrumpendos ministrorum aliquos, aliæ aliis negotiationibus malignis, sub vmbra bonæ fidei, intentæ.

Non defuerunt tamen & qui bona intentione interuenirent, vt componi noua pace corruptæ reliquiæ possent; Verum hæc magna eorum insipientia erat, qui tam se probos sapientesque arbitrabantur, vt eorum interuentu, tantorum, tamque astutorum, Principum, quique rerum suarum tam diligentem curam habebant; dissidia possent sarciri aut componi. Vidi ipse oblationes & huius & illius partis, neutrius tamen vllius erant ponderis. Sed reperire homines est tam probos, vt hoc sibi tribuant ipsis, suo iudicio componi & absolui negotia posse, quorum ipsi nihil intelligunt prorsus: Sæpius enim Domini eorum minime secretiora sua consilia his patefaciunt. Horum plerisque contingit, vt eant redeantque sæpius, non nisi pro pompa, idque non raro

propriis

propriis suis sumtibus; quibus adiungi solet humili quidam specie, cui alia omnia clam commissa sunt. Sic, si non alibi, hoc certe præsenti negotio, tractari hoc genus rerum vidi, idque ex omnibus fere partibus. Itaque, vti monitum supra, principes accurate perspicere debere, quibus hominibus expeditiones rerum suarum committant, sic animaduertēdum etiam his est, quorum opera iisdem occupatur, quique legationes Magnatum obeunt, ne se ingerant aut obtrudant talibus; sed sciant sapienter facturos, qui amoliri à se hæc onera poterunt, ne iis implicentur, nisi fuerint eo rerum vsu, eaque cognitione negotii præsentis, vt per alios expediri non possit, quod præ manibus est. Vidi enim multos egregios viros talibus mirifice confundi & conturbari. Duo genera diuersorum principum mihi perspecta sunt. Prius ita acuto intellectu, & suspiciosum, vt ægre quisque rationem cum ipsis viuendi inire potuerit, quibus numquam non videbatur, decipi sese. Alterum confidebat satis ministris rerum suarum; sed ita hebeti animo erat, & omnium negotiorum gerendorum ignaro, vt nescirent discernere, quid vtile ipsis quidque noxium esset: Et hoc genus facilimum est mutare amorem in odium, & contra, hoc in illum. Atqui quamquam inter vtrosque hos paruus omnino bonorum sit numerus, neque sub quoquam fere omnium magna viuendi securitas, & constantia fortunarum; tamen malim viuere sub imperio sapientum, quam fatuorum. Illic enim plus rationis est ad subtrahendum sese, & ad demerendum etiam eorumdem fauorem.

Verum nullum cōmodum sperari ex stolidorum seruitio poterit, quoniam nihil rerum cum ipsis tractari potest, omniaque sunt in manibus apparitorum, quos

 singulis

ſingulis fere momentis commutant: nec tamen minus opus eſt omnes ipſis inſeruire, iis locis, quibus adſunt, ad quod coguntur adiguntur que qui iis parent. Itaque & his & aliis omnibus expenſis, horſum omnis redit calculus, vt omnem noſtram ſpem ponamus in ſolum Deum; in eo enim conſiſtunt omnis virtus & bonitas noſtra & ſecuritas, quæ in nulla humanarum rerum inuenietur vmquam. At miſeria noſtra hæc eſt, vt quilibet eam ſero cognoſcat, neque niſi poſtquam ea opus habuit; attamen melius omnino eſt ſero, quam numquam.



PHI-



PHIL. COMINAEI COMMEMORATIONUM RERUM GESTARUM DICTARUMQUE LUDOVICI XI. & Caroli VIII. Regum Franciæ,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De bellis quæ gesta sunt inter Leodios & Burgundos, vtque Dinandium ciuitas, capta, spoliata, & euersa, fuerit.



ABHINC elapsis aliquot annis, nullo non eorum Dux Burgundiæ bellare habebat in Leodios. Cumque Rex eum eo loci occupatum videret, in Britannos nouas aduersitates moliri cœpit, interim subministratis clam Leodiensibus quæ ad continuationem turbarum eos animarent. Dux contra in regem versus, vt confœderatis auxilio esset, ad pacem aliquam, induciasue eum adegerat. An. Christiano M.CCCCLXVI. Dinandium, in finibus Leodiorum oppidum opulentissimum & munitissimum, secundum amplitudinem suam, obsessum & captum est. Cui rei caussam dedit negotiatio vasorum ære Cyprio factorum, quæ celebre nomen ab ea ciuitate tum habebant. Dux Burgundiæ Phi-

Philippus (qui mortem obiit menſe Iunio, anni modo dictum ſequentis) illuc lectica ſe, vt erat decrepitus ætate, vehi iuſſit: tanto eius ciues odio habebat, ob crudeliſſima facinora, quæ in ſubditos eius comitatus Namurcenſis incolas, exercuerant. Præcipue vero nulli ſceleri pepercerant in oppidulo quodam minuto, Bouuines vocabulo, quadrante ſolo miliarii Dinandio, medio ſaltim Moſa amne, diſtantem. Paullo quidem ante id obſederant, flumine inter caſtra & vrbem medio, octo integros menſes, circaque vniuerſa deprædati, depopulatique, nullo, vt dixi, hoſtilitatis genere omiſſo, fuerant. Obſidionis toto tempore duobus æreis, aliisque tormentis, continuo miſeros vexauerant, domibus pro lubitu vi globorum traiectis, ita infeſta omnia habentes, vt ſubterraneis cellis degere, vitamque ærumnoſe tegere eoſdem compellerent. Verbis vix enarrari poterit immane odium, quo duæ ciuitates iſtæ inuicem diffidebant, neque tamen interim crebra inter liberos vtriuſque ciuium matrimonia ceſſabant, remotiores namque erant ab omnibus aliis opulentioribus oppidis. Anno qui deſtructionem Dinandii præceſſit, quo tempore ab obſidione Lutetiæ Carolus domum redierat: eius ciues pacificationem cum Philippo inierant, ſoluto certo pecuniæ numero, ſeque à ſocietate Leodiorum abiunxerant; itaque porro ſuo Marte vicinos obſederant. Quæ quidem indicia & initia vera ſunt propinquæ ruinæ, cum ii, quorum mutuis ſubſidiis conſtat felicitas, ſeparant ſtudia, & indiuerſa differuntur. Idem dico de Principibus fœdere iunctis, quod de iſtis ciuitatibus, omnique genere talium ſocietatum. Verum, quoniam exiſtimare licet neminem eſſe qui non vel viderit vel legerit hoc genus exempla, plurimum vbique occurrentia, non addam plura: Hoc ſolum affirmans regem noſtrum Ludouicum hanc ſepa-

rando-

randorum hominum artem melius notam habuisse omnibus aliis, quos ego nouerim, principibus. Pecunia illi hoc nomine nulla, nullus labor, nulla beneficia magni habebantur, tam dominis quam ministris redimendis iuxta prodigus erat.

Sic vero & Dinandii, mox à pacificatione cum Philippo inita, pœnitentiam eius habuere, & quatuor primores ciuium suorum crudelibus suppliciis interfecere, quorum præcipua ea compositione auctoritas fuerat: confestimque in Namurcensi ditione bellum redintegrarunt. Eis de caussis, accedentibus Bouuiniorum querelis, Philippus excitatus oppidum obsidione cinxit, duce reipsa omnium Carolo: eodem venit & SanPaulinus, Conestablius Franciæ, cum auxiliario milite, relicta domo sua; nec tamen auctoritate aut permissu Regis, nec cum regiis copiis, sed quas in finibus Picardiæ sua sponte coegerat. Magno fastu & confidentia ciues oppido eruptionem fecerunt, sed maximo suo detrimento, octauo die postquam tormentis ciuitas vndique concussa fuerat, neque amicis fœderatisque eorum tempus ad consilia de succursu parando relictum est. Ita Oppidum captum & funditus euersum est, octingenti amplius captiui Mosa mersi, in conspectu Buuiniensium. Fatalem puto hanc cladem his hominibus, ob insignem eorum malitiam, fuisse; tamen & vindictæ nihil ad crudelitatem summam defuit.

Postridie quam captum fuerat Dinandium, Leodii cum magnis copiis adfuere, contra quidem fidem datam, opitulaturi. Erant enim abiuncti ipsis, expresso pactionibus dissidio, vti ab eis vicissim Dinandii secesserant. Philippus quidem ob summam senectutem domum reuersus est; Carolus vero cum exercitu recta in venientes Leodios contendit; eos obuios habuimus ante exspectatum.

Noſtra enim prima acies, Ducum inſcitia, via regia exceſſerat; & incidimus in inſtructos, omnibus copiarum ducibus ſua ſtatione præſentibus. Iam dies in noctem pronus erat, tamē ad aggrediendum hoſtem comparare nos iuſſi ſumus. Eo momento aduenere legati Leodiorum ad Carolum, obſecrantes per beatæ Virginis honorem, cuius ea die peruigilium erat, miſereretur eorum, excuſanteſque culpam quibus modis poterant. Copiæ vero non videbantur hoc idem ſentire, quod legatio narrabat, ſed omnibus modis inſtructæ exſpectare potius conflictum. Tamen, poſtquam bis terue itum reditumque fuerat, conceſſum iis eſt iurare denuo in pacem anni præcedentis, certo ſoluto pecuniæ numero, & iniunctum, vt, in meliorem fidem ſacramenti ſemel rupti, trecentos darent obſides, quorum nomina, aduerſariis inſcripta, Epiſcopus Leodienſis, per illic præſentes miniſtros ſuos iam notaret, ipſos autem intra octauam ſequentis diei horam ſiſteret. Eam noctem Burgundiorum exercitus magno metu, & turbatione duxit; nullibi enim munitus clauſuſue erat, idque in loco Leodiis percommodo, qui vniuerſi pedites erant, notamque regionem melius nobis habebant. Fuere inter eos qui tenebris nos aggredi vellent, & certe, mea opinione, poterant magno detrimento afficere; vicit tamen ſententia pacem ſeruandam ſciſcentium. Cum prima luce in ordinibus conſtitit noſter exercitus, diligentiſſime ſtationem ſuam quoque ſeruante; erant ſane non pœnitendæ copiæ. Tria millia equitum, miſti cenſus, duodecim tredecimue millia ſagittariorum, cum magna multitudine aliorum peditum, ex vicinis locis collectorum. Recta in hoſtem itum eſt, ad recipiendos obſides, quorum ſi copia non eſſet, illico confligendum ſciebamus. Offendimus agmina eorum ſeparata, iamque per cuneos palabant in diſceſſum,

instar

instar multitudinis nullo idoneo duce. Iam imminebat media dies, & nusquam adhuc obsides comparebant. Carolus Mareschallum Burgundiæ, exercitui præsentem, interrogat, irruendum esset in perfidos; an paratæ acies sustinendæ? Ille irruendum, respondit, posse absque discrimine deleri, neque dissimulandum crimen, quo nobis insultarent. Ab hoc Contæi sententia requisita est; qui idem suasit, adiiciens nullo post tempore tantam vindictæ iustæ oportunitatẽ habituros: hostemque manipulatim Carolo palantem ostendebat, velut abiturum; neque rem vllo modo differendam. Rogatus vltimo Conestablius, contrariæ fuit opinionis; caussatus, contra existimationem promissumque facturum, qui confisos verbis suis interficeret. Tantam hominum multitudinem, talibus negotiis non facile redigi in vnam sententiam, quale quidem hoc de obsidibus foret, iisq; tanto numero. Suadebatq; ad eos mittere inquisitũ quid ageretur. Disputatio trium horum cum Carolo non parum temporis exemit. Et hic quidem ex vna parte acerrimos vetustissimosque hostes suos videbat profligatos, nullo cum suorum fere periculo: Ex altera lædendæ fidei exprobratio animum quatiebat. Ad finem decretum est Tubicinem mittendum ad eos. Ei obuiam facti sunt obsides, qui adducebantur: Militi vero maximopere displicebat Conestablii consilium, videbat enim ante oculos expositam spoliis prædam. Confestim Leodium missi legati sunt, ad confirmandam pacem. Vulgus vrbanum, notæ inconstantiæ, hos miris modis exagitauit, exprobrans non ausos aggredi suorum agmina Burgundos; tormenta etiam coram adducta exonerauerunt velut metum facturi, insolentiæque barbaræ multa alia ostendere. Carolus retrocessit in Flandriam. Eo tempore excessit viuis pater eius, Philippus; quem magnificentissimo exsequiarum apparatu, sol-

 lemni-

lemnibusque pompis, Brugis sepulchro tradidit, mortemque, missis nuntiis, Regi significauit.

CAPVT II.

Vt Leodii pacem Carolo iuratam ruperint. Vtque ab eo acie profligati sint; Vtque Rex affirmarit se eos relicturum, si Carolus contra Britanniæ Duci abscederet.

ABhinc, & continuo post, secreta negotia inter hos Principes versabantur. Rex adeo incensus ira erat contra Duces Britanniæ & Burgundiæ, vt non posset magis. Hi vero difficulter admodum participare res suas poterant. Legati enim & tabellarii plurimum impedimenti patiebantur: Tempore vero belli maritimo itinere proficisci necesse habebãt, & pro minimo opus erat vt Britannia venientes traiicerent in Angliam, hinc terrestri itinere Douuerium, inde denuo mari Calesium peterent. Quod si recta contendere vellent, magno periculo iter erat. Totis his dissentientium Principum annis, vt & sequentibus, ad viginti vsq;, cæteris, his in induciis, illis dissimulationibus, aliis bello professo transactis, dum quisque conuenientium fœderatos suos comprehendit suis pacificationibus, Deus hanc singularem gratiam Franciæ Regno tribuit, vt intestina dissidia, & ciuiles pugnæ Anglorum, in ipsorum regionibus, non cessarent: Hæ, quindecim prætерpropter annis, ante nostræ historiæ res inceptas, fuerant exorsæ, continuatæ per infinitas ingentesque clades partium, quibus multa egregiorum virorum millia confecta sunt. Nemo non ducum aduersarios Proditores nefariosque homines vocabat; duæ quippe familiæ erant, quarum vtraque Regiam dignitatem vindicabat: Lanclastria videlicet, & Yorchensis,

chensis. Neque enim vllum dubium est, si Angli eo rerum statu fuissent, quo ante eas collisiones floruerant, Franciæ plurimum negotii hoc tempore exhibituros fuisse. Rex vero Britannum euertere conabatur: hanc enim facilius se rem expediturum opinabatur, minorum nempe contra virium, quam si Burgundiæ familiam aggrederetur. Omnes enim inimicos suos illuc confugium habere, vt fratrem nuper, aliosque, quicunque aliquid aduersum sese machinarentur. Hac propter magno opere sollicitabat Burgundum, ingentibus donis & promissis pellicere sperans, vt relinqueret fœdus cum iis initum, offerens pariter sese Leodiorum, aliorumque, qui Carolo infesti essent, societatem relicturũ; Quod quidem cõficere non poterat. Burgundum enim de nouo exercitum ducebat in Leodios, qui commode pacem ipsi iuratam ruperant; vique occupauerant & spoliauerant oppidum quoppiam, Luny nomine, præsidio Ducis expulso; non morati obsides quos præcedente anno dederant, capitali supplicio obnoxios, si qua in re turbas contra pacta ipsi dedissent; insuper eum in casum nõ modica pecunia condicta. Carolus copias suas coegit prope Louanium, vicinum Leodio oppidum, in territorio Brabantiæ. Illic eum accessere Comes SanPaulinus, Conestablius Franciæ, (qui tum per omnia se Regis partibus reddiderat, cumque eo morabatur hactenus) & Cardinalis Baluensis, cum aliis; qui indicarunt, Leodios Regi confœderatos esse, induciis ab eo initis comprehensos; Regemque auxilio ipsis adfuturum, si Carolus eos bello aggrederetur. Tamen obtulerunt, si consensu ipsius Rex posset Britannum bello persequi, non impediturum quo minus, vt vellet, cum Leodiensibus transigeret.

Expeditio horum legatorum breuis fuit, eaq; publice audita; nec præter vnum diem affuere. Dux Burgundiæ,

excu-

excuſandi ſui,reſpondebat, ſe bello laceſſitum à Leodiis, quodque pax non ab ipſo, ſed ab iiſdem rupta fuerit;iniuſte facturum ſi ea gratia confœderatos ſuos deſtitueret. Legati dimiſſi ſunt, cum iam Carolus equum eſſet adſcenſurus, poſtridie ſcilicet, quam venerant, vbi clara voce ipſis dixit, rogare ſe Regem ne Britanniæ bellum inferret. Conſtablius inſtare, dicens, neutrum ab ipſo eligi, & nihil Regi relinqui, omnia ſibi eum ſumere : velle nimirum Regis amicos pro lubitu aggredi, nec concedere illi, vt ſuos idem inimicos vlciſceretur, eodem exemplo. Hoc quidem iniquum eſſe, & Regem minime conceſſurum. Dux valedicens legatis; Hoſtes, inquit,mei iam conuenere, & intra tertium diem me expectant, acie conflicturi;Si eo prælio inferior diſceſſero, facile credo vos facturos quæ volueritis; ſi vero vicero neque vos Britanniæ moleſti eritis. Sic equum adſcendit. Legati diſceſſere in ſua hoſpitia,abitum paraturi.Carolus vero Louanio cum ingenti inſtructoque exercitu diſcedens obſidione cinxit vrbem, nomine Saintonium. Copiæ,vt dixi,prægnæ erant : quicquid enim de Burgundia progredi potuerat, eis acceſſerat: Non memini ampliore exercitu cinctum vidiſſe.Paullo ante diſceſſum deliberauit obſides interficeret, an quid aliud de iis ſtatueret. Aliqua conſilii pars occidendos ſuadebat, interque hos,de quo ſæpe iam locutus ſum, Contæus.quem numquam alias tam crudelem ſententiam dixiſſe audiueram. Eaque ratione vtile ſit Principi plurium conſilio vti: & ſapientiſſimi enim nonnunquam delirant,aliquando ex affectibus in rem præſentem, vel amoris vel odii,quandoque,vt contradicant aliis,ſæpius & turbato aliunde animo. Nec in vniuerſum pro conſilio habendum eſt,quod fertur poſt prandii tempus. Dicere hic quis poterit, viros, qui tale quid aberrauerint, non debere haberi auctoritate conſiliariorum.Cui reſponden-

dum arbitror, omnes nos communi ſorte homines eſſe, quique lecturus ſit eos ſolum, qui numquam non eadem ſapientia dicant ſententiam, ſintque pari per omnia animi conſtantia, ei proficiſcendum eſſe, vltra humana negotia, in cœlum: alibi enim nequaquam, quod quærat, inuenturum. Conſiliis quidem adhibendi ſunt maxime, qui ſapientiam ſemper promtam habent; nec tamen eiiciendi, ſi qui, raro tamen, humani quid fuerint aliquando perpeſſi. Nos ad deliberantem Carolum reuertemur. Duo treſue alii, propter ſummam, meritoque talem, auctoritatem viri, Contæo acceſſere. Habēt enim ampliora hoc quoque genus Conſiſtoria, qui ad nutum aliorum ſciſcunt, non magnopere de re ipſa ſolliciti, ſtudentes ſolummodo probare ſeſe alicui, qui ſit ampliori exiſtimatione. Poſt interrogatus Dominus de Hymbercourt, Ambiano vicinis locis oriundus, Heros inter ſapientiſſimos atque acutiſſimos, quos vmquam viderim; reſpondit, videri ſibi, vt Deum plane noſtris partibus adiungeremus, totique mundo palam fieret, non ſanguinarium aut crudelem eſſe Principem, dimittendos, quanti eſſent, obſides: conſiderato inſuper quod bona ipſi fide ſeſe ſtitiſſent, arbitrati pacem omnino ſeruandam à ſuis: Verum vt ante abſceſſum ipſis indicaretur, gratiam Ducis hanc non vulgarem eſſe, iniuncto inſuper vt adniterentur populum ad fidem cuſtodiendam reducere; ſin, & hoc fieri non poſſet, ipſi tamen, agnoſcentes ſummum hoc & incomparabile beneficium, perfidorum rebus, ipſoque adeo bello, tam in nos, quam in Epiſcopum ſuum, qui apud nos eſſet, abſtinerent. Placuit hæc ſententia Principi, obſideſque poſtulatis efficiendis fidem obligauerunt. Inſuper ipſis dictum eſt, ſi exemti iam hoſtibus, inter eos poſtea caperentur, capitale ſupplicium nullis precibus amolituros. Sic ad ſuos redierunt. Non abs re recenſebo hoc loco de Contæo,

quod

quod incidit: Post sanguinariam hanc ab eo sententiam prolatam in homines, quorum plerique sola probitate in nostras manus venerant; Quidam consiliariorum mihi in aurem hæc verba dixit. Vides hunc hominem? Vtvt senectutis sit non primæ, tamen firma oppido valetudine est. Verum ego ingenti contra pignore contenderim, illum abhinc annum nullum victurum; idque dico ob terribilem hanc sententiam, quam modo dicentem audiuimus. Sic certe euentum res habuit; paulo post enim Contæus obiit; ad mortem tamen vsque, etiam in illo vltimo prælio, optimi, fidelissimique Principi suo, viri, officio perfunctus. Nos ad propositum reuertimur. Auditum est Carolum Santonium obsidere cœpisse; is cum tormenta illic firmasset, cœpta est oppugnatio. Intra vrbem erant tria præterpropter Leodii militis millia, sub imperio fortissimi cuiusdam Baronis; eiusdem qui pacem tractauerat anno præcedente, cum acies nostræ eis occurrissent, vt supra diximus. Tertio ab obsidionis initio, die, Leodienses ingenti multitudine; (triginta millia perhibebantur, tam boni quam inertes, pedites plerique, nec vltra quingenti Equites.) magnaque copia tormentorum succincti, adfuere eam solututi; Decima matutina hora erat, cum in pago quodam bene munito, dimidio à nobis miliari, Bretan nomine, cinctoque paludibus, consedere. Erat inter eos Franciscus Royerius, Balliuus Lugdunensis, tum Regis ad ipsos legatus. Rumor illico in nostra castra adfuit. Sane confitendum est insigni nostrorum vecordia speculatores equites non fuisse dispositos circa castra; neq; aduenientem hostem sensimus, nisi pabulatoribus, ab eo in fugam coniectis, nunciantibus. Nullibi Duci Burgundiæ affui, vbi eum bene suo ductu militem ordinare viderim, præter hoc loco. Omnes extemplo acies campo inmisit, paucis exceptis, quos ad continuandam obsidionem reliquerat,

rat, quorum quingenti aut ſexcenti Angli erant. Vtroque pagi latere mille ducentos cataphractos diſpoſuit, ipſe è regione eius conſiſtens. paullo cæteris remotius, cum octingentorum cataphractorum globo, accedente peditatu electiore ſagittariiſque, & cæterorum equitum agmine. Rauenſteinius, Dux eius, cum prima acie, omnes pedites, nam & eques deſcenderat, cum parte ſagittariorum, & tormentis nonnullis, ad vſque foſſas hoſtium acceſſit; quas illi præaltas amplaſque, aquis etiam plenas, aſſederant. Illinc ſagittis, teliſque aliis, & tormentorum ictibus depulſi ſunt; præſidia ſuperata, & tormenta capta. Inter hæc, cum noſtris aliquando ex voto res non ſuccederet, rediere animi Leodienſibus; contiſque prælongis, ſeu ſariſſis, ſagittarios noſtros, quique eis aſſiſtebant impulerunt; vniuſque aciei interemere ad quingentos milites, iamque omnes noſtrorum cunei tremere incipiebant, & inſtar habere iam fugiturorum; cum à duce ſummiſſi ſunt aciei ſuæ Sagittarii, quorum primores erãt Philippus de Creuecorus, Eordæus, vir prudẽs, aliiq; generoſi viri; qui ingenti virtute, accenſis velut cõſcientia magnanimitatis, mentibus, in hoſtẽ inuecti ſunt, eoſq; vno momento profligauerunt. Equites, de quibus dictum eſt, ad latera pagi vtrinq; diſpoſitos fuiſſe, nihil poterant hoſtibus damni facere, neq; adeo Carolus ipſe ex eo, quo conſtiterat, loco, ob interiectas paludes: verũ illuc conſtituti erant euentus dubii gratia; ſi forte pulſis noſtris foſſas tranſgreſſi hoſtes fuiſſent, vt in planitie ſe ſequẽtibus obieciſſent. Illi vero iam fugiebant quã longæ paludes erant; neque erat qui inſtaret, extra pedites. Dux quidem de ſua acie nonnullos eo Equites miſerat, qui inſequerẽtur, ſed ii opus habebant per ambages circuire paludes, ad duo fere milliaria, quo tempore nox ſuperueniens plurimis Leodienſium ſaluti fuit.

Alii

Alii ad obſidionem remiſſi ſunt,procul enim ex vrbe tumultus audiebatur,& metuebat Carolus eruptionem. Et verum opinabatur, ter enim portis egreſſi; toties retro repulſi ſunt, neque ſegniter rem miles obſeſſus gerebat. Hoſtes vero noſtri, cum iam acie pulſi eſſent, recolligere agmen ad impedimenta ſua cæperant, ſed parum ibi commorati, etiam illinc pulſi ſunt. Nouem circiter millia occubuere, qui ſane prudentibus nō exiguus numerus videtur: vulgi autem conſuetudo eſt augere copiam mendacio, vt poſtquam ego rebus interfui, nullibi fere vidi non per iactantiam vnius vicem centum nominari; in gratiam quidem Principum, qui damno ſuo nonnunquam talibus fictionibus fidem adiiciunt: certum tamen eſt noctem plurimos texiſſe, citra quam intra quindecim millia vtique non periiſſent. Victoria parta, quoniam iam nox incubuerat, Dux cum omnibus cæteris copiis rediit in caſtra, ſolis mille ducentis equitibus exceptis,qui vltra duo milliaria hoſti inhærebant, quibus quid impedimento fuerit, ſupra dictum eſt: neque ſic ii magnum quid effecere, noctis ſuperuentu,niſi quod, nonnullis occiſis, alios quoſdam captiuos adduxerunt. Maior autem fugientium pars in ciuitatem ſe recepit. Eo die optime, ordinibus conſtituendis, & milite in aciem locando,nobis adfuit Contæus,qui paucis poſt in oppido Huzio, placidoque & optabili fine dies ſuos clauſit. Fuerat fortitudine & ſapientia vir nobiliſſimus; ſed cruentæ illi ſententiæ de interimendis obſidibus, de qua ſupra eſt actum, non diu ſuperfuit. Carolus, cum primum arma poſuiſſet vocato Secretario, litteras ad Coneſtablium alioſque, qui quatuor ante dies cum eodem Louanio diſcedenti adfuerant Legati Regis,exarauit; certos eos de victoria ſua faciens, ſimul orans ne quid in Britannum tentaretur. Paucis à conflictu hoc diebus iam non mediocriter fracta erat

perui-

peruicacia stolidi huius populi, & quidem non admodum magno detrimento accepto. Verum quicunq; fuerit, nemini suaserim, dum vitari poterit vllo modo, res suas discrimini conflictus exponere.

Quippe ob parum aliquid hominum quod tali congressu quis amiserit, virtus viresque cæteræ omnes, plus quam credibile est, flaccescũt, tam existimatione hostiũ, quibus ante terrori erant, quam contemtu Imperatorũ, quique iis intimiores adsunt. Miles ipse molitiones occultas subibit, poscet audacter palam, quæ prius nec in mentem ipsi venissent, & irascetur, minabiturque, non impetratis quæ velit. Sumtibus triplis opus erit ad ea, quæ simplicibus ante constiterant. Si vero sapiet qui tali aliquo infortunio fuerit percussus, nullum periculum cum his post subibit, qui semel fugerint: sed tenebit se tutum in præsidiis suis, quæretque obiicere suis aliquid facile superatu, vt victoria qualicunque etiam amissa confidentia militi restituatur, timorque fugetur. Certe infinita mala sequuntur prælio victum, nec facilia corrigi. Verum tamen est quærendos conflictus iis qui negotia suscepta conficere properant, quiq; peditibus probis abundant, melioribus quam vicini, hoc est, vt hodie fortuna vertitur, Anglis aut Heluetiis. Nec hæc dico contemtu cæterarum nationum; sed hos constat illustrissimas obtinuisse victorias; & ita ingenia horum sunt, vt ægre veli possint trahere expeditiones, quin in pugnam educantur, quod contra est Italis & Gallis, qui sunt acutiores, & meliores ducere rem. Contra hæc, qui acie superauerit, existimationem suam magnopere augebit apud omne hominum genus: libentius alacriusque ipsi parebunt omnes subditi: Quicquid petet, hac gloria cõficiet: miles ipsi ad cætera omnia promtior erit & fortior. Tamen & hoc genus post res successas sæpius fastu & insolentia ludum perdit: quod licet mihi visis per-

ſpectiſque exemplis confirmare: Moderatio autem victoriæ & vſus, vt ipſamet, ſola Dei benignitate conferuntur. Qui Santoniæ obſidebantur, cum viderent ſuos ſuperatos, ſeque circum vndique ab hoſte cinctos, opinantes maiorem eſſe cladem, quam quæ erat; dedidere ciuitatem, poſuere arma, decemque lectos à Carolo homines, ipſius arbitrio permiſere: quos ille capitali ſupplicio affecit: erantque inter hos ſex de numero obſidum qui paucis ante diebus fuerant dimiſſi, talibus quidem conditionibus, vt ſupra memoratum eſt. Sic exercitum Tungros tranſtulit, iam præſtolantes obſidionem: tamen ciuitas nullius firmitudinis erat; &, priuſquam tormenta ſentirent, ciues paribus conditionibus ſe nobis tradiderunt, datis quoque pariter decem hominibus, inter quos & ipſos quinque vel ſex eorumdem obſidum offendimus. Omnes, vt priores, ſupplicio affecti ſunt.

CAPVT III.

Vt, cum quidam ciuium Leodienſium dedere ciuitatem vellent, alii eamdem defendere. Hymbercurtius inuenerit quo pacto aſtu eam, nomine Ducis Burgundiæ, intraret.

HInc ad Leodium ſigna mouit Carolus; cuius vrbis ciues grandi tumultu rerum diſſidebant. Pars tenere & defendere ciuitatem volebant, dicentes, ſatis ei rei copiarum intus eſſe: præcipue huius conſilii erat Baro quidam, nomine Raſius de Laitre. Cæteri contra, cum agi & ferri omnem circa regionem cernerent, præferebant pacem, qualibuſcunque etiam conditionibus. Sic propinquante vrbi Carolo, occultis quibuſdam indiciis, de pace, per humilimos homines, vt captiuos, &

hoc

hoc genus, ciuibus spes datæ sunt. Principes huius negotii erant quidam ex iis qui paulo ante obsidum nomine apud nos fuerant, nuper interemtis contrariam seruantes sententiam, gratique ob beneficium à Duce perceptum. Hi ad nos produxere trecentos viros, proceres vrbani populi, solis lineis indusiis tectos, nudis tibiis, nudoque capite; tali habitu offerebant Carolo claues ciuitatis, dedentes ipsi, seque, & omnia sua, nihil excipientes, præter ignem & direptionem. Eo die nobiscum erat, nomine Regis Legatus, Dominus de Mouy, cum secretario quodam eiusdem, Iohanne Preuotio: qui ad uenerant paria iis postulaturi, quæ per Conestabliun paucos ante dies Rex proposuerat. Sic compositis re bus sine impedimento statim vrbem intrare concluser: Carolus, eoque fine Hymbercurtium præmiserat, quip pe qui optime omnibus ciuibus notus, neminem non vi cissim nouerat, aliquot annis, dum pax integra fore nonnullorum negotiorum inibi procurator.

Tamen introitus ipsi tum negatus est, coactusqu de via deuertere in Abbatiam quamdam, sitam non lon ge ab vna portarum: comitatus erat circiter quinqua ginta cataphractis, aliisque, ad numerum ducentorun militum, pugnæ idoneorum, quorum & ego pars eram. Dux ipse nuncium misit, ne moueret se abinde, si putaret secure ibi esse posse; quod si locus ea firmitate non esset; ad eum retrocederet, via enim non erat, vt ea ipsi succurri posset, tota quippe rupibus obsita. Hymbercurtio placuit neutiquã inde decedere, erat enim munitissimus locus, secumq; retinuit sex septem notæ fidei homines e: iis qui ex vrbe prodierant, eam Carolo tradituri, vt illi vteretur, modis post narrandis. cum nona in noctem hora esset, audiuimus tintinabulum moueri, ad cuius sonum coire ciues consueuerant. Metuebat ad huius motum Hymbercurtius, ne aduenirent nos aggressuri,

nouerat enim optime Baronem Rasium de Laitre, aliosque intus plures paci omnibus modis infestos esse; quæ eius suspicio vera atque bona erat, hoc enim consilii ceperant, & iam in eo erant, vt prosilirent porta: Dixit itaque suis; si occupare aliquo negotio obiecto homines possemus ad mediam vsque noctem, plane voto nos potituros arbitrarer. Tum enim fessi fatigatique erunt, & dormiendi capientur desiderio; interim qui contra sunt pacem, effugient, animaduertentes spe se sua frustratos esse. Vt hoc aditus fieret, duos ciuium prædictorum in vrbem ablegauit, scriptos ipsis dans nonnullos futuræ pacis articulos, satis ciuitati commodos. Hoc moliebatur solum vt tempus protraheret, colloquendi & consultandi eis materiam obiiciens: habebant enim moris, vt nunc quoque obtinent, in Palatium Episcopale omnis plebs concurrere, cum quid dignum consultatione obuenerit; eoque conuocantur sono illius tintinnabuli, quod illic esse supra notauimus. Sic duo nostri legati, qui fuerant inter melioris animi obsides, accedunt portam (via quippe longinqua non erat, ad alterum sagittæ iactum,) vbi magnam multitudinis vim in armis offendunt: Pars volebant nos aggrediundos, pars vetabant. Nostri clara voce ciuitatis magistro indicant, portare sese scriptas, ex eorum parte bonas, res quaspiam, missos ab Hymbercurtio, vicario Ducis Burgundiæ in tota hac tractatione; Consulte facturum si ad Palatium eas auditum populus coiret. Statim audiuimus indicem rei sonum tintinnabuli, quo cognouimus occupatos esse in audiendis legatorum scriptis. Ipsi ad nos non redierunt, sed ab horæ vnius porro spacio maiorem priore tumultum ad portam percepimus.

Tum, periculi propinquitate animaduersa, quæ sane accrescebat raptim, submisit quatuor illos reliquos ci-

ues,

ues, instructos litteris in hanc sententiam. Sese, nomine Ducis Burgundiæ, designatum ciuitati gubernatorem, ideoque minime consensurum perditioni eius; non diu enim esse, cum ipse velut ciuis eiusdem fuerit, aurifabrorum collegio sociatus, cuius etiam insignia vestitu prætulerit; itaque optime facturos si ipsius potius quam cuiuspiam alterius verbis fidem adhibeant. Summa, si ad pacis vellent bona peruenire, regionemque & ciuitatem imminenti exitio subtrahere, oportere vt ea facerent, quæ præsentibus litteris esse comprehensa conspicerent, ita tamen vt vrbi prius ipsum immitterent. Hos quatuor homines optime ad rem pertinentibus rebus instruxerat; qui illico progressi ad portam, apertam eam offenderunt. Pars vrbani vulgi asperis minacibusque verbis eos excepit, alii audienda quæ ferrent, consuluerunt: Sic retrocessere ad palatium. Extemplo denuo sonum concilii audiuimus, non sine summa exsultatione; tumultusque ante auditus plane consedit: reapse diu admodum commorati sunt in Palatio, & ad duas ipsas vltra mediam noctem horas. Ibi conclusum est, pace iam inita staturos ciues, primoque mane vnam ex portis Hymbercurtio tradituros; quo facto, illico ex vrbe Rasius profugit, cum omnibus ipsius sententiam sequentibus. Non tot verbis huic negotio immoratus fuissem (nam res ipsa paucis poterat absolui) si non voluissem demonstrare, sæpius tali dexteritate & promptitudine, quæ ingenio procedunt acuto, & subactis sensibus, magna pericula, damna, & aduersitates euitari posse. Sequenti mane, cum exortu solis adfuerunt plurimi obsidum, nunciaturi Hymbercurtio, postulare ciues vt in Palatium ipse veniret, quo vniuersum vulgus coisset, ibique iuramento confirmaret duos articulos, de quibus in metu populus esset: qui erant de igne, &

direptione: posthæc ipsi tradituros esse vnam ex portis. Ille rei indicium Carolo fecit, accessitque eos, & iuramentum præstitit: mox reuersus ad portam, descendere iussis qui præsidio tenebant à ciuibus, in eam admissus est. Extulit inde statim vexillum cum insignibus Burgundiæ Ducis, duodecimque cataphractos, & sagittarios non paucos, custodiæ imposuit. Hinc ad aliam portam progressus, quæ muris inclusa erat, eam Spurio de Burgundia commisit, qui eo loco agminis partem ducebat, tertiam assignauit Mareschallo Burgundiæ, quartam, nonnullis de nobilitate, qui cum ipso aduenerant. Ita quatuor portæ optime munitæ sunt milite Burgundo, Ducisque vexillis desuper exornatæ. Sciendum, ad hæc melius capienda, eo tempore Leodium vnam potentissimarum ciuitatium fuisse, principemque, à quatuor aut quinque, omnium propinquarum regionum, maximeque populosam: Tum vero ex vicinia vndique tanta hominum multitudo in eam confluxerat, vt agnosci nullo modo posset damnum, quod prælio victis illatum fuerat. Nihil opum copiarumque omnis generis ciuibus deerat; erat tum propinqua hyems, ingentesque pluuiæ, vt maiores irruere non possent. Regio ipsa natura sua tam mollis & vliginosa vt non possit magis: adhæc ex nostra parte victui & stipendiis necessaria prorsus defecerant; etiam copiæ velut iam dissoluendæ, neque Carolo animus erat ad ciuitatem obsidendam, neque, si fuisset, rem potuisset aggredi; tantis rerum omnium angustiis. Quod si duos solos dies deditionem protulissent, ea, qua venerat, via, recessisset.

His consideratis licet expendere maximam gloriam hoc rerum nostrarum successu debitam Hymbercurtio; cuius effectus sola Dei gratia ipsi datus est, contra omnem rationem humanam; neque ipse voto

sibi

ſibi poſcere tantum boni auſus fuiſſet, quantum ſuperuenit. Quantum homo iudicare poſſit, omnem hunc honorem, eumque ſequentia bona Deus ei largitus eſt, ob pietatem & clementiam animi quibus paullo ante vſus fuerat in dimiſſione obſidum conſuadenda, vti ſupra recenſuimus: quod repetere hoc loco iuuat propter morem principum, qui pœnitentia ſeſe affligere ſolent, & de nimia indulgentia queri, cum alicui gratiam aliquam fecerint; cauſſantes, ipſis eam rem male expetere & oportere aliis caſibus cautiores & adſtrictiores ignoſcendi eſſe, aut quicquid eius generis mitioris ſententiæ cuipiam indulſerint: cum officium contra ipſorum rigorem ſtrictum expoſcat. Meo animo prorſus male hoc dictum ſit, proceduntque talia corde futili & minime magnanimo, ſiquidem, vt loquuntur, ita & fecerint.

Princeps enim quilibet, vel aliquis vir alius, qui numquam in vita deceptus fuerit, ſimilis ſit per omnia beſtiæ, neque notitiam, neceſſe eſt, habeat vel boni vel mali, quæue inter hæc differentia verſetur: & hominum porro non omnes eodem ſunt ingenio: igitur propter malitiam vnius alteriuſque non omittenda ſunt beneficia erga plures, cum tempus & vtilitas ea poſtulant. Certa ea perſuaſione ſum, optimo iudicio diſpiciendum, quales ſint homines quibus tale quid conferatur; omnes enim magnis benefactis digni non ſunt. Mihi vero res omnino creditu abſurda ſit virum cordatum poſſe ingratum eſſe ei, à quo grande aliquod beneficium acceperit. In hoc vero probe animus aduertẽdus erit Principi, nam de ſtulti alicuius promotione numquam ſtabile emolumentum proueniet: perſuaſumque habeo hoc elucere ſublime cumprimis & catum ingenium viri potentis, ſi norit homines virtute præditos, conſultoſque ſapientiæ eligere, quibus ſeſe

 cingat.

cingat. Ita enim comparatum eſt in rebus mortalium, vt ſimilis opinione omnium habeatur iis, quibuſcum arcana ſua participat quiſque. Et, vt hanc diſputationem abſoluam, meo conſilio Princeps numquam benefaciendo bonus laſſabitur. Vnus quippe ſolus, vel & minimus, horum, cui quis benefecerit, fortuna ferente, tali eam gratiam obſequio rependere poteſt, talique caſu gratitudinem ſuam declarare, vt vno officio omnem malitiam atque ignauiam cæterorum, qui contra fecerint, poſſit redimere. Cuius rei inſigne exemplum nobis præbent obſides iſti noſtri, quorum partem audiuiſtis bonam. Et beneficia rependere ſtudioſam, partem malam prorſus fuiſſe atque ingratam, & hanc quidem maiorem illa. Non enim præter quinque aut ſex, de tanto numero, negotium ad votum Ducis Burgundiæ deduxere.

CAPVT IV.

Vt Dux Burgundiæ Leodium intrauerit, vtque Gandauenſes, qui ante male eumdem tractauerant, nunc ſeſe illi ſubdiderint.

POſtridie quam portæ noſtris erant traditæ, intrauit ciuitatem Carolus, inſigni & triumphali pompa. Viginti cubiti de muro perrupti ſunt, foſſæque eodem ſpatio complanatæ. Cum ipſo introiere ad duo millia cataphractorum, armati omnibus armis, pedites, totidemque Sagittarii; & ſic tamen in caſtris plurimæ copiæ remanſerunt. Ipſe eques intrauit ſtipatus ſatellitio ſuo, primoribuſque militiæ, ſplendidiſſime, vt poterat, quiſque exornatus. Hoc paratu recta ad ſummum vrbis Templum proceſſit, ibique deſcendit. Et, vt rem ab-

ſoluam, aliquot poſt dies ibidem tranſegit, quibus capitali ſupplicio affecit quinque vel ſex eorum, qui inter obſides fuerant, interque eos Tabellarium Ciuitatis, quem magnopere oderat: Nouas etiam leges, & ſtatuta quædam ciuibus ſcripſit: grandique tributo omnibus impoſito, cauſſatus eſt deberi etiam ampliora ſibi, ob præteritorum annorum ruptas pacificationes: omnia ipſis arma & tormenta ademit, omniaque præſidia & mœnia vrbis deſtrui iuſſit. His tranſactis omnibus, ad ſuas reuerſus eſt ditiones, quibus omnibus inſigni gaudio & obſequio exceptus eſt; præcipue vero à Gandenſibus, qui, antequam cum exercitu in Leodienſes proficiſceretur, fere rebellauerant, iunctis aliis nonnullis vrbibus. Tum vero vt victor glorioſus ab his quoque receptus eſt. vexillaque omnia à primoribus ciuitatis ipſi prælata ſunt Bruxellas vſque, idque peditibus. Quod eo nomine faciebant, quia, cum poſt exceſſum Patris, Gandauum, primam omnium ciuitatum hæreditariarum intraret, perſuaſum habens ab huius ciuibus amplius quam cuiuſuis de cæteris, ſe amari, exemplumque ea in re huius reliquas omnes ſecuturas, (quo in vltimo ſane vere coniecerat,) poſtridie eius diei ciues ſeſe omnes armati in forum contulerant, cum imaginem ſancti cuiuſdam, Leuini nomine; quam ferentes pulſauerant domum minutam quamdam, Cuillettam vocabulo, in qua recipiebantur vectigalia nonnulla frumento impoſita, ad ſoluenda ciuitatis debita, quæ contracta erant duobus illis annis, quibus belligerati Gandauenſes cum Philippo, Caroli patre, fuerant. Pulſata hac domuncula, clamorem extulerant, Sanctum illum ſuum tranſire illac velle, idque erecto ſtatu corporis, eoque nomine momento totam corruerant. Quod videns Carolus & ipſe in forum prodiuerat, vt eos alloqueretur: Vbi bona pars

primatum ciuitatis armati illum præstolabantur, transeuntique se comites offerebant. Ille iussit ad Curiam ciuitatis eos remanere; vnde sensim à plebe in forum & ipsi propulsi sunt. Tum ipse eodem aduectus, iussit, Sanctum illum suum retro in templum reducerent. Pars, obsecundatura ipsi erat, pars vero prorsus negabat mandato obsequi. Tum quorumdam inter incolas nomina ei detulerunt, quarumdam pecuniarum caussà. Promisit iustitiam administraturum. Cumque iam prorsus cerneret non posse eos deuertere, rediit in hospitium suum, ipsis in foro relictis, vbi per integros octo dies commorati sunt. Sequenti die scriptos ipsi obtulere articulos quosdam, quibus omnia ab ipso reposcebant, ablata per bellum à patre, interque alia, vt singula opificum ciuitatis collegia sua haberent vexilla, vti consueuerant, quorum summa septuaginta duo faciebat. Metu periculi præsentis, assensus est postulatis, & priuilegia quæ vellent, dedit. Cum primum assentientis vocem audissent, omnia illa vexilla medio foro firmarunt, quæ ad id negotium iam parata habebantur. Vnde facile demonstrarunt, etiam nolente illo, eadem prolaturos fuisse. Bona vero coniectura dixerat, reliquas vrbes Gandauensium exemplo facturas, cum in eam ciuitatem intraret.

Plurimæ enim cæterarum quoque rebellarunt, hanc secutæ, ita vt magistratuum cædibus, aliisque maleficiis, rem sancirent. Quod si prouerbio patris sui credidisset, dicere soliti, Gandauenses amare consueuisse filium quidem Principis sui, ipsum vero nequaquam, non fuisset deceptus. Et veritate rei, à Leodiensibus, non est inconstantior hoc populo. Vno tamen negotio, secundum cæteram quidem malitiam suam, honestiores sunt, quod personam Principis numquam lædunt. Optimates etiam ciuitatis, & proceres, sunt cor-

dati bonique viri, & peſſimæ plebis vecordiam oderunt. Neceſſitas ſuaſerat Carolo diſſimulare hæc omnia, ne, cum in Leodios moueret, hoſtem domeſticum à tergo non relinqueret, & ita diſtraheretur viribus: verum diſpoſuerat apud animum, ſi victor reuerteretur, optimis remediis eos ad ſanitatem reducturum. Et ita euentus fuit; namque, vt incepi dicere, vexilla illa ſua pedites ipſi prætulere Bruxellas vſque, iunctis omnibus priuilegiis inſtrumentiſque, quæ ſigillo ſuo firmauerat priuſquam Gandauo exiret: Cumque Bruxellis magnum prouincialium concilium coactum fuiſſet, quo & non pauci exterorum Principum legati aderant, pleno ſenatu, ea ipſi vexilla obtulerunt, cum cæteris omnibus priuilegiis inſtrumentiſque, quæ extorſerant, vt quæ iis vellet, faceret.

Tum fæciales exercitus ipſius, vexilla, quibus affixa erant, haſtis detrahere iuſſi ſunt; ipſaque miſſa vltra mare Boloniam, octauo à Caleſio miliari, vbi aſſeruabantur & illa, quæ ſuperioribus bellis iiſdem Philippus, Caroli parte, cum ſub iugum victos miſiſſet, ademerat. Cancellarius autem Ducis ſuſceptis priuilegiis, ipſorum, hoc ſuſtulit aboleuitque, quo de ſummo Ciuitatis Magiſtratu ſtatuebatur. Namque, omnibus cæteris Flandriæ ciuitatibus, Principi ius eſt annuatim mutare Magiſtratus, rationeſque adminiſtrationum ab eis capere. Gandaui vero, reſpectu huius priuilegii, non poterat, præter quatuor viros eligere, qui reliquos poſt crearent viginti duos numero. Sex enim & viginti prætoribus tota paret ciuitas. Hi magiſtratus ciuitatum cum Comiti Flandriæ fauent, pace ea anno fruitur, quæque poſcit, facile impetrat: Si vero auerſis in eum animis, plerumque turbæ ſeditioneſque ſuboriuntur. Vltra hæc Gandauenſes duci penderunt triginta & ſex millia florenorum aulicis eius, coactiq; ſunt nonnullos

de

de ſuis in exilium mittere: Cætera omnia priuilegia receperunt. Cæteræ omnes ciuitates facinora pecunia expiarunt; non enim contra Principem quicquam commiſerant. Atque his omnibus perſpicere licet bona victoriam ſequentia, pariterque incommoda victos. Quapropter non ſine ſumma rerum exactione aleæ res in pugnam committendæ ſunt; quod ſi neceſſitas tale quid intulerit, omnia prius perpendenda erunt ſapienti, quam ſummam diſcrimini vltimo commiſerit, idq; non ſine metu fortunæ: Qui enim per metum quid faciunt, omnia agunt circumſpecte, ſæpiuſque rem ad votum expediunt, quam qui cum faſtu & arrogantia aggrediuntur: Quamlibet, quem Deus ſelegerit, eum ſequatur felicitas, nulla contra opera valente.

Leodienſes vero, de quibus tractatum ſupra eſt, iam quinque annos excommunicati fuerant, diſſidii cauſſa, quod cum Epiſcopo habebant; cuius rei nulla fere cura erat ipſis, ſed ſtolidam peruicaciam ſuam obnixis animis proſecuti ſunt, nec rationem furoris cuiquam reddere potuerunt; præter ſuperbiam, & arrogantiam. Cui rei dicere Rex Ludouicus, mea ſapientia, perbene, ſolebat: Vbi Faſtus & Elatio præcedunt, plerumque ignominia & detrimentum preſſo pede ſequuntur. Ille quidem hoc crimine minime tangebatur.

CAPVT V.

Vt Rex, Leodiorum cognita clade, belli initia fecerit in Britannia, contra confœderatos Ducis Burgundiæ, vtque hi duo Principes ad colloquium conuenerint Peronam.

HIs ita tranſactis Carolus Gandauum reuerſus: ibique

que sumtuosissime splendidissimeque exceptus est; intrauit autem armatus; ciues obuiam ipsi processere, vt quot qualesque vellet in ciuitatem duceret, extraque eam detineret. Plures interea Regis ad ipsum, ipsiusque vicissim ad Regem legati veniebant: Pariter è Britannia ad ipsum mittebantur, & vicissim: Sic hyems ista consumta est; Rex nihil omittebat quo consensu Caroli bellum Britanno inferre posset, idque ab eo ingentibus postulationibus contendebat.

Non poterat transigi hoc negotium, magnis Regis ingratiis, quem præterea Leodiorum expugnatio mirifice, confœderatorum quippe ipsi, adficiebat. Ad finem, primo æstatis ingressu non sustinuit sese amplius, sed armatus Britanniam intrauit, occupauitque duo inibi castella, Chantossam, & Ancenium. Res statim ad Burgundum nunciata est, quem magnopere male habebant hæc Normanni & Britanni discrimina: adeoque, vt arma statim expedierit, scripseritque Regi, rogans, cœptum id bellum omitteret, gnarus hos principes pacis factæ consortes esse, suique socios fœderis: vidensque non secundum votum sibi responderi; exercitum produxit, capto castris loco ad Peronam, magnas instructas habens copias. Rex Compendii tum erat, exercitus autem eius rem gerebat in Britannia. Dux, cum tribus quattuorue diebus dicto loco constitisset, ipsum Regis nomine accessit Cardinalis Baluensis, parum moraturus: hic quædam ipsi non magnæ rei obtulit, adiiciens, Britanni negotia sine ipsius interuentu posse transigi. Occultæ Regis machinæ in eo semper erant vt disiungeret hos principes. Cardinalis illico expeditus est, summo honore habitus, & opipare tractatus; cui discedenti dictum est. Carolum arma non cepisse vt molestus esset regi, neque alio fine, quam vt confœderatis suis succurreret: res hinc inde amicissimis verbis fereba-

rebatur. A Legatorum discessu statim fæcialis in castra nostra venit, litteras principi Ducum Normanniæ & Britanniæ reddens, quibus docebatur ipsos pacem cum Rege iniisse, qua renunciassent simul omnibus aliorum Principum confœderationibus, expresse vero & inprimis ipsius; quodque omnium quæ poposcerat hactenus, loco, fratri Regis decreta forent annua sexaginta Francorum millia; & ita Normannia quoque ablata, quam nuper admodum suscipere debuerat. Ipse quidem hac hæreditatis paternæ cretione non bene contentus habebatur, sed potentia Regis dissimulare adigebat iniuriam. Hæ res magnopere animi externarunt Carolum, quippe qui nulla alia caussa præsens bellum susceperat, quam vt dictis principibus succurreret, fæcialis ipse summo periculo fuit, &, cum ea loca transiisset, quibus tum Rex degebat, suspicionem nostri habuere finxisse eas litteras: tamen & aliunde eiusdem rei nuncius aderat. Rex optime videbat hoc pacto se ad effectum consiliorum suorum venturum; facturumque, vt Carolus pariter Duces eosdem ea occasione relinqueret: ita cæptum est occultos hinc inde tabularios mitti, & ad vltimum Rex Duci centum & viginti millia Coronatorum numerare spopondit, quorum dimidia pars illico tradita est, antequam exercitum Carolus dimitteret, ob stipendia quæ militi debebantur. Dux tum ad Regem vnum de cubiculariis suis, nomine Ioannem Vobrissetum, misit, hominem magnopere familiarem ipsi. Rex inde ingenti concepta fiducia, proposuit Ducem ipsum colloqui, operans totum illius animum de facili obtenturum, considerato gemino isto facinore eum à duobus memoratis Principibus non tralatitie offensum, insuper grandi illa pecuniæ summa velut obligatum sibi habens. Fecit eius rei leuia indicia Burgundo, nuntio Vobrisseto; cumque hoc denuo ad ipsum misit Cardinalem Bal-

uæum,

uæum, Gubernatorem Rouſſilioni, qui plane narrauit Duci non leuiter Regi cordi eſſe hanc conuentionem. Offenderunt hi Peronæ Carolum, non ſatis equidem ad rem pronum, quippe Leodienſibus iterandæ rebellioni iam imminentibus, ob duos Legatos ipſis à Rege ſubmiſſos ad properandum negotium, ante inducias iſtas, quas ad paucos dies Rex, Carolus, & vtriuſque confœderati pepigerant. Huic obiectioni Reſpondit Baliæus cum ſuis comitibus, Leodienſes minime tale quid auſuros, quod præcedente anno à Carolo muris deſtructis prorſus velut euerſi fuerint, quod ſi maxime, inquit, tale quid verſarent animis, viſa noſtra reconciliatione quis negabit omnem eam voluntatem poſituros? Sic concluſum eſt, Rex Peronam accederet (id enim volebat ipſe:) cui rei ſua manu ad eum Epiſtolam ſcripſit Carolus, ſecuritatis eundi redeundique obſidem, eaq; minime breuis fuit. Sic reuerſi ſunt dicti Legati, ad Regem, Noyonnæ tum commorantem. Carolus interea res Leodienſium diſponere volens eo miſit Epiſcopum, cuius cauſſa tumultus iis regionibus ortus fuerat, Hymbercurtio comite, qui Vicarius erat Ducis, cum aliis non ſpernendis. Dictum eſt iam quo pacto concluſus fuerit Regis Peronam aduentus. Venit eo, nullo ſtipatus ſatellitio, operam enixe dans, vt videretur totum ſe fidei Caroli committere: itaque voluit obuiam ſibi prodire Cordæum cum ſtipatoribus Ducis (ab huius enim partibus tum erat iſte) ad ſecuritatem itineris. Idque factum eſt. Pauci omnino cum Rege venerunt, tamen maximi nominis Principes, Dux Borbonius, Cardinalis, huius frater, & Comes Sancti Paulli, Coneſtabilis Franciæ, cui quidē parū cordi erat hæc conuentio, inflato videlicet iā dum; neq; vllā ſubmiſſi animi notā Carolo præſtare poterat, vt ſueuerat antea, vnde beneuolētia inter hos duos prorſus euaneſcebat. Venit eodē & Cardinalis Baluæus,

Guber-

Gubernator Russilioni, cum plusculis aliis. Rex vt prope Peronam venit, Ducem habuit obuium, spectabili comitatu cinctum, à quo in vrbem inque ea domum Quæstoris, hospitium egregiũ, & arci proximum; perductus est, ipsa enim arx & angusto omnino erat spatio, & ædificiis parum commodis. Bellum inter duos potentia insignes Principes facile omnino inceptu est, sed compositu perdifficile, ob res illi accidentes, interuenientes, & exinde prodeuntes: magna diligentia res vtrimque geritur, vt hosti aliquid damni detur, quod minime est vt de proximo reuocetur. Eius exemplum sint hi duo principes, qui tam subito ad consilia huius colloquii prodierunt, absque deliberatione cum consiliariis, quorum vtriq; sui longe equidem tum aberant, strenue rem gerentes ad mandatum Dominorum. Dux accersierat exercitum de Burgundia, cui aderat insignis copia nobilium, inter hos Bressæus, Episcopus Geneuensis, Comes Romontius, omnes filii fratresue domus Sabaudæ (Sabauda enim gens & Burgundica ab omni memoria mirifice sibi mutuo fauent) ad hoc Germani nonnulli, tam vicini coniunctique Sabaudiæ quam Burgundiæ Comitatui; Rex autem aliquando Bressæum in vinculis habuerat, ob duos Equites ab eo in Allobrogibus interemptos, quapropter odio insigni habebatur. Huic exercitui se iunxerant etiam Lauæus, quem pariter idem Rex longo tempore carcere detinuerat, familiarem olim sibi maxime, vnde dolo elapsus in Burgundiam fugerat, Poncetus Reuireius, & Vrfæus, post Magnus Equitum Magister Franciæ. Ista omnis cohors Peronam eodem cum Rege tempore appulit; Bressæus cum dictis tribus ciuitatem intrauerunt, Crucem S. Andreæ ferentes; sperauerant quidem tempori venturos, vt cum Carolo obuiam Regi procederent, sed ea spes tempore elusa est. Cum appulis-

pulissent recta cubiculum ingressi sunt Principis, vt de more reuerenter eum salutarent. Bressæus vice omnium locutus rogare, vt ibi securis esse liceret fide Principis, nõ obstante Regis præsentia, sicut ipsis in Burgundia fuerat concessum, promissumque cum eo venirent, adiungens paratos esse seruire ipsi contra quoscunque, nemine excepto. Hanc postulationem Gratiis actis annuit ipsis expressis verbis Carolus. Reliquum huiusdem exercitus, cui præerat Mareschallus Burgundiæ, extra vrbem castra posuit, sicut antea fuerat deliberatum. Hic Mareschallus non minus male oderat Regem quam quiuis cæterorum, quorum iam facta est mentio, idque ob ciuitatem Lotharingiæ Pinalem, quam Rex aliquando Mareschallo donauerat, post autem ereptam dederat Duci Calabriæ, Iohanni, cuius frequentem superioribus Commemorationibus mentionem fecimus: Illico nunciatus est Regi superuentus huius exercitus, etiam quo vestitu singuli fuissent Procerum: hinc ingenti pauore perculsus, misitque oratum Carolum, liceret ipsi hospitium in arcem transferre, quippe omnes istos suos capitales esse inimicos: ea res magnæ Burgundo voluptati fuit; neq; solum securum animum habere Regem iussit, sed suo insuper proprio ipsi cessit cubiculo.

CAPVT VI.

Digressio de insigni commodo, quod litterarum cognitio, præcipue Historiarum, affert Proceribus, & Principibus rerum potientibus.

INgens omnino insipientia est virum Principem submittere sese potestati alterius, præcipue cũ bellum ver-

titur. Et insigne est commodum tali teneris annis cognouisse Res Gestas præteritorum Temporum. Historiæ enim commonstrare ipsi possunt exitus talium conuentuum, magnas fraudes, dolos, periuria, quibus iis ætatibus alii alios irretiuerunt, ceperunt, atque occiderunt, qui sisi hostium verbis, in eorum fidem venerunt. Non dicimus prorsus omnibus hoc accidisse; verum exemplum vnius sufficere debet ad plurimum excitandam Prudentiam, vt discant cauere sibi. Mihi quidem videtur, idque sæpissime ipso vsu expertus sum istis integris Octodecim annis, quibus magna vis secretorum negotiorum in hoc Franciæ regno vicinisque aliis prouinciis tractatorum, mihi perspecta est, vnum de maximis instrumentis esse, quibus homo possit ad Sapientiam aliquam peruenire, legisse eum Historias æui veteris; &ad earum momenta scire vitam, consilia, & conatus suos moderari atque exigere, exemplis maiorum nostrorum iter nobis ad Prudentiam veram patefacientibus: Præcipue cum ætas nostra raro auorum nostrorum tempora viuendi attringat, generali hominum vitæ imminutione, quæ nequaquam ad spatia priscorum illorum venit, neque corporibus nostris, æque atque illorum fuerunt, firmis & robustis. Deinde quia fides etiam magnopere, & hominum in homines beneuolentia atque integritas decreuerunt, vt nesciam quam rationem inire quispiam debeat vt credere promittenti secure possit, idque vel maxime inter Principes, qui admodum suis subiecti sunt affectibus, contemta plerumque ratione; quodque his peius etiam est, cincti identidem hominibus, nihil aliud studentibus, quam vt dominis suis placere valeant, omnibus eorum inceptis abblandiri, cuiuscunque ea sint pretii, consuetis; contra quos si melius aliquid protuleris, omnia illico conturbasse existimabere. Porro etiam non possum abstinere con-

temtu

temtu ineruditorum Principum: Familiaritate Principum vt maximum vtuntur, iisque conuersantes fere vbi videas Clericos, & stolatos homines, vti etiam ratio videtur poscere; sunt hi, si boni sunt, ornamenta egregia aularum, si mali, maxima pariter detrimenta. Ad quoduis verbum in ore habent Legem aliquam, aut Historiam: Harum etiam optimæ nullo negotio torqueri in malos sensus possunt: Qui autem sapiet, legeritque historias ipse, numquam his decipietur neque quisquam tam audax erit vt mendacium pro re gesta coram erudito Principe recenseat.

Credas mihi, quicunque leges ista, Deum Regum Principumque Officia & Dignitates nequaquam ideo instituisse, vt velut bestiæ aliorum sensibus prudentiaq; ii regantur, nec propter illos adeo, quibus gloriosum dictu est; non sum ego clericus: viderint consiliarii mei, his meum est, fidem adhibere; vt post has voces, nulla audita neque addita ratione, abeant ad consuetas delicias: Hi si teneris annis melius instituti forent, nunc alia vtique omnia saperent, cuperentque & vitam & mores suos probare probis hominibus. Non affirmem omnia Principum consilia stupidis, malignisue, aut perfidis hominibus instructa esse, maiorem tamen partem eorum, quos ego viderim, his nequaquam exoneratam fuisse, in me recipiam. Tempore vrgente, vidi sapiẽtiores Principum potuisse quærere Prudentes præ cæteris, & eorũ consiliis citra moram & querimoniam vti; omnium autem maxime callentem hanc artem Regẽ nostrum comperi, quo nemo vel honorabat promtius, vel cognoscebat sagacius viros præclaros, atq; cordatos. Satis ille sciens erat litterarum. Delectabatur maxime rogare, & omnium rerum aliquam discere posse notitiam. Ingenium intellectumq; natura optimis meliores habe-

bat, quæ dona omnibus cæteris vtique optabiliora & vtiliora ſunt, quæcunque homo vſu diſcere omni ſua vita poſſit.

Libri quidem, quicumque ſcripti erunt, ad nihil erunt vtiles, quam vt memoriæ noſtræ inſeruiant præteritarum rerum recenſionibus: Hacque ratione in vno ſolo libro, tribus ſolis menſibus plus videbit vnus homo, quam experientia, vſuſq; rerum, & conſpectus vitæ, viginti integros docere poſſint, etiamſi ordine ſuam alteri ætatem alter ſubiunxerit. Et, vt concludam hanc digreſſiunculam, cenſeo, non poſſe Deum maiore quampiam prouinciam vulnere cõcutere, quã ſi Principem illi dederit exſenſum atq; ineruditũ; hinc enim exorta procedunt omnia cætera infortunia. Primo loco ſuboriuntur diſſenſiones & bella; quippe ſemper ille auctoritatem imperiumque ſuum ſub alterius manu habet, eiuſque talis, vt ab eo ſibi cauere deberet cautius, quam ab aliorum quoquam: Hinc generantur Peſtilentia & Fames, pediſſequæ cum infinitis cæteris malis, Bellorum; Videatis ergo quo affectu dolendum ſit cordatis ſubditis, cum videre coguntur Principum ſobolem male educari atque inſtitui, idque ſub hominibus nullis non vitiis vberantibus, virtutum vero prorſus expertibus.

CAPVT VII.

Qua de cauſa & quo pacto Rex Ludouicus fuerit captus & incluſus Arci Peronenſi, à Duce Burgundiæ.

HActenus recenſuimus aduentum exercitus huius Burgundici, qui quidem Peronam fere ſimul cum Rege appulit; Carolus eius ſuperuentum tempori inhibere nequiuerat, iam longe enim proceſſerat cum de Regis

Regis præsentia negotium conclusum est. Hic miles rem propositam admodum infestam fecit, suspicionibus subsecutis. Hactenus duo isti Principes per internuntios conuentum tractauerant, animo habentes quã amicissime fieri posset componere quicquid interuenerat disceptandum. Feruente iam negotio, postquam tres quatuorue dies colloquentibus elapsi erant, Leodio rerum admodum nouarum nuntii superuenere, quos nunc narrabimus. Exciderat Regi, cum Peronã prodiret, misisse duos legatos Leodium, vt ciues eius vrbis contra Ducem emouerent: nihilo secus illi rem tam nauiter gesserant, vt iam dum successu optato in arma multitudinem concitam haberent. Sic ex improuiso Tongriam cepere, vbi Episcopus tum ipsorum & Hymbercortius degebãt, comitati duobus amplius hominum millibus. Captus hic est Episcopus, captus est Hymbercortius, paucis occisis, nullo præter hos, nisi de familia Episcopi nonnullis, prehenso: Cæteri fuga euaserunt, relictis fortunis omnibus, instar desperatorum. Hinc Leodienses ad vrbem suam reuersi sunt, Tongria non procul sitam. In itinere Hymbercortius comem nactus, cui custodiendus datus fuerat, Guilielmum Villeium, Siluestrem vulgo Gallis dictum, virum nobilem & fortissimum, cum eo de dimissione sua pactus est; is eum seruauit, nequicquam fidei sui memor, vicem enim dimissi non diu post ipsemet à furẽte vulgo trucidatus est. Plebs ista magnopere lætabatur de captiuitate sui Præsulis. Male oderant Canonicos complures, quos pariter eo die ceperãt, quorum primo furore quinque aut sex interemerunt: Inter cæteros periit ibi Secretarius Episcopi intimior, Robertus Magister, quem sæpius videram omnibus ante armis indutum pone dominum suum; Hæc enim consuetudo est Præsulum Germanorum: hunc in oculis Episcopi occiderunt cadauerque in plures partes dissectum

alter alteri per ſummum ludibrium adiecere: Priuſquã ſeptem octoue illa milliaria, quantum viæ habebant, confecerunt, ſedecim vſque homines trucidauerant, Canonicos, alioſque ſpectabiles viros, omnes è miniſterio dicti Epiſcopi. Interim Burgundorum nonnullos dimiſerunt, ſentientes iam pacis exordia tractari, contenti contra Præſulem hoc egiſſe, vt præferebant, quem vrbi captiuum induxere. Fugitiui, quos diximus, omnem circa regionem pauore complebant, & rumor Duci cito allatus eſt; Pars ferebant omnia peſſumdata, alii contrarium canebant, vt de talibus factis plerumque fama non vna ſpargitur, neque vnus venire ſolet nuntius. Sic adfuere qui Epiſcopum occiſum dicerent, viſis ita tractari Canonicis, pariterque Hymbercortium & cæteros, addentes conſpectos in agmine furentium Legatos Regis, quos & nominabant. Carolus, rei narratæ fidem extemplo adhibens, ingentem animo iram concepit, affirmans decipiendi ſui cauſſa Regem illuc veniſſe, itaque illico miſit qui portas vrbis arciſq; clauderent, operoſo admodum rumore abſono, perditæ id fieri ciſtulæ cuiuſpiam cauſſa, cui infuerint multæ pretioſæ gemmæ, & aurum. Rex videns ſe incluſum Caſtro illi, exiguo quidem ſatis, ſtrictaſque ad ingreſſum cuſtodias, non erat ſine ſummo metu, præcipue cũ propinquam ſibi videret ingentem turrim, in qua Comes ante Veromanduorum quidam, præceſſorum ſuorum vnum, Galliæ Regem, interemerat. Ego tum eram ex Ducis adhuc miniſterio Cubicularius, inque ipſius conclaui dormiebam, cum vellem, hæc enim conſuetudo eſt eius familiæ; Is cum vrbem ex mandato ſuo clauſam videret, intimos ſuos prodire iuſſit, iiſque mecum narrare cœpit, vt Rex cauſſa ipſius euertendi eo veniſſet, neque ſibi animi vnquam congreſſum iſtum fuiſſe, quem protulerit quantum licuerit; adiecit his

Leo-

Leodienſium nouum facinus, vt à Rege illud per Legatos accenſum adminiſtratumque fuerit, ſuis omnibus ibi interemtis, eratque horribiliter in Gallum commotus, multis minis inuehens, ita vt crediderim ſi tum quales quærebat conſiliarios inueniſſet, qui bilem augere & Regi inferre malum conſuadendo voluiſſent, rem vtique ita geſtam fuiſſe, ad minimum illi turri eum impegiſſet. Erant mecum ad hos ſermones duo Cubicularii iuuenes, quorum alter Carolus Viſinius Diuionenſis, probus homo, magna apud Principem æſtimatione erat: Nos non accendebamus feruentem, ſed, vti licebat, componere ſtudebamus. Mox pluribus aliis pariter locutus eſt, & per totam vrbem ſententia eius peruagata, venit in conclaue ipſum vbi Rex erat, qui quidem peſſime perculſus fuit, vt tali re nemo non præſentium præcipue videntibus in propinquo ſummum infortunium, & expendentibus quantum conſiderandum ſit, cum talis aliquis diſſenſus tantis incidit Principibus, etiam errores, quos ambo iſti commiſerant, procul relictis Conſiliariis & miniſtris, quibus alia negotia demandauerant, tam inſperato ſubito ingruente diſcrimine.

CAPVT VIII.

Digreſſio, probans conuentum duorum magnorum Principum, componendis coram negotiis diſcordiarum, plus ferre damni quam emolumenti.

QVi Principes æqua ſunt potentia, iis inſignem ſtultitiam exiſtimo in conſpectum mutuum conuenire, demto dum ſint ætate primęua, qua nullarum rerum curam habent, quam delectationibus ſuis ſatisfacere; Poſtquam vero laborant alterum alter potentia copiiſque ex-

exſcendere, licet de perſonis ipſorum nullum ſubſit periculum, quod velut impoſſibile arbitrere, hinc vtique inuidia & maliuolentia mutua augetur. Quamobrem malim diſſenſiones obortas per ſapientes cordatosque eos miniſtros componere, vt alibi dixi fuſius his ipſis commemorationibus. Nunc ſubdam exempla quædam, quibus experientia me mea priuatim inſtruxit. Paucis annis à Coronatione Regis noſtri, ante Fœdus Principũ cui Boni publici titulum dedere, in colloquium venere Reges Galliæ & Hiſpaniæ, quorum amicitia toto orbe Chriſtiano coniunctiſſima eſt, ſunt enim Reges ipſi cognati, & territoria vicina, hominesque hominibus per omnia ſanctiſſimis iuramentis conſtricti. Ad hoc colloquium Henricus Hiſpanus vſque Fontarabiam cum inſigni comitatu proceſſit, Gallo apud Sanctum Ioannem de Luz quarto inde milliari ſubſiſtente. Vterque in ſummis confiniis ſuarum terrarum erat: ipſe non adfuit, ſed Rex Ludouicus rem narrauit, vt & Dominus de Lau, pariterque audiui in Hiſpania ab iis qui Regi ei tum adfuerant, inter quos erat Magnus Magiſter Sancti Iacobi, & Archiepiſcopus Toletanus, tum primatum Hiſpanorum primi: Affuit & Comes Lodeſmius, Regis delitiæ, cum magna pompa, & tota armigerorum aulicorum cohors, trecentis Equitibus conſtans, Mauris pleriſq; Granatenſibus, & colore nigris, Vera res eſt Regem eum parum cordis habuiſſe, cum omnibus fortunis & ipſo corpore ductilem cuicunque aſtuto quo libuiſſet. Rex noſter pariter magno comitatu erat (vt norunt morem eius qui viuenti adfuere) præcipue armigeris inſignibus ſpectabilis. Præſto fuit & Regina Arragoniæ ob diſſenſionem quampiam cum Hiſpano, Eſtellæ aliorumque Nauarræi regni locorum gratia, cuius arbiter deſignabatur Rex noſter. Vt ad periculum conſpectus Regum redeamus, hi duo Principes numquam quoquam

quam contenderant, neque quicquam commune diuidundum habuerant, & collocuti sunt bis vel ter modo in ripa fluminis quod duorum regnorum discrimen facit, iuxta paruum quoddam castellum vocabulo Heurebisi, ad quod flumen Hispanus transmisit. Non diu ibi commorati sunt, saltim donec Magno Magistro Sancti Iacobi & Archiepiscopo Toletano placuerat. Horum Rex noster ea propter familiaritatē quæsiuit; veneruntque ad eum vsque Sanctum-Ioannem-de-Luz; vbi bonam magnamque cum iis amicitiam iniit, Rege ipsorum nihili ęstimato. Maxima pars Regis vtriusque de comitatu hospitabatur Bayonaæ, qui ad primum congressum multa certamina certabant, vtcunque societate gentium stabili. Sic & linguæ diuersitas magna est. Comes Leodesmius fluuium transibat lembo, cuius vela de panno erant aureo, cothurnos indutus muliebres, variis multisque gemmis intextos atque oneratos, sicque regem accessit. Opulentus erat maxime, vidique postea factum Alburgi Ducem, possessorem magni in Hispania territorii. Ludibriis verborum multis populi tam stricte socii mutuo collisi sunt. Rex ipse Hispanus deformis erat, vestimenta Gallis prorsus displicebant, derisuique dabant materiam. Noster induebatur breui tunica, tamque neglectim, vt peius nec posset, panno vili sæpius, tectum caput habens inutili quodam pileo, supra quem imago de plumbo eminebat. Hispanis hoc cachinnos mouebat, ratis auaritiæ esse sordiumque. In effectum ita conuentus iste dissolutus est, vt, qui ludibriis dicteriisque constiterat, Regum animos ita alteraret, vt ex eo tempore neuter alterum amare potuerit. In Hispani aula successere magni motus, qui durauere ad mortem vsque ipsius, longoque post tempore: Ipsum quidem vidi desertum omnibus postea ministris, pauperrimum quos vmquam Reges conspexerim. Reginam Aragoniæ male habebat

lata ſententia, quam Rex noſter in commodum Hiſpani tulerat, ideoque eum ſumme deinceps oderat, vt & Rex Aragoniæ, quamlibet ope eius paullum vterentur adverſus Barcelonnenſes, vrgente neceſſitate; ſed ea amicitia cito exſpirauit, obortumque inter Aragonem & Hiſpanum bellum durauit annos ſexdecim ipſos, neque nunc quoque prorſus conſopitum eſt. Dicamus nunc de aliis. Dux Burgundiæ Carolus magno multoque labore obtinuit conuenire cum Friderico Imperatore, nunc quoque ſuperſtite, inibi ingentes mirandoſque ſumtus fecit, oſtentandæ magnificentiæ ſuæ, tractatæque multæ res ſunt Treueris, quo loco congreſſi erant, inter cætera & matrimonium liberorum, quod poſtea cõfectum eſt. Cum plures dies ſimul fuiſſent, inſalutato Duce Imperator abſceſſit, magna eius inſignitaq; contumelia, numquã poſtea nec ipſi, nec ſubditi ipſorum ſeſe inuicẽ amarunt. Germani ſumtuoſitatem & magnidicentiam Ducis inceſſebant, ſuperbiæ faſtuique adſcribentes. Burgundos offendebant tenuis Imperatoris cultus, & comitatus exiguus. Eouſque proceſſu temporis altercatum eſt, vt inde natum ſit bellum ad Neuſſam. Vidi pariter eumdem Ducem ad oppidum Sancti Paulli in Arteſia colloquentem Regi Angliæ Edoardo, cuius habebat in coniugio ſororem, & ordinis Equeſtris ſocii fratres erant: duobus diebus inibi fuere: Regis familiares diuerſa ſentiebant, vtraque factio Duci ſuas res commendabat: Hic alteri fauebat magis, vnde odia mutua increſcebant. Tamen auxilio Caroli Edoardus regnum recuperauit, accepto exercitu, pecunia & nauibus, fugatoque Comite Warwicio, à quo pulſus fuerat; Nihilominus beneficium hoc tanti non fuit, quin ab hoc congreſſu neuter amaret alterum, vterque de altero male ſentiret & loqueretur. vidi ad eumdem Ducem viſitatum venire Comitem Palatinum Rheni. Aliquot hic dies Bruxellis ſubſtitit, vbi nul-

nullo non honore, comitateque conclauibus inſigniter exornatis exceptus atq; tractatus eſt. Aulici Burgundiones Germanis exprobrabant inciuilitatem, veſtimentis ſordidis ocreiſq; conſpectis ſuper lectos ſplendide ſtratos proiectis, quodq; minus omnino cultus atq; elegantiæ ſtudioſi eſſent, quā noſtri homines, Principemq; ipſū minoris multo quam antea faciebant. Germani contra, ineptiis talibus velut moleſte latis, pompam totam aulicæ vanitatis vituperabant: ad ſummam, numquam exinde bene & iſti ſibi inuicem voluerunt, nec quicquam grati alter alteri fecit. Pariter ad Carolum venientem vidi Ducem Auſtriæ Sigiſmundum, quo tempore vendebat ipſi Comitatum Pfirtenſem, ſitum ad confinia Comitatus Burgundiæ, aureorum centum millibus, quod eam ditionem ab Heluetiis defendere nequiret. Neque horum alter alteri Princeps placuit; & paullo poſt tranſegit cum Heluetiis Sigiſmundus, pecuniaque retenta, Duci dictam regionem eripuit, vnde Burgundum infinita vis malorum ſuperuenit. Eodem tempore eidem Carolo affuit & Comes Warwicius, quem numquam poſt pro amico habuit, neque viciſſim à Comite habitus ipſe eſt. Præſens itidem interfui conuentui ad Piocennium, prope Ambianum, Regis Edoardi Angliæ, noſtrique Galliæ Ludouici, qua de re pluribus, vbi fuerit opus. Paucæ omnino pactiones, in quas ibi conſenſum eſt, ſunt ſeruatæ, Alter alterum occulte oppugnabat. Verum quidem eſt, palam ceſſabant bella, & erat medium mare, ſed non minus, nullá vera inter eos porro amicitia. Ad finem, vti dixi, mea ſententia Principes inconſulte agunt, conuenientes colloquiis, ſiquidem cordi ipſis mutua eſt amicitia; diſſenſionum inde oriundarum cauſſæ ſunt complures: Aulici nō poſſunt abſtinere quin de rebus præteritis colloquantur, horum ſermonum aculei à neutra parte ſine morſu

animi

animi audiuntur. Fieri non poteſt quin comitatus alterius altero ſit ſplendidiore habitu&inſtructior, vnde ſubnaſcuntur ſannæ, mirifice diſplicituræ irriſis. Cum diuerſarum nationum ſunt Principes, linguis vtique etiam & veſtitu diſcrepant, quodque gratum habet hic, alteri diſplicet. Principum ipſorum accidit vt corpore hic ſit illo conſpectior, & moribus ad omnia gratioribus, hinc alterius familiares iſtum ſuo præferunt, gaudet ille laudari, & gloriam ſuam contemtu inuenuſtioris augere ſatagit. Primis, vbi diſceſſum eſt, diebus, occultis auribus inſuſurrantur delectabiles hæ narratiunculæ; poſt, adſuetudine demente cautionem, inter prandia & cœnas rumor increſcit, vagaturque deinceps per vtramque aulam. Vt generatim in vita humana paucæ res ſecretum patiuntur, ſic minime cum primis iſtæ, de quibus quæ expertus ſum & ratione concludere poſſum, iſthic commonere volui.

CAPVT IX.

Vt Rex confœderationem cum Leodienſibus ruperit, quo de cuſtodia in Caſtro Peronnenſi liberari poſſet.

SAtis largiter exſpatiati ad Regem in Peronenſi cuſtodia commorantem iam redeamus, edoctis lectoribus, quid vſu compertum nobis hac in re videatur factu ſapientius. Portæ exituſque eius ciuitatis ita vti dictum eſt per homines lectos duabus tribuſue diebus clauſi cuſtoditi ſunt: interea Regem Dux non acceſſit, nec de eius famulitio permiſſum erat eumdem viſere, niſi admodum paucis, idque per oſtiolum minutum. Neminẽ quidem ſubmouit aulicorũ Carolus, ſed ſolis ſuis, iiſdẽq; pauciſſimis, ad Regem introitus patebat, minime vero Conſiliariis Regiis, aut aliqua alioquin auctoritate præditis.

ditis. Prima die mirabilis metus & conſternatio totum oppidum habebat, rumore dira omnia fremente. Altera feruor Ducis non nihil remittere cœpit. Conſilium congregatum à maxima diei parte in multam vſque noctem ſuſtinuit. Rex omnes ſollicitari faciebat in ſubſidium, quos vllo modo poterat, nec parcus erat pollicitationũ. In id ad quindecim millia Coronatorum expendi iuſſit, verũ qui ei rei præfectus erat mala fide eam adminiſtrauit, vt Regi poſtmodum compertum eſt. Maximo hic opere timebat eos quos ante miniſtros habuerat, quoſq; cum exercitu Burgundorum aduenisſe ſupra memorauimus, iam auctoratos Duci Normanniæ, fratri Ludouici. In Burgundi conſilio diuerſæ opiniones diſceptabantur. Maior pars fidem datam Regi ſeruandam ſciſcebat, præcipue ſi in pacis articulos, vt ii ſcripto comprehenſi fuerant, conſentiret. Nonnulli captiuum illum detineri volebant citra ambages, vt erat. Aliorum erat ſententia extemplo accerſendũ eſſe Ducem Nomanniæ, pacemq; talem concludendam, quæ omnibus Franciæ principibus accepta vtiliſque foret: Videbant huius auctores, re ita definita, iniecto velut fræno regis poteſtatem commode reſtringendam, quem & arctiori cuſtodia ſepiendum cenſebant, gnari tantum Principem, ſemel captum, niſi cum auctoritate teneretur, poſt offenſionem tam ingentem ſæuiter vindicaturum. Hæc opinio tam parum aberat vt obtineret, vt iam pranſum paratumq; viderim hominem itineri imminere, pluribus litteris inſtructum, ad Ducem Normanniæ tum in Britannia degentem, neque deerant niſi ſolius Caroli. Tamen conſilium hoc effectum non habuit. Rex oblationes ingentes faciebat; obſides Ducem Borbonium, cum fratre Cardinale, Coneſtablium alioſque plures nominans, vt pace concluſa liceret ipſi Compendium vſque abire, illico etiam facturum vt Leodienſes damna data ex arbitrio Caroli compen-

pensarent, aut sese ipsummet pro hostibus eos habiturũ. Quos obsides nominabat, sese ipsimet vrgebant, certe palam, nescio an pariter priuato consilio, neq; parum æstimo quin secus, quodq; semel inde liberati numquã fuerint redituri. Tertiam hanc noctem vestitum non ponebat Carolus, duabus tribusue vicibus in lectulum corpus declinabat, sed vt mox surgeret, spatiareturq; per conclaue, vti animo turbato moris habebat. Eam noctẽ vno cum ipso cubiculo dormiebam, deambulantique ex interuallo comes ibam. Mane orto maiore quam vmquam iracundia fuit, minis ingentibus fremens, paratus magnum aliquid conficere; tamen eo consedit feruor, vt si Rex iurare pacem, & comitari ipsum ad pœnas à Leodiensibus sumendas, vlciscendumq; propinquum Regis, Episcopum ipsorum, vellet, res componi posset. Hoc concluso subito prodiit ad Regi in custodia significandam sententiam. Regi non defuit amicus præmonitor, de cætero securum animum habere iubens, modo in hæc duo assentiretur; secus in summum quod metuere posset periculum se coniecturum. Cum in præsentiam eius venisset, vox Duci tremebat, tantum concitatus erat, & ad iracundiam paratus. Humilem habitũ corporis præferebat, sed voces & gestus asperi erant, ita interrogauit Regem an pacis tractationem ratam habere, vt ea scripto tradita, & in eam consensum fuerat, & iureiurando firmare vellet. Rex citra ambages velle respondit. In veritate nihil inibi innouatũ erat ab eo quod ad Lutetiam placuerat, quo ad Carolum quidem, ducemque Normanniæ, Regem autem, plurimum. Nam erat præscriptum, renunciaret Ducatu Normanniæ, caperetque eius vicem Campaniam, Briensem, aliasque regiones vicinas, in partem hæreditariam. Ab hoc rogabat Carolus, placeret ne comitari ipsum Leodium, ad vlciscendum scelus quo læserant ipsum, aduentu Regis

incitati: recensuit hinc propinquitatem sanguinis, quo Ludouicum Episcopus cõtingebat, Borboniorum quippe domo oriundus. Responsum à Rege est post iuratam pacem, vt cuperet, volentem ipsi eo comitem iturum, comitatu quam grandi paruoue Duci videretur. His verbis apprime gauisus est Carolus, extemploque articuli pacis allati sunt, deque Regia supellectile deprompta Vera Crux, Carolo Magno quondam gestata, quam Victoriæ appellabant, sicque Pax iureiurando firmabatur; Hoc facto omnes per ciuitatem illico campanæ cõpulsæ, hominumque incredibilis lætitia excitata est. Alio post loco Regi placuit honorem mihi dicto bene gestæ rei in hac conuentione tribuere. E vestigio in Britanniam negotii successum Dux, misso exemplari pacificationis, nuntiari fecit, qua quidem in societate principum ipse permanebat. Sic hæreditatem luculentam adipiscebatur frater Regis Carolus, comparatione quidem eorum quæ in Britannia conuenerant, qua compositione præter annuum aliquem reditum pecuniarum ad eum nihil pertinebat.

CAPVT X.

Vt ad bellum cum Leodiensibus Ducem Rex fuerit comitatus, quibus antea societatem iunxerat.

PAce, quo dictum est modo, conclusa, perendie recta profecti sunt Cameracum, inde in territoriũ Leodẽsium. Erat hiemis initium, pessimaq; aer tempestate. Regem comitabantur corporis custodiæ, Scoti, pauciq; de nobilitate Gallica, sed accersiuit in subsidium trecentos Cataphractos. Exercitus Dux bipertitus erat. Alterã aciẽ ducebat Mareschallus Burgundiæ, de quo supra facta est mentio, cui inerant Burgundi omnes cum Nobilibus Saub-

Sabaudis, cum magno numero militis Luxemburgici, Namurcadi, Hannonici, & Limburgici. Alteræ præerat Dux ipse. Cum prope ciuitatem hostium ventum esset, conuocauit consilium Carolus. Visum est nonnullis alteram copiarum partem retromittendam esse, cum Leodiensibus muri & portæ præterito anno proruti euersque essent, neque aliunde spem auxilii haberent, accedente præsentia Regis; qui in Caroli emolumentum contra ipsos omnia iudicaturus haberetur. Duci aliter tum visum, nec sine subsecutura gratulatione, neq; enim alio loco propinquior summæ cladi fuit quisquam; suspectum habebat Regem, quæ res ipsum sapiẽte hoc cõsilio instruxit, vt pati non posset affirmãtes nimis ipsi copiarum adesse. Sane cõtrarium sentientes magna vel arroganta vel stultitia fuere, quibus obnoxios paribus rebus multos vidi militares alios Primores, vti videlicet opinionem audaciæ sibi conficerent, vel defectu prudentiæ, in gerendis rebus perspiciendis; quos quidẽ parum morantur Principes, si qui cor habent. Hoc negotium doctissimus erat Rex noster, felicis memoriæ, timidum enim & sollicitum agebat in rebus aggrediundis, cæterũ vbi quid susceperat, tum perspicaliter omnia prouidebat vt rarissime non destinatũ finem tangeret, potireturque optato euentu inimicorum omnium ingratiis. Sic definitum est vt dictus Burgundiæ Mareschallus cum copiis suis vniuersis protinus ciuitatem inimicã intrarẽt, quod si negaretur aditus, vi rem conficerent, vt possent. Iam hinc inde Leodiensium nuncii ibant, quærentes componere dissidium, cumq; Rex & Carolus Namurcum venirent, legati eorum ibi erant, sed ad ventu principum retrogressi sunt. Cum prope vrbem appulisset exercitus, fatua plebs obuiam se effudit, sed nullo negotio disiecta est, non paucis interfectis; cæteri retulerunt sese, quo tumultu elapsus Episcopus ipsorum ad nos peruenit.

Erat

Erat in ciuitate Legatus Pontificis, missus ad cognoscendam componendamque cum Præsule populi litem, quorum isti erat sacris iampridem interdictum, ob ea quæ supra recensita sunt. Hic Legatus excedens commissam sibi potestatem, spemque fouens sese Episcopali cathedra potiturum, fauebat ciuibus eosque ad capienda arma instigabat defensionem necessariam iactans, cum aliis minime prudentibus consiliis; re vero ita vertente fuga euadere voluit, Captusque mox cum quinque & viginti equitibus splendide instructis, quod cum Burgundo relatum est mandauit qui ceperant vt in locum tutum hominem transueherent, atque vt mercatori argentum quod possent extorquerent, dissimulato suo imperio, nam si palam foret conscium se captiuitatis, videbat retineri non posse, sed in reuerentiam sedis Apostolicæ libertati restituendum. Non poterat hoc confieri, altercantibus inter se captoribus, & publice ad prandium Carolo venere nuntiatum, qui partem emolumenti vindicabant, quapropter missis satellitibus in suam eum potestatem recepit, ereptum disceptantibus; reddique omnia ei ablata iussit, neque vulgari eum honore affecit. Ingentes hæ primæ aciei copiæ, quas Mareschallus Burgundiæ cum Hymbercortio ducebant, recta ad vrbem tendebant, illico intraturas sese confisi, auaritiaque inducti diripere malebant vniuersam, quam de vlla compositione audire, licet offerrentur conditiones. Sic neque exspectandum Principum superuentum rati (qui ad septimum octauumve milliare sequebantur) tantum properabant vt ad noctis initium suburbiorum vnum inirent, recta quidem contra ciuitatis portam, quam vt potuerant populus instaurauerant. Colloquio habito, nihil pacificum conclusum est. Nox bene obscura deprendit incertos hospitiorum, neque spatia diuersendi inuenientes, & perdito ordine palantes. Pars spa-

tiabantur per plateas,alii Duces, socios, præfectosque inclamabant. Ioannet Villettius aliique Leodiensium Tribuni militares hanc futilitatem conspicati, animos erexere ad magnum aliquid audendum, quibus commodum non leue præstabat Vrbis incommodum maximum,proruta nimirum mœnia; poterant enim vndecunque vellent in hostem prodire. Ita per ruinas & rudera progressi primores copiarum à fronte,lixas autem & militaria ministeria, ad caput suburbii, vbi intrauerant,magno numero equos curantia, per vineas & colliculos improuisi incurrebant, quorum & magnam cædem fecere:ingens turba fugiebat hinc inde, pudorem tenebris dementibus; tam strenue Leodienses iis institere vt supra octingentos ceciderint, quorum in numero centum erant Equites cataphracti. Quibus in hac acie virtus erat maior & consilium promtius, densato agmine, Vexillis signisque erectis recta ad portam vrbis contendebant, plerique omnes nobiles, armisque incluti viri, metu ne illinc erumperet hostilis multitudo. A continentibus imbribus humus erat perquam cœnosa, lamæque luti militum pedes supra talos tegebant,Equitesque omnes pedibus astabant. Semel vniuersa plebis colluuies eiicere se vrbe ingenti clangore coruscationeque facium tendebat; nostris ex aduerso quatuor tormenta ænea erant, quibus per longum plateæ tribus quatuorve vicibus exoneratis stragem magnam faciebant, quo adacti clausis sunt portis recedere à suburbii incursu. Ex altera parte, qui eruperant,nonnullos currus carrucas nacti, cum prope ciuitatem essent,iis sese obmuniuere, satis equidem misere, ad sextam enim matutinam ab altera à media nocte hora illic delituere; Exorto autem iubare, vt conspectu mutuo res geri poterat,retropulsi sunt, quo in conflictu Dux ipsorum Ioannes Villettius vulneratus est, quo ex

vulnere

vulnere tertia post die intra ciuitatem exspirauit, cum vno alteroque de cæteris Præfectis.

CAPVT XI.

Vt Rex & Dux, cum vniuerso exercitu reliquo ad Leodium ipsi venerint.

ERuptiones ex obsessis ciuitatibus, vti nonnumquam non inutiles videantur, necessariæque adeo clausis intra mœnia, ita raro non sunt periculosæ iisdem: Decem enim hominum damnum, magis noxium est his, quam obsidentium centum, ingens enim numeri discrimen est, neque obsessis sufficere amissis integros datur, & sic perdere possunt Ductorem aliquem, cuius imperio nudata præsidia, nihil quærant, nisi relinquere ciuitates. Terror huius conflictus ad Caroli vsque castra peruenit, qui ad quintum milliare ab vrbe tum consederat. Prima rei facies cædem vniuersæ primæ aciei portabat. Ille tamen illico itineri se dedit cum totis suis copiis, vetito ne clades Regi enuntiaretur. Cum ex altera parte prope ciuitatem venisset, alii venere indices, omnia bene habere affirmantes, neque tantum occisorum numerum esse, quantum putauerant, deque illustribus viris neminem desiderari præter Equitem vnum Flandrum, Baronem Serginium, non esse tamen extra grande periculum atque laborem, quicunque meliorem copiarum partem facerent: totam enim noctem cōstitisse in paludibus, iuxta portam ipsam hostilem, & peditum disiectorum bonam partem ita animas ex fuga remisisse, vt nequaquam exspectari ab ipsis ingentia facinora posſint, vtque per omnia sibi cara aditum

accelerarent, vt in diuersa vrbis defendendæ loca distrahatur multitudo, quæ vno illis modo immineret; ad summam vt & de apportandis victui necessariis curarent, ipsis enim nec frustum vnum panis superesse. Dux trecentis expeditis equitibus summo studio properare iussis, quantum cibi poterat, submittebat illico; duos iam dies cum nocte vna famem tolerauerant, neque potus erat copia, nisi si qui vtriculis quippiam secum portarant, insuperque tempestas atrocissima, neq; vlla ratione illac vrbem intrare potuissent nisi ex altera parte Carolus negotium multitudini facesseret. Vulnerati insuper erant multi, interque eos Princeps Auraicus, quem pene nominare prætericram, qui virtutis suæ egregia tum documenta dedit, neque vmquam statione sua se mouere voluit. Pariter bene rem gessere Launæus, & Vrfeius, præclara virtute viri; Præterita nocte amplius duo hominum millia aufugerant. Iam vesper diei erat cum indicium memoratum Carolo allatum est, isque missis, quos dixi, illico ad Vexillum suum prodiit, totam rem Regi nuntiaturus. Rex mutato malo nuntio apprime gauisus est; euentus enim sequior ingenti ipsi incommodo esse poterat. Mox raptim suburbiis copiæ admotæ sunt, Equites cataphracti cum sagittariis, relictis equis, iuncti densatis cuneis ea occupatum ibant; Primi diuersoria tenuerunt Naturalis Caroli frater, Spurius, vti appellabatur, de Burgundia, cui magnarum rerum in exercitu administratio credebatur, Baro de Rauenstein, Comes Rosius, Conestablii filius, cum aliis viris fortissimis & nobilissimis. Nullo negotio hospitia in suburbio illo capta sunt ad vsque portæ confinia, quam vti alteram, de qua dictum supra, pro copia instaurauerant ciues. Dux in medio suburbii consedit. Rex noctem istam in suburbano quopiam, amplo & bene ædificato ad quartam ab vrbe milliaris partem commoratus est,

cir-

circumcinctus grandi tam ipsius quam nostrorum militum numero. Situs ciuitatis è vallibus & collibus constat, regione perquam fertili, mediamque transit Mosa fluuius; amplitudine parem Rothomago dixerim, tum quidem mirifice frequens habitabatur. A porta, quam nostra acies adsidebat, ad alteram vsque, quam prima tenebat, per ciuitatem ituro via erat admodum breuis, extra autem oppidum circuitus ad tria milliaria habebat, tantum intererat anfractuum & interruptarum viarum, & iam hiemale sidus omnia tenebat. Muros habebant Oppidani prorsus dirutos, erupturisque vndique viæ patebant per ruinas, qua vellent exire, perparuum prætendebatur vallum, nam fossas petrarum rupiumque, quæ mœnibus pro fundamento fuerant, asperitas nullas admittebat. Aduentus Principis prima illa vespera magno solatio statim primæ aciei fuit, coactis hostibus diuidere vires, ad duabus partibus rem tutandam. Media nocte ingens repente tumultus nos concussit; Carolus illico in plateam euaserat, neque diu post superuenere Rex & Conestablius, festinationi summæ nihil reliquum facientes. Hi clamabant, hac porta prodire hostes, illis metus atque horror nocturnus alias vociferationes dictabat; tenebræ tam spissæ, tamque tempestas maligna erant, vt ad timore omnia percellenda factæ viderentur. Duci non deerat animositas, vt nec vmquam, aliquando tamen consilium, & ordinandarum rerum prospicientia; Et vt dicam quod res est, desiderabant solitam in eo multi cordati homines virtutem & constantiam, cum in Regis res ageretur præsentia. Is tum imperium velut vacans sumebat sibi, auditæque sunt voces iubentis per exercitum, vt Conestabilem cum monuit quos haberet milites, ad illum locum traduceret, vtique enim inde venturum hostem, siquidem esset. Qui vidisset gestum, & vocem audiisset imperantis, Re-

gem summæ virtutis facile æstimasset, prudentissimumque, quique non tum primum tantarum rerum expeditioni adesset. Tamen effectu tumultus caruit, reuersique in sua ambo sunt Principes hospitia. Altero primo mane Rex & ipse suburbium intrauit, diuertitque in domunculam quampiam satis exiguam, proximam diuersorio Caroli. Aderat ipsi custodia corporis centum satellites Scoti, reliqui Equites in propinquo vicum quemdam insederant. Dux animo erat anxio valde, ne vel vrbem Rex intraret, vel ante eam captam effugeret, aut prorsus ipsi aliquod detrimentum facesseret, tam prope hospitium habens: itaque trecentos equites, florem ipsum familiarium suorum, in horreum clam collocauit, quod solum, amplum satis, vtriusque diuersorium intererat. His mandatum erat diligentissime speculari quid circa Regem ageretur, parietesque effractos habere vt poscente re promtissime erumpere possent. Octo continuos dies ita ibi insumsimus, quorum vltimo vrbs capta est, nec Carolo nec alio quopiam arma ponente. Vespera vltimæ noctis consilium initum est mane sequenti hostem aggrediundi, is dies erat Dominicus, tricesimus Octobris Anni CIↃ CCCC LXVIII. Capta redditaque indicia futuri assultus sunt cum primæ aciei copiis, nimirum vbi tormenti vnius sonum, postque duorum grandiorum geminos audiuissent, nullis sequentibus aliis, audacter rem capesserent. Idem ex sua parte facturum Ducem, horaque destinabatur octaua matutina. Sub noctem præcedentem tum primum Carolus arma posuit, omnesque idem agere præcepit, vt recreati viribus, firmiores in hostem venirent; præcipue idem iussi sunt trecenti illi quos in horreo stationem habuisse diximus. Eodem tempore, velut indicium ad eos delatum fuisset, oppidani eruptionem decreuerunt
ex

ex nostra parte obsidionis facere, vti ex altera pridem fecerant.

CAPVT XII.

Vt mirificam in Burgundos eruptionem Leodienses fecerint, vbi Dux cum Rege summo interque periculo fuerunt.

HIc considerandum dicimus, quo pacto præpotens etiam fortissimusque quis Princeps subito in magnum venire periculum, paucis contra hostibus, valeat, vti constet omnia consilio dispicienda, priusquam res bellica effectui mandetur. In tota Vrbe nec vnus erat homo militaris, præter incolas accolasque. Nullus supererat Eques, nullus stirpe manuve homo nobilis, quos paucos habuerant, præteritis diebus vel occisi vel vulneribus debilitati aberant: non erant iis neque porta neque murus, neque fossa præsidio, tormentisque in vniuersum spoliati carebant; nihil penitus præter ciuitatem tuebatur plebem vrbanam, & octingentos ad summum pedites de proximis montibus pone ciuitatem, quæ regio Francimontium appellatur, semper quidem strenuorum militum laude concelebrata. Sic omni auxilio desperato (Rege quippe in hostilibus castris præsente) conclusere ingentem facere eruptionem, summamque rei omnem aleæ committere, neque enim interitus sui incerti erant. Consilium ipsorum fuit per ruinas murorum pone hospitium Caroli prodire quotquot apti essent vltimo conatui milites, qui erant sexcenti Francimontani, ductore domino ædium in quas Rex diuerterat, vt & earum quibus se Dux tenebat: Per rupis cuiuspiam cauernã nullo negotio ad principum diuersoria accedere improuisi poterant, modo nihil ipsi strepitus facerent. Erant quidem vigiliæ nonnullæ transeundæ, sed eæ nullo labore occidi

posse videbantur, aut sine pariter cum ipsis agmen ad locum destinatum venturum. Cum proditoribus hospitibus Principum, transactum erat, vti recta ad ædes ipsorum miles duceretur, neue vlla ratione alibi occuparetur, quo fieri posse sperabant vt inopinantes opprimerent, priusque quam quisquam subsidio venire posset. Adhæc neque difficilem regressum futurum noto viarum compendio, neque inuitis moriendum esse tantæ rei conamine, quippe qui viderent ineuitabile vndique imminere periculum. Insuper deliberando conclusum est omnem debere plebem ea porta erumpere, quæ recta in longam illam plateam duceret, vbi nostræ pleræque copiæ hospitabantur, quas grandi cum clamore inuasas dimici posse confidebant. Non deerat audacibus spes insignis victoriæ, & vt pessime res caderet, gloriosa morte occumbendum videbant. Quamlibet mille instructos milites & vincere assuetos habuissent, nil minus fuisset insigne hoc facinus, quod audacia tamen sua parum abfuit quin, vt erant, effectum darent. Vt conclusum itaque erat sexcenti illi Francimontani per murorum rudera prodiere, nondum, vti existimo, decima hora vespertina. Vigilum plerosque in stationibus suis conciderunt, inter quos tres Barones Burgundi de familia Caroli periere; quod si recta nullo strepitu priusquam quo tendebant edito, perrexissent, citra omnem difficultatem in suis sibi stratis* vtrumque Principem confecissent. A tergo diuersorii Ducis tentorium quoppiam fixum erat, quo vtebantur Dux, qui nunc est, Alenconius, & Baro Cranius eodem contubernio. Eo contis traiecto famulum vnum atque alterum peremerunt; hinc infestus per exercitum strepitus obortus in caussa fuit vt nonnulli vel arma caperent, vel prodirent rem speculaturi; tum relictis tentoriis ad Principum hospitia contendere. Horreum, quo à Duce clausos tre-

centos

centos milites dictum est, proximum erat iis domibus, vbi nonnihil constitere per perforatos ad repentinum exitum parietes hastis hostem impetentes. Trecenti illi milites nobiles duas ante horas arma posuerant, vt matutinæ vrbis aggressioni firmiores interessent; itaque inermes plerique deprehensi sunt, non nemo tamen raptim arma sumserat ad Alenconii tentoria sono audito. Hi per dicta foramina ingruentibus strenue repugnabant, foresque defensabant, quo sane vno Salus vtriusque Principis constitit; hoc enim impedimento factum est vt multis spatium daretur ad armis tegenda corpora, & in publicum prosiliendum. Cubabam eam noctem in cubiculo Caroli, quod exiguum sane erat, sociis duobus cubiculariis aliis: Supra nos stationem seruabant duodecim soli sagittarii, qui tum armis discincti alea ludebant: Satellitium alterum plurium custodum corporis longe & ad portam ipsam vrbis aberat. Ad summam aderat hospes cum cohorte hostium, & domum ipsam iam oppugnabat, idque tam repente vt summa difficultate spatium nobis daretur armandi galeaque muniendi Principis, quo facto descendimus illico, in plateam prodituri. Vidimus sagittarios nostros maximo labore ab assilientibus hostibus defendentes fenestras ostiumque ædiculæ, & in ipsis plateis immensus clamor omnia tenebat. Hi vociferabantur, viuat Rex, alii, Viuat Burgundia, nonnulli, Viuat Rex, cædite hostem. Nonnullo temporis spatio ita obhæsimus, priusquam cum Sagittariis nostris prodire domo possemus, quod anxios nos mirifice habebat, nescios videlicet vtrarum partium Rex foret, quidue eo fieret. Cum primum duabus tribusve facibus instructi erupissemus, alios nonnullos de nostris offendimus, aliosque circumundique præliantes; sed is tumultus breui exspirauit, concurrente vndique milite ad Ducis diuersorium. Primus ex Oppidanis hospes

Caroli trucidatus eſt, neque tamen tam cito ſpiritum vulneratus emiſit, quin loquentem ipſemet audierim; cæteri quoque omnes, vel pauciſſimis demtis, interemti ſunt. Pariter aggreſſi erant etiam Regis domum, intranſque eius dominus, à Scotis ſatellitibus ſtrenue rem gerentibus, & ipſe cæſus eſt. Scoti non mouerunt ſe quopiam, ſed preſſo pede Regem ſuum defendebant, ingenti emiſſo ſagittarũ nimbo, quibus plures de noſtris quam hoſtium vulnerabant. Qui de oppidanis receperãt porta proſilire, proſiliere quidem, ſed vim magnam militum ex aduerſo offendere, qui iam eo confluxerant, ab his nullo negotio repulſi ſunt, multumque deerat vt ſtrenuitatem reliquorum æmularentur. Vt tumultus hoſte auerſo ſedatus eſt, è veſtigio Dux cum Rege conuenere colloquio, cumque vndique interfectorum cadauera parerent, metuebant cladem ſuorum eſſe eam; ſed occiſi pauci inuenti ſunt, vulneratorum ingens numerus fuit. Dubitandum tamen non eſt, niſi in via ſubſtitiſſent, & ad tentoria Ducis Alenconii repugnantes nonnullos offendiſſent, recta hoſpitum noſtrorum ductum ſecutos vtrumque Principem interemturos fuiſſe, quo facto, vti ego exiſtimo, & reliquum exercitum diſiecissent. Rex & Carolus mox ſua diuerſoria repetiere, neuter non attonitus tanta obſeſſorum audacia; conſilium deinde habitum eſt, ſequenti die quid faciendum foret de iam concluſa vrbis aggreſſione; Rege non parum anxio, qui maximopere timebat ne re ſequius cadente, & ciuitate non obtenta, malum in ipſum recideret, Duce vel detenturo, vel omnino captiuum abducturo, quippe quem eo caſu videbat ab altera parte de bello Gallico ſecurum eſſe non poſſe, ſi Regem dimitteret. Hîc videre quilibet poterit miſerabilem fortunam horum tantæ potentiæ Principum, qui nulla omnino ratione alter alteri confidere, aut de eo ſibi boni quid ſpondere

dere poterant. Fecerant, nondum quindecim diebus elapſis, Pacem, inſtar ſtabiliſſimæ, quam & iureiurando ſolemni ratam ſeruaturos promiſerant, tamen fieri nequaquam poterat quin ſuſpectos ſeſe mutuo haberent.

CAPVT XIII.

Vt Leodienſium Vrbs, aggreſſa, capta, ſpoliataq; ſit, nec Templis quidem exceptis.

REx, vt anxietate ſe hac euolueret, hora vna ab hoc tumultu, cumque in ſuum ſe diuerſorium retuliſſet, vocatis nonnullis intimioribus Ducis miniſtris, qui iam conſilio interfuerant, de concluſione percontatus eſt. Reſponſum ab his fuit, ſententiam ſtare craſtino diluculo Vrbem inuadendam eſſe, vti pridem fuerat concepta, ad quod multa ſapienter Rex monuit, ob oculos ponens rei difficultatem, nec mine non lubenter aures præbente; quippe ſingulis timentibus multitudinem audaciamque iam vltimò conteſtatam vrbanæ plebis; habebantque omnes in votis exſpectare diem etiam vnum atque alterum, vel ad pacificationem hoſtium conſilia flectere. Venere ad aures Ducis hi ſermones me præſente, Regi omnibus omnes adſcribentibus, quos tamen geſtatorum pro ſe quiſque augebat, metu ne male expeterent auctoribus, Carolus reſpondit Regem ea ſententia eſſe vt hoſti conſultum vellet, neque in bonam partem interpretatus eſt, rem quippe aliter caſuram, neque eſſe obſeſſis vllorum aut munitionum aut tormentorum præſidium, quæque in portis reparaſſent, iam denuo iacere proruta; itaque nequaquam eſſe tempus extrahendum: Se nullo genere craſtinum aſſultum dilaturum eſſe, ſed conſilio capto ſtaturum; Regi ſi

placе-

placeret dum caperetur ciuitas Namurcum se conferre, se volente iturum, non alia tamen conditione quam ne inde se cōmoueret donec quorsum cederet crastina aggressio perspiceretur. Hæc Responsio nulli omnino præsentium placebat, omnibus mirifice timentibus rei exitum. Regi relata est sententia Caroli, verbis non grauibus tamen, sed quam fieri potuit lenissimis. Is tamen sagaciter quod simulabatur intellexit, affirmauitque nequaquam se Namurcum decessurum, sed affuturum discrimini, vt cæteros. Mihi videtur, si abeundi consilium habuisset, ea id nocte facessere potuisse non difficulter, aderant enim stipatores ipsi centum sagittarii cum Aulicis aliis nonnullis, neque longe trecenti cataphracti: Verum citra ambiguitatem, vbi honor & existimatio cernebantur, pusillanimitatis argui prorsus nolebat. Reliquum noctis paullisper se quieti milites dedere, diei superuentum præstolantes, armis non positis; Aliqui & vltimis suis votis satisfaciebant, periculo non proletario imminente. Sole clarum mane faciente, destinataque hora admota, quam octauam fuisse memoratum est, tormentorum sonis condictis primæ aciei, quam per transuersam ciuitatem non longe nobis abfuisse, secus licet eam ambituris, diximus, signum dari Carolus iubet. Id illi vbi audiuere extemplo assilire vrbem cepere. Tubicines Duces incinebant, Vexilla murorum ruinis appropinquabant, miles ordine suo infestus ingruebat. Rex cum suo egregio comitatu in medio plateæ mouebatur, stipatoribus, cataphractis, aulica nobilitate densum agmen facientibus. Cum eo ventum esset vt manus iam manui conferenda videretur, nulla omnino ex hostili parte defensio apparuit, neque vigilias præter duos aut tres viri seruabāt. Ciues cæteri omnes pransum sese contulerant, quia Dominicus esset dies, de aggressione securi, & in singulis ædibus mensas stratas paratasque

tasque

tasque offendimus. Vile atque nullius rei negotium est quod multitudo talis facit, siquidem ducib. idoneis caret, quorum reuerentia & metu fortiter facere adigatur, excepto quod tempora sua horasque habet, quibus in furorem data sane timeri cum ratione potest. Iam ante hoc vltimum discrimen Leodienses erant admodum viribus defecti, tam quod militis maximam partem amiserant duabus eruptionibus istis, vbi & ductores plerique occubuerant, quam quod continuo octiduo infinitis laboribus & ærumnis erant macerati: Omnes enim stare ad ruinas murorum necesse habebant, præsidiis omnibus circa nudati, vti dictum est, & diem istum Dominicum refocillationi velut destinatum habebant: quo sane contrarium sunt experti; sic neque ex nostra neque altera Burgundorum parte repertus est tum qui repugnaret aggredientibus. Prima acies prior nobis vrbem tenuit, paucos ea trucidauit, plebe confertim vltra pontem, Mosam superante, ad siluam Arduennam & inde quo quisque poterat, fugiente, vbi nostræ copiæ tendebant, non vidi præter fœminam vnam tresque viros interemtos, neque existimo ducentorum ad omnia stragem factam esse, ita vel effugiebant omnes, vel Templis domorumque secretis, occulebantur. Rex hospitium petiit, videns neminem resistendo esse, quodque vniuersæ copiæ duobus locis vrbem ingressæ forent, quarum ad quadraginta millia censum fuisse existimem. Dux, vt processerat in ciuitatem longius, reflexit iter, Regemque in Palatium deduxit, mox reuertit ad summum vrbis templum, Sancto Lamberto dedicatum, quod miles vi ingredi moliebatur captiuis extrahendis spoliandisque ciuibus intentus, & quamuis iam imperio Principis dispositi Aulici stationem seruarent, non potuere tamen distinere vulgus militum, quin duabus portis fanum oppugnarent; vidi tum superuenientem Caro-

Carolum ſua manu militem vnum trucidare, itaque tamdem periculo exemta eſt ea ædes, neque direpta tum, licet mox & qui eam fuerant ingreſſi homines,& bona eorum fuerint capti. Reliqua Templa, numero ſane non pauca, (audiui enim ab Himbercurtio, qui optime omnem vrbis ſtatum nouerat, ſingulis in ea diebus totidem ſacra celebrari quot Romæ conſueuerint) maximam partem ſub prætextu captiuandorum hoſtium,ſpoliata ſunt. Ego nullum,præter ſummum quod dixi,ingreſſus ſum,cætera rumor dictauit, & vidi argumenta quæ fidem facerent; itaque longo poſt tempore Pontifex magnis ſacramentis mandauit, vt quicunque inde quid rapuiſſent, raptumve poſſiderent, reſtituerent ſacris locis, & à Duce certis hominibus inquiſitio per omnes ſuas terras demandata eſt, vt Pontificis poſtulatis ſatisfieret. Ciuitas tota capta & ſpoliata intra meridiem erat; quo in Palatium ſe recepit Carolus. Rex iam pranſus erat, & magna lætitiæ ſigna rebus ſucceſſis monſtrabat,laudatis ſummopere ſtrenuitate & magnanimitate Burgundi, gnarus ad eum omnia referri; ſuo autem in pectore æque nihil deſiderabat, quam vti ocyus in regnum ſuum redire poſſet. A prandio conuenere ambo Principes, ſingulari cum gaudio, ſique Rex abſentem laudauerat, præſentem Carolum longe extollebat amplius,idque bona cum ipſius gratia. Reuertar nunc ad miſeræ plebis calamitates, quæ vrbe ſua diffugiebat, vt firmem fidem initio harum Cõmemorationum dictorum, vbi ſermonem habui de infortuniis, quæ viderim eos ſequi qui aduerſam pugnam feciſſent, ſiue ii Principes Ducesve,ſiue inferiores etiam poteſtates eſſent. Miſerabilis hæc multitudo per Ardennate territorium cum infantibus fæmellisque palabat; Baro quidam eius regionis incola, qui ad eam vſque horam

partis

partis eorum fuerat, magnam eius copiam disiecit, vtque Victoris beneuolentiam acquireret, scripsit Duci, addens numero occisorum captorumque, licet vtrique non pauci forent, sicque in gratiam receptus est. Alii Macieras, Galliæ oppidum ad Mosam, confugere. Duo tresve ordinum ex iis ductores capti sunt, inter hos nomine Maduletius, Caroloque exhibiti, quos trucidari iussit. Pars cætera frigore, fame, vigiliis, interiere.

CAPVT XIV.

Vt in Regnum suum Rex, consensu Caroli, fuerit reuersus, vtque reliquiæ Leodiensium & Francimontanorum ab isto sint confectæ.

QVarto quintove à capta Leodio die cœpit sollicitare per fidos quos putabat homines sibi Ducē Rex de discessu suo, ipseque admodum sapienter illum allocutus, promte parato se vteretur, si vlla insuper in re opus haberet, exhortatus est, si vero nihil præsentia sua emolumenti ipsi factura esset, cupere abire Lutetiam, vt in Curia Regni Pacificationis articuli publicarentur, hæc enim Franciæ vetus consuetudo est, eo in consistorio omnes conuentiones publicare, quæ citra hunc ritum parui fuerint momenti, etsi verum sit Reges in eo quoque omnia posse. Insuper precabatur Carolum, vt secutura æstate ad mensem aliquem vnum in Burgundia conuenirent, mutua sese conuersatione exhilaraturi. Ad extremum consensum est à Carolo, licet numquam non submurmurabundo. Placuit eidem vt Pacis conclusiones denuo Regi prælegerentur, siquidem indidem pœnitentia ductus, mutare

mutare quid vellet, arbitrio eius permissurum, remque totam denuo integram ei offerre, dicente, additis nonnullis excusationibus quod eo perductus esset. Adhæc postulabat à Rege scripto vti adderetur negotium Baronis Launæi, Vrfei, Poncetique Reuierii, videlicet hos restituendos possessionibus suis, vt ante belli initium eas optimas maximasque tenuissent. Displicuit hæc Regi postulatio (neque enim eius partium hi, & tum in ministerio Caroli fratris erant, non Regis ipsius,) & consensurum se ea conditione dixit, vt tantundem Dux erga Niuernium Croiosque faceret. Sic rem silentio Burgundus pressit, tanto enim odio erant ipsi dicti homines, vt de iis in gratiam recipiendis nullo genere adigi posse videretur. Ad reliqua omnia respondit Rex, nihil demere velle, sed firmata seruare vt Peronæ iuramento sancita erant. Sic discessus Regi permissus est, qui comiter salutato Duce itineri se dedit, ad dimidium ab eo miliare deductus. Cum in diuersa vterque profecturus esset, Carolum Rex interrogauit: si forte fortuna fratri meo, qui in Britannia nunc est, non placuerit hæreditatis portio, quam in vestram ipsi gratiam creturus sum, quid placet eo casu à me fieri? Carolus subito, non perpenso sermone respondit. Siquidem fiat vt ille nolit, tuum erit satisfacere ipsi: Mea quod interest, id vtrique defero vestrum. Ex hac interrogatione atque responsione magnæ deinceps natæ res sunt, vt series operis docebit. Sic vt voluit, Rex discessit, comitantibus ipsum Cordæo, & Muræo, quorum iste Magnus Prætor erat Hannoniæ, vltra limites prouinciarum Caroli. Hic Leodii interim substitit. Vrbs ea omni ex parte crudelissime tractabatur, vt incolæ eius ante diris modis subditos Ducis ab auo vsque ipsius vexauerant. Quicquid promissum conuentumque fuerat pro lubitu irritum habuere, omni fide & relligione neglecta & conculcata. Iamque vertebatur

batur quintus ex quo Dux ipſe eo venerat, nec minus, factam illi pacem ſequenti anno ruperant. Multo etiam ante tempore à Pontifice excommunicati fuerant, ob immania facinora in Epiſcopum patrata, ſed nec his modis de ſcelerata obſtinatione malefaciendi fidemque frangendi, cohiberi poterant, neque reuerentiam vllam aut obedientiam cuipiam præſtabant. Rege profecto extemplo Carolus cum paruo agmine Francimontium petere concluſit; quæ regio paullo vltra Leodienſe territorium ſitum habet aſperum montibus, horridumque ſiluis, vnde melior pars militis venerat, vrbem defenſuri, præcipueque ei qui vltimam eruptionem, ſupra recenſitam, fecerant. Priuſquam eo Carolus proficiſceretur, magno numero captiua plebs interlabente ciuitatem fluuio merſa eſt, quæ hactenus in domuũ latebris latitans, eruta fuerat. Deinceps deliberatum eſt flammis abolere oppidum, cumprimis populoſum ſemper; definitumque eſt tribus eam locis incendere, ad quod negotium deputati ſunt tria quatuorve millia militum Limburgenſium, qui vicini erant Leodienſibus, pareſque lingua & habitus ſimul vt à conflagratione templa defenderent. Principio reſciſſus eſt ingens per tranſuerſum Moſam pons, inde collocati in ſtationes multi milites ad tutelam domuum, quibus Canonici habitabant, maioriſq; cumprimis Templi, vt ſupereſſet locus diuinarum rerum faciendarum. Pariter prouiſum eſt & cæteris fanis. Hoc expedito, profecti ſumus ad Francimontanos, vt dictum eſt, Vt primum extra oppidum fuimus, vidimus ignem tenentem plurimas iam ædes ex citeriore fluminis parte. Caſtra Carolus poſuit ad quartũ ab oppido miliare, ſed ſonus vrbis crematæ tam nobis clare auditus eſt, quam ſi in loco præſentes eſſemus, cui rei neſcio an ventus cauſſam dederit, an, quod in ripa fluminis caſtra metabamur. Perendie

rendie vltra profecti sumus, quique in ciuitate remanserant, desolationi eius insistebant, vti in mandato habebant. Omnia tamen Templa conseruata sunt (vel paucis certe adflictis) & plusquam trecentæ Domus, habitandæ sacerdotibus, vnde factum est vt cito ciuium numerus redaugeretur, plurimis confluentib. ad concolenda loca Clericis relicta. Propter immensam vim glaciei & frigoris coacti sunt plerique de exercitu nostro pedites petere Francimontium, vbi nullas vrbes, nulla oppida clausa, pagos villasque meras offendimus, Dux quinque aut sex dies in valle quapiam minuta commoratus est, pago Pollenea nomine. Copiæ nostræ duarum acierum erant, vt eo facilius regio vastaretur. Casæ, ædificiaque omnia imperio Principis sunt exustæ, ruptæ omnes molæ ferrariæ, vnde victus vel maxime incolis parabatur. Fugitiui per siluas arbusticetaque vndique indagati, extractique sunt, cum quas eodem opes detulerant. Plurimi occisi, alii captiui ducti ; neque non plurimum argenti miles obtinuit. Vidi ibi incredibilem vim frigoris. Erat ex nobilitate qui gelu pedem perderet, numquam postea restitutum; erat aulicorum puerorum, cui hyems duos de manu digitos præmorderat : Puerperam cum recens edito infante frigore enectam conspeximus. Tribus integris diebus vinum (quod vsui nobilitatis de commeatu Ducis diuidebatur) ictibus securium in frusta decisum est, gelu enim in cupis concreuerat, vt milites partem suam quisque manu captam pileo aut sacciperio inderet, vti res poscebat. Possem alia miranda commemorare, fastidium lectori ipsa prolixitate facturus; sed fames nos inde refugere magnis passibus coegit, cum octo ad summum dies substitissemus. Carolus Namurcum exhinc petiit, à quo Brabantiam, vbi magna subditorum exultatione exceptus est.

CAPVT

CAPVT XV.

Quo pacto rex aſtu tantum egerit vt Carolus, frater ipſius, Ducatum Viennenſem caperet, præ Brienſi & Campaniæ prouincia, contra voluntatem Burgundiæ Ducis.

REx, relicto Carolo, ſummo cum gaudio in Regnum ſuum reuerſus, nulla re contra eumdem quicquam mouit, propter ea quæ Peronnæ & Leodii paſſus fuerat, ſpeciemque præferebat, nihil indidem ægre ferentis, deinceps autem inter eos ingentis belli exordium exſtitit, neque tam cito tamen, neque ex hac præcipue cauſſa, quamlibet non negem & hanc ſuum eo momentum contuliſſe, Pax quidem talis conuenerat, qualem Rex Lutetiæ ante conceperat: Carolus autem conſilio nonnullorum ex ſuis cogitabat limites principatuum ſuorum protendere, & poſtea iacta ſunt ſemina, initæque rationes nouarum turbarum iniiciendarum, vti, cum tempus poſcere videbitur, recenſebimus. Carolus, vnicus Regis Ludouici frater, paullo ante Dux Normanniæ, (ad quem compoſitæ Peronnæ Pacis delata erant geſta, quamque exinde portionem hæreditariam eſſet ad pturus) extemplo miſit ad Regem precatum vt ſecundum pacta conuenta promiſſum principatum traderet. Rex remiſit ſuos eiuſdem negotii gratia, crebrique citro atque vltro nuntii rediere. Pariter Burgundus ex ſuis ad Carolum monitores miſit, ne quam aliam partem à Brienſi & Campaniæ prouincia à Rege in hæreditatem ſuſciperet, demonſtrans ipſi affectum, quo proſecutus eum fuerit ſemper, etſi relictus contra ab ipſo; cui quidem indignæ rei patriæ Dux facere noluiſſet, ſed vt de confœderatis ſuis alicui in Pace cum Rege facta proſpexiſſet. Adhæc inſtrui ipſum fecit Campaniam cum Brienſi regione vtrique ipſorum perquam commodam ſitu eſſe,

ſi enim fratrem Rex repente ſuperuenire cum copiis vellet , altero die auxilia de Burgundia adeſſe poſſent, ſunt enim eæ prouinciæ perquam vicinæ, & ſic pars ipſi debita non iniquo pretio ad Dominum veniret, reditus enim omnes ad ipſum peruenturos, neque præter fidem & titulum Regi quicquam debiturum. Carolus hic, Regis frater, homo erat ſuo iudicio parum aut nihil rerum gerens, per omnia arbitrio aliorum regi dirigique patiens, quamlibet tum annorum eſſet viginti quinque, vel & amplius. Sic hyems interlapſa eſt, quæ iam matura erat Rege nos relinquente. De traditione hac hæreditariæ portionis continuæ legationes hinc inde ibant. Rex enim decreuerat nullo modo fratri tradere quod promiſerat, (non enim volebat tam vicinos colere ipſum & Burgundiæ Ducem) ſed eo eum ſuaſionibus adigere, vt in vicem dictarum regionum Viennam cum Rupella caperet, quæ vniuerſa fere erat Aquitania, potius quidem quam vt illas. Carolus timebat Burgundum offendere, neque de nihilo formidabat, Rege & altero promiſſo non ſtante, ne & hæreditatem ſimul & amicitiam Ducis amitteret, quo pacto infinitis ſe miſeriis inuolueret. Rex (qui aſtutior omnino erat ad talia faceſſenda negotia, quam quiſquam temporum eorum Princeps,) videns tempus perire diſceptando, niſi faceret ſuarum partium quos apud fratrem auctoritate pollere ſciret, ad Odetum Ryæum ſe conuertit, Baronem tum Leſcutium, poſt Comitem Commingium, qui natus vxoratusque erat in Viennenſi territorio, rogans ipſum, adeſſet ſibi, perſuadendo fratri, vt quod Rex vellet acciperet, omiſſo altero, longe minori, territorio, eſſentque deinceps germana fide fratres & amici, Ad ipſum quidem perſuaſorem multa inde bona deuoluenda eſſe, neque Carolo & ſubditis ipſius Regiam opem defuturam; inſuper de traditione oblatæ regionis

ſecu-

ſecuros eſſe iuſſit, certa argumenta inferens. Sic Carolus perſuaſus eſt à Rege fratre, accepitque Viennam, inſignibus ingratiis Burgundi eiuſque legatorum, ibi tum præſentium. Cardinalis Balvenſis, Epiſcopus Angivienſis, cum Virdunenſi Antiſtite in cuſtodiam à Rege dati ſunt, quod Cardinalis Carolo ſcripſerat ne aliam hæreditatem caperet, quam quæ à Burgundo in pace Peronenſi ipſi fuerit adſignata, quæque iurata firmataque ſit in præſentia ſua. Adhæc plurimis illum monebat hortabaturque argumentis proſpiciendi rebus ſuis, quæ omnia voluntati Regis directe aduerſabantur. Sic Viennenſium Dux factus eſt Carolus, anno CIↃ. CCCC. LXIX. pacatamque adiit poſſeſſionem regionis, cum Gubernatione Rupellæ, conueneréque ipſe & Rex, neque paruo tempore ſimul commorati ſunt.





PHIL. COMINAEI COMMEMORATIONUM RERUM GESTARUM DICTARUMQUE LUDOVICI XI. & Caroli VIII. Regum Franciæ,

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Vt Rex nouam cauſſam ceperit bellum Burgundo inferendi, vtq; eum in Iudicium citatum miſerit Fecialem vſque Gandauum.

ANno Chriſtiano M. CCCC LXX. Regis animum ſubiit cupido vindicandi ſe à Duce Burgundiæ; videbatur ipſi tum occaſio commoda ſuperueniſſe, itaque occultis machinis præſidia labefaciendo tantum confecit vt ciuitates ripis Sommæ fluuii impoſitæ, Ambianum puta, Sanquintinum, & Abbeuilla, imperium Ducis excuterent, ſuosque milites accerſitos reciperent intra munimenta. Sic enim magni quique Principes, præcipue qui præ cæteris cor habent, negotiis ſuis colorem prætexere, probabilem extra intuentibus, quærunt. Atque vt Gallicarum ingenia ſubtilitatum in talibus efficiendis manifeſta fiant, recitare lubet quo pacto ductæ ſint

ſint hæ machinæ. Rex quidem & Dux ambo indidem decepti fuerunt, bellumque accenſum denuo eſt, quod tredecim vltraque annos durauit, aſperum profecto atque difficilimum. Veritate rei magnopere deſiderabat Rex vt rebellionem dictæ ciuitates facerent, cauſſatus Burgundum vltra limites protendere quam Pacificationis regulæ ferrent. Eam in rem vltro citroque legati commeabant, tranſeuntes hæc oppida, quibus occulte mandatum erat telam harum machinationum texere. A Burgundo nulla inerant ciuitatibus iis præſidia, Galliaque omnis tam ex Regis quam Britanni parte pacata; Dux etiam Viennenſis, vti facies externa rerum ferebat, cum fratre Rege amicitiam habebat. Neque tamen Regi animus erat vnius aut duarum illarum vrbium capiendarum ſolum gratia bellum redordiri, verum id agebat vt vniuerſas Caroli prouincias contra ipſum concitaret, ſperabatque voto potiri his potiſſimum rationibus. Plurimi non inepti homines vt gratum ipſi quid facerent, his tractandis rebus ſeſe ingerebant, amplioraque longe omnia ad ipſum referebant, quam compererant, vt hic iſtam alius aliam ipſi ciuitatem vltro traditurum iactaret; qualibus citra rem iactationibus plerique conſpirabant. Verum ſi non habuiſſet animo Rex alia quam quæ euenere, pacem vtique minime rupiſſet, neque bellandi initium feciſſet, quamlibet cauſſam habebat ægre ferendi quæ Peronæ ipſi contigerant, publicari enim Pacem bona fide Lutetiæ mandauerat tribus menſibus poſteaquam in Regnum ſuum rediiſſet, neque abſque formidine diſſenſionem incipiebat. Tantæ vero ſpes ipſi vlteriorum ſucceſſuum iniiciebantur, vt iſta omnia contemneret; quarum rerum hæ erant rationes. Comes SanPaullinus, Coneſtablius Frãciæ, vir perquam prudens & aſtutus, aliique Ducis Viennæ conſiliarii malebant inter præpotentes hos Principes bellum

quam pacem, duabus de caussis. Primum quod timerent ne magna ipsorum auctoritas & potentia diuturna pacis continuatione accideretur aut flaccesceret: Conestablius enim quadringentos habebat Cataphractos, quibus è Regiis prouentib. stipendiũ ipse soluebat, neq; erat qui rationem ab eo exposceret, insuperque Francorum triginta millia annui reditus, præter officii sui prouentus, aliosque ciuitatum non contemnendarum, quas obtinebat. Secundo quærebant Regẽ in arma concitare, quod notum eius haberent ingenium, nisi ab externo hoste impeteretur, qui satis ei negotii facesseret, vltro domesticis sese discidiis contra suos impliciturũ, Animũ nimirum eius quietis impatientẽ esse, itaq; quouis modo præsenti bello occupãdum. Conestablius offerebat quo vellet tempore Sanquintinum obtinere, cuius ab omni parte amplas possessiones habebat, neq; in Brabantia atque Flandria non esse qui occulte suas, res agerent, quarum prouinciarum plura oppida contra Ducem facile se concitaturum. Dux Viennæ, qui eiusdem consilii erat, cum vniuersis suis præfectis, strenua seruitia Regi promittebant in idem bellum, Duxq; se cum quingentis Cataphractis, quos ordinario agmine circa se habebat, affuturum spondebat. Horum consiliorũ scopus alius longe erat, quam quem Rex arbitrabatur, & quidem huius proposito plane contrarius. Regi placebat omnia moliri solemnibus auspiciis atq; modis, itaque apud Turonum Tres Regni status palam cõuenire iussit mensib. Martio & Aprili anni M.CCCC.LXX. (quod neq; fecerat hactenus, neq; facturus erat postea,) occultis tamen mandatis neminem adesse voluit, nisi quem sciret minime voluntari suæ contra iturum. Eo concilio consideranda plurima proposuit, quæ contra Regni maiestatem Dux faceret Burgundiæ, eoque instruxit vt questum procederet Comes Euius, qui San Valerium cum aliis ciuitati-

bus & Regionibus Carolum contra ius fasq; sibi ereptū vsurpare deferebat, quorum omnium possessio ex iure Abbeuillano, & Comitatus Pontiensis ad se spectaret; quodq; compellatus harum rerum gratia cōparere, aut rationem reddere non vellet. Hæc facere ea de caussa Carolum, quod nauis quædam bellica Euiensis, aliam de terra Flandria mercatoriam cepisset, cuius damni Comes præstationem in se reciperet. Porro velle Ducem eumdem Comitem adigere ad fidelitatem sibi iurandā contra & aduersus omnes, quod nullo genere ipse committere vellet, futurum videlicet contra maiestatem Regis. Huic conuentui plurimi Iuridici diuersorum locorum aderant, etiam Lutetiani Consistorii; quorum omnium calculis conclusum est, vt dies diceretur Burgundo, quo Lutetiam adesset ad obiecta diluenda. Optime constabat Regi superbe responsurum Carolum, vel & aliud quid contra eius Consistorii auctoritatem facturum, vnde color melior belli ipsi inferendi duceretur. Duci sententia nunciata diesque dictus est per Parisiensis Consilii apparitorem, in ciuitate Gandauensi cum ad sacrum prodiret. Fecialem continuo Carolus prehendi iussit, diesque plures in custodia habuit, ad finem tamen dimisit indemnem. Sic procedebant negotia, vt videretur bellum iure in Burgundum suscipi, qui rem edoctus quas potuit maximas copias conscribi iussit, ita plerisque conductis militibus vt domi suæ quisque euocationem ad militiam præstolaretur, ei rei stipendium capiebant, & vt armis instructi essent, singulis mensibus recensebantur. Hæc rerum facies tribus quatuorve mensibus stetit, cuius tanto tempore pigere Carolum cæpit, omnique timore excusso omisit militum hanc curam, cum à Rege sæpe nuncii interim aduenirent, seque in Hollandiam contulit. Nullum habebat tantus princeps ordinarium militem, neque præ-

ſidia vlla in limitaneis ciuitatibus, quæ res omnino male ipſi cecidit, cum occulte ſollicitarentur Ambianum, Abbauilla, & Sanquintinum, vti Regis poteſtati ſe traderent. Dum in Hollandia eſſet à Duce Borbonio, nunc mortuo, Ioanne, edoctus eſt breui bellum in ipſum inceptum iri, tam in Burgundia quam Picardia, quodque tam in aula ipſius, quam dictis prouinciis plurimi eſſent qui Regis partes fouerent. Hîc, cum ſe milite nullo inſtructum videret, dimiſerat quippe vti modo dictum eſt, quod copiarum collegerat, attonitus valde fuit iis nuntiis, quapropter & mari ſubito tranſmiſſo in Arteſiam ſe traduxit, rectoque itinere verſus Heſdinum. Eo loco intelligere cœpit molimina nonnullorum ex Præfectis, quodque dictæ ciuitates ad Regem tranſituræ ſollicitarentur. Hæſit hîc nonnihil diutius quam res poſcebat, priuſquam contra ſuos pararet, non omnibus videlicet fidem habens quæ ad ſe deferrentur; Ambianum quidem miſit accerſitum duos ex ciuibus quos ſuſpectos perfidiæ habebat, vterq; vero tā ſe veriſimiliter excuſauit, vt ambos miſſos faceret. Illico non pauci familiarium ad Regem ab ipſo deſciuerunt, vt Spurius Balduinus, cum aliis, quæ res timorem ei incuſſit ne hos ſequerentur plures. Per præconem omnibus paratis eſſe iuſſis, pauci mandato obediuere, erat enim brumæ iam initium, neque diu Hollandia abfuerat.

CAPVT II.

Vt Sanquintinum & Ambianum ciuitates Regi fuerint traditæ, quibusq; de cauſsis Coneſtablius aliiq; bellum inter Regem & Burgundum fouerint.

DVabus à familiarium Caroli ad Regem transfugio, diebus, quod memorati anni M. CCCC. LXX. menſe

mense Decembri contigit, intrauit Sanquintinum Conestablius & ad iuramentum Regi præstandum incolas adegit. Tum intellexit Burgundus male sua negotia procedere, non enim habebat quemquam fere secum cui fidere posset, & quos habuerat ad colligendum militem in prouincias suas hinc atque inde dimiserat. Tamen quodcunque copiarum corradere potuit, eo Dorlanum petiit, (nec fuere supra quingentos Equites totus eius comitatus) Ambianenses confirmaturus ne paria facerent. Paucos ibi dies fuerat cum & Ambianum aures Regiis sollicitatoribus præbuit; erat exercitus Regis in propinquo ciuitatis; qui ostentauit se prope mœnia: prima vice introitus ei negatus est, supererant enim qui Caroli rebus studebant, qui iam Mareschallo misso locum hospitii sibi inibi metari fecerat, & si copiarum ad intrandam vrbem instructarum satis habuisset, sua sibi præsentia vtique in fide eam seruasset. Verum non audebat, qua comitatus tenuitate erat, credere se mœnibus, licet plurimi ciuium aduentum eius postularent. Cæteri regiarum partium asseclæ cunctationem Principis videntes, quamque non esset idoneo milite instructus, quod cupiebant, exsecuti sunt, Regisque præsidium oppido receperunt. Abbeuillenses idem animo habebant, sed obstitit Cordæus, qui Caroli nomine intrans in officio eos continuit. Ambiano Dorlanum exiguis quinque milliaribus distat, qua de caussa coactus est retrocedere Carolus, cum Regios illud tenere comperisset, properauitque rapido itinere Atrebatum, non sine formidine ne plurium aliarum ciuitatum incolæ exempla hæc sequerentur, præcipue cum cognatis & amicis Conestablii vndique se cinctum videret. Ex altera parte, cum ad hostem Spurius Balduinus transiisset, suspectum eiusdem perfidiæ habebat grandem, qui vocabatur, Burgundiæ nothum, suum naturalem fratrem:

Tamen

Tamen paullatim ad eum miles confluxit. Tum Regi creuere animi, videbat enim res ſuas ad votum confieri, credebatque magis & magis Coneſtablio aliisq; qui perſuaſerant ipſi per vniuerſas Caroli prouincias talia euentura, quorum ſpem niſi habuiſſet, maluiſſet vtique numquam tantum exorſum negotium. Nunc tempus monet vt dicamus quæ mouerint Coneſtablium, Ducemque Viennæ cum ſuis conſiliariis præcipuis (perpenſo quantum emolumenti ex fideli conſtantique Caroli amicitia ad iſtum perueniſſet,) quidque commodi exinde ſibi venturum imaginati fuerint, quod in arma concitarint pace modo inita in ſuis quemque prouinciis quieſcentes tantos Principes. Iam aliquid huius rei indicatum eſt ſupra, eaque erat, quod eo pacto ſecuriores ſe ſuis officiis & dignitatibus præfuturos putabant, neue Rex in medio eorum tumultuaretur, ſi externis pugnis careret; verum neutiquam hæc primaria cauſſa fuit, quæ in eo hærebat, quod Viennenſis ipſe cæterique maxime deſiderauerant eum principem generum adſciſci matrimonio vnicæ hæredis filiæ, Burgundo, cui alia, vt dictum, nulla erat ſucceſſio: ſæpius iam de hoc Viennenſis coniugio Burgundus interpellatus fuerat, nec vmquam non fecerat optimam ſpem, nullo tamen rem tempore concludere voluerat, erantque alii quibus paria pollicebatur. Hic videre licet quo aſtu negotium obtinere iſti voluerint, vt cogerent velut Ducem ad cedendam proco filiam: Statim enim vt dictæ duæ ciuitates captæ ſunt, Carolusque Atrebatum retroceſſit, vbi quas poterat copias colligebat, Viennenſis ſecretim certum ei hominem miſit, cum ſuapte manu exarato Epiſtolio, accurate curioſeque inuoluto atque obtecto, quo iſta verba continebantur: Operam in eo pone vt ſubditorum tuorum animos tibi reconcilies, neque de cætero ſis ſollicitus, inuenies enim paratos auxilio amicos. Dux Bur-

gundiæ

gundiæ, qui initio harum turbarum magnopere cohorruerat, misit de suis ad Conestablium precatum, ne, quod pro tempore posset, pessime ipsius rebus consultum vellet, neque vrgeret tantopere bellum, quod in ipsum esset citra denuntiationem sollemnem vllam improuiso motum. Conestablium hæc verba maximopere exhilararunt, videntem eo se tenere Carolum metu, quem pridem optauerat quam strictissimum; itaque respondit illi, agnoscere se res eius in summo periculo constitutas, adeoque vt præter vnum nullum elabendi remedium cerneret, idque esse solum hoc vt in matrimonium Viennensi filiam suam traderet, quod si faceret, illico ingentia ipsi vndique auxilia aduentura, Fratre regis palam accessuro, se quoque è vestigio Sanquintinum ipsi restituturum, omnique ope affuturum; quæ omnia, citra dictam effectam conditionem, secus futura esse, quippe Regem metuendæ prorsus esse potentiæ, suumque hoc bellum profunde conceptum firmatumque habere, fauentibus infinitis per prouincias Ducis magnatibus. Hæc & alia terrori augendo facta respondebat Duci Conestablius. Ego vero nullum vmquam fortunatum exitum vidi hominis, cupientis metu continere & velut sibi subiicere suum Dominum, aliumve Principem potentem, cuius quis fauore carere non possit, id quod exemplo huius Conestablii intelligetis. Hic, quantumuis Regi Sacramentum dixisset, subditusque esset, plurimam tamen opum familiæque suæ partem sub principio Caroli habebat; Nihilo secius ambos sui metuentes, alterumq; alteri diffidentē seruare studebat, vnde malum in ipsius caput recidit. Et licet quilibet naturali homo instinctu omnis subiectionis metusque liber esse connitatur, nullusque non odio habeat talibus se vinculis prementem, attamen nemo hæc impotentius ferat Principibus; quorum ego sane nullum vmquam

quam cognoui qui non internecino & irreconciliabili odio proſequeretur,quem metui abs ſe velle conſpexiſſet. Audito Coneſtablii reſponſo Carolus,perſpiciebat in eo homine nullam ſe vtique amicitiam fidam reperturum,quodque totius belli recte pro auctore & manuductore hunc haberet vnum. Sic mirificum in eum odium concepit , quod nec poſuit vmquam ex eo momento , præcipue, talibus iniectis fabulis , ſeſe videns ad elocandam filiam cogere conantem, etiam tum priſtina illi magnanimitas redierat, & copiæ conuenerant non pœnitendæ. Iam ſatis legentibus liquere puto ex iis quæ frater Regis & Coneſtablius Carolo nuntiaſſe dicti ſunt,ita inter eos rem compoſitam deliberatamque fuiſſe,nam & Britannus paris arrogantiæ terroriſque eidem argumenta faciebat , per ſuas litteras,iamque centum cataphractos Regi in auxilium de Britannia, Duce Leſcutio,miſerat. Sic facile quilibet concluſerit belli huius cauſſam fuiſſe adigere Ducem ad hoc matrimonium faceſſendum , Regemque ludibrio habitum,eluſumque cum ad ſuſcipiendum idem bellum inſtigaretur, quodque fictum ementitumque fere totum fuit id, quod de diſſentientibus per prouincias à Carolo magnatibus perſuaſum Regi fuerat : Tamen toto hoc negotio optimam Regi operam nauauit Coneſtablius, inſigni in Burgundum hoſtilitate , quem ſcilicet extreme ſibi infenſum exhinc nouerat. Parem Fratri dedit & Viennenſis Dux,optimo comitatu ſtipatus , itaque Caroli res non paruo periculo verſabantur; qui ſi ab initio harum turbarum,vt narratæ eæ ſunt, Viennenſi voluiſſet filiam ſuam cum effectu deſpondere, omnes modo memorati à Rege deſolato deſciuiſſent contraque eum ipſi affuiſſent, quo ad eius facere potuiſſent. Verum quidquid deliberent decernantque conſilia hominum

talibus

talibus negotiis, Deus, ſuo arbitrio omnia dirigere & concludere res ipſa confirmat.

CAPVT III.

Vt Burgundus Picenium occupauerit, indeq́ inuenerit conſilia perſuadendi Regis vt induciæ in vnum annum fierent, ſummis ingratiis Conneſtablii.

LOngo ſermone intelligendum iam propoſuimus vnde belli huius initia exorta ſint, quodque ambo aduerſi Principes principio occæcati velut fuerint, vt alter impugnaret alterum, vtrique ignorantes vnde cauſſæ motuum ſurgerent. Hic vero mirabilis aſtus erat eorum qui opus vniuerſum adminiſtrabant, vt merito exemplo animaduerſo dicere quis poſſit, hanc humani generis partem neſcire quid moliatur, quidve viuat altera, duabus diſſentientibus. Memoratæ autem res paruo omnes tempore acciderunt. Poſt amiſſum enim Ambianum intra decimumquintum diem Burgundus caſtra iuxta Atrebatum poſuit, non retroceſſerat enim longius, indeque verſus Somam fluuium, rectaq; Picennium profectus eſt. In via obuium habuit tabellarium Ducis Britanniæ, pedibus iter facientem, qui retulit ex mandato Domini ſui, vt is à Rege pluriū rerum notitiam expiſcatus fuerit, interque alias, in plurimis ciuitatibus grandioribus Burgundi Regi eſſe partium ſuarum fautores, præcipue Antvverpiæ, Brugis, Bruxellæ: inſuper indicabat ipſi Britannus Regem animo habere Carolum inſequi cum copiis, & deprehenſum obſidere in quacunque etiam vrbe, ſi vel Gandauum ea eſſet. Mihi videbatur omnia hæc nuntiatum miſiſſe Britannum ſtudio Viennenſis Ducis, vt ei matrimonium cum filia Caroli conficeretur. Burgundus peſſime has fabulas excepit, extemplo-

temploque tabellario respondit, Dominum ipsius male omnino opinari persuasumque esse; suo arbitrio quosdam nebulones de famulitio suo esse, qui talibus nugis irritatum & metu perculsum vellent ipsum, ne sibi auxilio præsentibus difficultatibus veniret, vt obligatus pactis conuentis teneatur; quodq; male omnino edoctus sit quales vrbes essent Gandauum aliæve in quibus obsidioné à Rege sibi minitaretur, singulas enim non paullo ampliores esse quam vt vallo coronave cingi possint: indicaret Domino suo quo comitatu ipsum instructum offendisset, omnemq; rem longe se aliter habere: quod ad se attineret traiecto Soma sese copiam confligendi quā primum Regi facturum, ne opus habeat vltra proficisci, Ab ipso vero Britanno petere suarum sit partium, contraq; Regem consistat, eo animo, quo pridē Burgundus eius rebus adfuerit, cum pax Peronnæ procuderetur. Altero die Carolus appropinquauit ad ripam Somæ ciuitati, nomine Picenio, loco munitissimo, iuxta quam deliberatum est flumen ponte iungere. Forte fortuna eo in oppido seruabant quadringenti aut quingenti Sagittarii, cum nonnullis de Nobilitate. Hi cum Burgundum præterire viderent, ad manum conferendam erupere latus tegente quodam aggere bene longo. Hoc feruore tam longe à præsidiis suis recessere vt Caroli copiis daretur spatium cum iis confligendi, vbi pulsi reiectiq; bonam suorum partem amiserunt priusquam munimenta repetere possent; Burgundi presso pede sequentes suburbium aggeremq; occupauerunt; accersitisq; quatuor aut quinq; tormentis, quamlibet ex ea parte vrbs inexpugnabilisq; esset, fluuio inter pugnātes medio, tantum tamen præsidiariis timorem iniecerunt, accedente quod pontem coram sterni viderent, vt metuentes ne ex altera etiam parte obsidio clauderetur, reliquerint fortalitium, fugaq; salutem sibi quæsiuerint. Castrum oppido impositum

ſitum tribus poſt diebus obſidionem tolerauit, deinde exceſſere & eo milites, ſolo veſtitu, abſque armis. Parum hoc proſperi ſucceſſus auxit tamen fiduciam Duci, vt non longe ab Ambiano tribus locis diuerſis caſtra poneret, dictitans, campum ſeſe tenere, viſum an id animi eſſet Regi vt manum conſertum procederet. Ad vltimum proxime ciuitati acceſſit, itaque vt tormentis in eam, ſupraque exonerandis ſpatium eſſet commodum. Ibi ſeſquimenſem ſubſtitit. Ambiani erant mille & quadringenti cataphracti Regii, cum quatuor ſagittariorum millibus. Eis præerant Coneſtablius, cum pleriſque omnibus militiæ Gallicæ præfectis, vt Admiralio, Mareſchallo, Seneſchallis, & infinitis nobilibus cordatiſque viris. Rex degebat interim Bellouaci, grande concilium cogens. Ei aderant frater, Dux Viennæ, Nicolaus Princeps Calabriæ & Lotharingiæ, vnica ſtirps familiæ Andegauenſis, cum Nobilitate cætera Regni, edicto velut publico ad bellum, ex Fide quam Regi debebat, conuocata. Dubitandum non eſt huius tanti conuentus aliquos cupidinem magnam tenuiſſe, motuum horum bellicorum cauſſas cognoſcendi, quin & fraudulentiam ſubodorandi; videbant quippe his terminis expeditionem non ſtare ſed Regem longe tendere vlterius. Qui Ambiani erant deliberauerunt eruptione adoriri Burgundum in ſuis caſtris, ſiquidem Rex vellet quem Bellouaci ſecum habebat militem in ſubſidium mittere: Rex autem edoctus quid ageretur miſit qui prorſus interdicerent ne quid tale auderent, quamlibet enim à parte ipſius multis coniecturis videbatur Fortuna futura facilior, tamen periculo totum negotium non paruo vertebatur, præcipue iis qui erupturi vrbe erant; Duabus enim portis prodituri fuerant, quarum altera proxima erat caſtris Burgundi; qua ſi retrocedere coacti fuiſſent, cum pedites omnes prodire neceſſe habuiſſent, po-

terat contingere vt ciuitatem ſemel totam cum militum præſente iactura amitterent, irrumpente munimenta cum victis victore. His rebus pendentibus Carolus Simonem Quincium, vnum de Cubiculariis ſuis, qui poſtea Balliuus Trecenſium fuit, cum Epiſtolio ſua manu ſcripto ad Regem miſit, humilibus vtens verbis; queſtusque quod ad alterius arbitrium ita de improuiſo ipſum Rex adoriretur, credere ſe adiiciens, ſi rerum omnium ſtatus recte ad ipſum delatus fuiſſet, aliud quiduis facturum fuiſſe. Porro exercitus quem in Burgundiam Rex miſerat omnem eius oræ militiam fuderat, multis inſuper captis. Occiſorum hac clade numerus non quidem grandis, fuga tamen & diſperſio ab hac parte erat, & victrices copiæ iam aliquot oppida obſidione cinxerant; quarum rerum nuntii mirifice Carolum percellebant: tamen per exercitum ſuum contraria omnia ſpargi faciebat, ſuis victoriam affingens. Rex cum dictas eius litteras pellegiſſet, ſummopere gauiſus eſt, propter rationes ſupra memoratas, & quod extrahi omnia cum tædio videbat, reſponditque non inciuiliter, data præſidio Ambianenſi poteſtate inducias cum Duce paciſci. Sic factæ ſunt aliquot armorum pauſæ, ad paucos ſingulæ dies: ad extremum conuentum eſt in annuum ſuſpendendi belli ſpatium, ſi ſatis memini. Ob quam rem indignationem ſuam tegere non poterat Coneſtablius. Quippe citra omne dubium (quidquid quiuis contra cogitare aut dicere potuerit) iam iſte homo capitalis inimicus erat Caroli. Diſceptatum quidem inter eos eſt pluribus verbis, ſed numquam exinde vlla amicitia fuit, vt exitus diſpiciendum præſtabit. Aliquoties & poſtea nuntii vtrinque miſſi ſunt, altero alterum ſuarum facere partium contendente; Dux præcipue ad omnia hoc agebat vt eius opera SanQuintinum recuperare poſſet:
Cone-

Conestablius autem cum infestum Regem timeret, ciuitatem eam Carolo pollicebatur, tam aliquoties certo, vt iam expeditum Burgundorum agmen ad intrandum procederet, quod cum duobus tribusve milliaribus munimenta accessisset, pœnitentiam Conestablius facto demonstrabat, eosq; elusa opera retrocedere iubebat, vnde sese ipsum ad extremum perdidit. Moliebatur hic homo, propter munitissima loca quæ opportunis regionib. tenebat, copiasque non paruas quas ad Regis expensas secum habebat, ambos Regem & Ducem timore quopiam suspensos, quo quidē iam eos perculerat, attinere. Sed conatus iste periculosissimus erat, ambobus longe & consultioribus & potentiorib. quam qui eo modo tractari deberent. Post dimissos vtrinq; exercitus, Rex Turonos proficiscitur, Dux Viennensis in suam prouinciam, Burgundus quoq; ad suos reuertitur, quo statu res paullum constitere. Carolus per totos suos principatus Statuum conuentum habuit, demonstrans quod ipsi damnum dedisset non habere militem paratum ad improuisos casus, vti Rex soleret; quod si quingentos solos paratos ad tuendos limites habuisset, numquam bellum hoc Regem incepturum, sed pacem ratam eousque culturum fuisse. Ob oculos porro iisdem ponebat quæ in posterum pericula metuenda essent, instans vrgensque vt octingentorum equitum stipendia annua præstare reciperent. Ad finem ipsi numerata sunt viginti sex millia Coronatorum, super vltraque omnes cæteros prouentus. His non adnumeramus Burgundiā. Tamen subditi omnes magno metu vertebātur, neq; vnis rationibus, subdere se tali postulationi, exemplum capientes de vicino Franciæ regno. Et metus hic in veritate rei non erat sine caussā. Namq; obtentis illis quingentis sexcentisve equitibus, lubido ipsū cepit plures alendi, neq; non facilius incurrēdi vicinos suos vndi-

que,deque viginti millib. Coronatorum adſcenſum facere eos coegit ad ſexcenta millia,tantumque poſtea copiarum habuit,vt omnibus fere prouinciis fierent intolerabiles. Sic itaque ſtatuo ordinarium talem militem ſumtuum cauſſa non eſſe inſuper habendum, modo Rex aut Princeps ſit qui eis vti prudenter commodeque poſſit. Quod ſi aliis is moribus ſit, aut decedens minores ætate filios ſub gubernatoribus relinquat, vſus eiuſdem non erit ſemper ſub præfectis vtilis, vel Principi ipſi vel ſubditis. Odium his induciis inter Regem & Burgundū tantum aberat vt remitteret, vt increſceret etiam,&continuaretur. Dux Viennenſis in ſuam prouinciam regreſſus,ſæpius interpellabat Carolum de matrimonio filiæ, nihil diligentiæ reliquum faciens. Carolus bonis verbis rem extrahebat;& ſic omnes procos tractabat iam longo tempore; neque ego credo magni illum feciſſe nepotes videre ex vnico ſuo pignore, neque vmquam eam elocare curaſſe,quamdiu vita ipſe fruitus fuiſſet, modo potuiſſet ſeruare eam ad conciliandos ſibi principes, opibusq; & auxiliis eorum vtendi, ſpe generi adſciſcendi cuique oblata. Tot enim tantasque res animo ſuo præfixerat,vt vita ipſum prius quam gerenda bella defectura videretur; quarum in numero ſupra vires multas verſabat,neque enim dimidia Europa ſpes eius capiebat. Audaciæ,fortitudinisque ad capeſſenda omnia ſatis habebat,Corpore patiens erat laborum neceſſariorum vt qui maxime,neque miles neque pecuniæ eum deficiebant; verum malitiæ,vt ita dicam,& fraudulentiæ,ſubtilitatisque non tantum inerat,quantum tanti ponderis negotia poſtulabant. Quod ſi cæteris omnibus inſtructum ad maximas res aggrediundas, tale quid defecerit, reliqua ego omnia non magnifaciam; hocque ingenium de ſingulari dono Dei paucis contingere perſuaſum habeo. Si quis partem de dotibus Regis noſtri, partemque de

Caroli

Caroli virtutibus captas miſcere vni Principi conſtituendo potuiſſet, non dubito perfectum fuiſſe exhibiturum: Quo ad acumen ingenii enim longo interuallo Ducem Rex tranſibat, vt vtriuſque factorum finis nemini non demonſtrauerit.

CAPVT IV.

Quæ inter ſe bella geſſerint Angliæ principes, dum conflictantur Rex Ludouicus Galliæ, & Carolus Dux Burgundiæ.

RErum iſtarum tenor pene mihi excuſſerat memorare Edoardi Angliæ Regis fortunam. Hi enim tres vno tempore præpotentes floruere Principes, Ludouicus noſter Francorum, Edoardus Angliæ, Carolus Burgundiæ. Non eſt animus mihi ſeruare in recenſendis his rebus conſuetum Hiſtoriographis ordinem, neque adnotare momenta temporum, vt quæque contigit, neque principia narrationum altius ordiar aliasve adducam per exempla his illuſtrandis, cum cuius in gratiam hoc à me opus ſuſceptum eſt, eum talibus erudire velle ſit vere noctuas ferre in Atticam; verum nude atq; ſoloci opere ea indicabo quæ vidi & reſciui, audiuique teſtimoniis non reprobabilib. ſuper negotiis horum principum. Eſt Antiſtes ille noſter horundem temporum, gnarusq; cum primis quæ acciderunt omnium, quapropter neque, vti exiſtimo, expectabit à nobis accuratiorē annorum dierumque ſubſcriptionem. Alibi recenſita nobis eſt cauſſa ob quam Regis Edoardi ſororem matrimonio ſibi iunxerit Carolus; eaq; non erat aliā quam vt tantum virium contra Gallum ſibi corroborando adiiceret; qua ſine numquam ſane id feciſſet, propter inſignem fauorē, quā Lanclaſtrenſi familiæ ferebat, cuius affinis cognatuspue erat, multis ſanguine ſuæ, cui pater Rex Portugalliæ, mater vero filia Ducis Lanclaſtrenſis. Vt igitur hanc domū

iure perfecteq; amabat,ita non minus oderat Iorcẽsem: tempore vero huius matrimonii Lanclastrensiũ fortunæ prorsus iacebant,deq; Iorcensi aliũ erat silentiũ, Edoardus n.Rex simul & Dux Iorcensis, nihil pacificis studiis habebat cõmendatius.Florentib.autem harum familiarum dissidiis collisi erant Angli septem octove immanib. conflictibus, atrociter cæsis ad octoginta Principibus, Regii sanguinis,vti & ante his libris memoratũ est; quiq; inde supererant in aula alebantur Burgundica. Omnes hos adolescentes, quorum patres in Anglia occubuerant, ad se collegerat Carolus,ob sanguinis cognationem,de domo Lanclastrensi,antequam sororẽ Edoardi duceret.Hos vidisse memini,antequam familiares notique Burgundo fierent,non copiosiores quam qui mendici ostiatim stipem colligunt.Ducem ex his Cestrensem conspexi,tacito suo nomine, Comitatum Caroli sequi, vestib.femora ægre tegentibus,qui de domo in domum victum quæreret. Hic erat proximus omnium Lanclastrensi sanguini,habebatque vxorem sororem Regis Edoardi.Agnito deinde tenue ad sustentationem stipendium Carolus largitus est.Aderant inter hos&Sombresseti Comites;omnes vero sequentib. bellis extincti sunt. Patres maioresq, horum diripuerant vastauerantq; Galliæ regnum, maximamq; siue partem multis annis possederant: Omnes mutuis parricidiis interiere, qui restabant in Anglia cum sua pariter sobole pessumdati sunt: Et sunt qui negent Deum vlcisci nunc scelera Principũ, vt fecerit temporibus florentium Israëlitarum, sed impunitam eorum malitiam, vti & aliorum mortalium, negligere. Ego crediderim non colloqui quidem eum amplius hominibus,vt tum solebat, exstantibus quippe ad satiem exemplis per hoc vniuersum, vnde fides ipsius Iustitiæ testata sit; sed vel hæc tamen legentibus constare posse,accessione eorum quæ vsus & lectio alia sugge-

ſuggerunt, malorum Principum, quique alii autoritatem in rebus humanis habent, cum abuſi fuerint poteſtate ſua ad tyrannicam crudelitatem aut libidinem, paucos ſi non nullos impunitos vitam decurrere; quamlibet nec ad certum pœnæ diem cõſtrictæ ſint, nec morentur opportunitatem eorum quibus ſunt exantlandæ. Nunc ad Edoardum Regem reuertamur; Princeps eorum qui familiæ Iorcenſi antiſtites fuerant, erat Comes VVarvvicius; vt contrariæ Lancaſtrenſium factionis Dux Sombreſſetius: quantum ad educationem & officia Regi exhibita faciebat, Comitem eum bono iure patrem Edoardi dixiſſes; ſimul vero ſuam auctoritatem in excelſum locum extulerat; quippe cum ſua præpotens foret fortuna, tum à Rege etiam ingentem numerum poſſeſſionum dono erat adeptus, tam confiſcationum quam Coronæ reſpectu reditibus ad ipſum deuolutis. Adhæc præfectus erat Caleſio, aliaque ampla officia adminiſtrabat, meminique annuos prouentus ad octoginta millia Coronatorum cenſeri, excepto patrimonio ipſi proprio. Inter hunc Comitem & Regem diffidium exortum eſt anno plus minus ante quam Ambianum Carolus accederet. Qui fouebat vt poterat hanc diſſenſionem iampridem exoſam habens Comitis tantam in Anglia potentiã, accedebat iuſto Caroli odio, quod occulta ſemper conſilia cum Gallorũ Rege tractare VVarvvicius noſcebatur. Ad ſummam hoc eodem tempore, aut prius paullo, vidi tantæ eum Comitẽ poteſtatis vt Dominum ſuum Regem in ſuas manus redigeret, Reginæ patrem Scalleſium cum duobus filiis trucidaret, tertium inter ſpẽ vitæ neciſq; teneret, quos omnes Edoardus ſummopere amabat; adhæc aliquot Procerum Regni pro lubitu vita ſpoliaret. Regem ad tempus in honeſta cuſtodia habebat, demtis miniſterii veteris officialibus, admotiſque ei recentibus, vti illorum obliuiſceretur, videba-

 tur

tur enim paullo minus prudens Rex, quam pro tantis negotiis administrandis. Duci Burgundiæ summopere hæc displicebant, itaque non destitit clam conari & moliri, vti ex custodia Rex elabi posset, quo coram eum colloqui daretur. Rei exitus fuit, vt Rex eductus custodia militem colligeret, & nonnullas Comitis cohortes profligaret. Edoardum sua in conflictibus fortuna apprime felix sequebatur, nouem n. grandibus præliis, semper pedes rem gerens, aduersarios fudit. Comes Warvvicius afflictas suas res cernens, monitis quos habebat secretiores amicis quid facto vsus esset, bona cum sua opportunitate pelago se commisit, socio Clarentiæ Duce (cui filiam suam vxorem dederat, quiq; partiũ ipsius erat, licet frater foret Edoardi Regis,) adscitisq; liberis & coniugibus, cum comitatu copioso. Hoc modo Calesium se inferre volebat, qua in ciuitate Vicarium habebat Vaucletium, cum non paucis de domestico suo ministerio. Vaucletius, à quo receptum se iri sperauerat Comes, æneorum tormentorum ictibus venientem excepit: cum in anchoris ibi classis staret Filia Comitis, Clarentii Ducis coniux, filium peperit; ægre tum à Vaucletio tantum impetratum est vt duobus vini amphoris puerperæ subueniretur. Erat sane summus hic rigor erga Dominum ministri. Facile enim exputatu est quantum spei in hanc vrbem collocatum habuerit Warvvicius, quæ summus Angliæ thesaurus merito nuncupetur; certe totius Christiani orbis propugnaculum & Præfectura militaris clarissima est; id quod expertus ipsemet dico, pendentibus enim his dissidiis sæpius illuc fui, audiuique à Præside Estapensi quindecim annua millia Coronatorum inde ad Regem Angliæ redire. Hic enim Præfectus omnium redituum vltramarinorum Anglo rationes exhibet, commeatuumque curam vsumque gerit, & præsidium ad suum arbitrium moderatur. Regi singularis hæc

Vau-

Vaucletii fides ſummopere placuit, miſſisque litteris ipſi Præfecturam detulit; erat quippe ætate famaque rerum bellicarum præclarus, prudentia vir inſigni, Equeſque Regii Ordinis. Carolo pariter gratiſſimam rem indidem fecit, qui tum apud San- Audomarum morabatur, qui me ad ipſum miſit, oblatis mille annuis Coronatis, monens eam in Regem ſuum Conſtantiam vt perennaret. Senſi prorſus eum eo eſſe animo, & me præſente in hoſpitio Eſtaplenſi Caleſii iureiurando ſe obſtrinxit Regi fidem fore contra & aduerſus omnes; in quæ verba pariter iuratum eſt à milite præſidiario; mihi duo menſes extracti ſunt, eundo redeundoque ad ipſum in officio continendum, quod tempus fere totum cum ipſo fui. Carolus interea Boulonia non diſcedebat, claſſemque ingentem parabat contra Warvvicium, qui Burgundicarum nauium non paucas ceperat cum Caleſio diſcederet. Ea captiuitas nobis magno emolumento fuit, Præda enim à VVarvvicianis in Normannia diſtracta Carolus omnes Gallos mercatores de nundinis Antuerpienſium redeuntes exſpoliari iuſſit. Cum non minus vſui ſit inſtrui malitiæ aſtutiæque, quæ in humanis rebus verſantur, ſenſu & notitia, quam bonarum artium, non vt vtare illis, ſed vt caueas, placet indicare hoc loci ſiue ſubtilitatem ſiue doloſitatem (vtcunque nominaueris certe ſagaciter res expedita eſt) inſignem quampiam, ſimul vt tam vicinorum noſtrorum quam noſtramet ipſorum aſtutia inſpici poſſit, cum & hinc & illinc bonorum malorumque copia ſit. Cum Caleſium VVarvvicius accederet, confiſus introitum expeditum habere, vt in principem refugii ſui locum, Vaucletius (homo perquam ſagax) ipſi indicium fecit, ſi id faceret citra exceptionem peſſum iturum, tota Anglia & Burgundi copiis ipſi contrariis; ad hæc ciues incolasque Caleſii ipſi hoſtes eſſe, cum maxima præſidiariorum parte, præ-

cipue Duratio, Marescallo Regis Angliæ, aliisque, quibus factiones essent in oppido: optime autem ipsi fore consultum si in Galliam se reciperet tunc: quod ad Calesium ipsum attineret, securo sit animo, quamprimum tempus futurum sit, sese ipsi gestorum optimam omnino rationem redditurum. Eo Consilio optime Comiti, suo Capitaneo, consuluit Vaucletius, pessime autem Regi. Nemo vmquam homo beneficium acceptum scelere maiore rependit, quam iste Vauçletius, quippe iam à Rege Præfectus præsidii factus, & tantum annuæ pecuniæ à Burgundo adeptus.

CAPVT V.

Vt Rex Ludouicus tam gnauiter Comiti VVarvvicio adfuerit, vt Regem is Angliæ regno suo expulerit, summis Burgundi ingratiis, qui fugitiuum in suas regiones suscepit.

HOc consilium secutus VVarvvicius in Normanniã contẽdit. Ibi à Rege bene exceptus, ad vsum copiarum suarum argento large instructus est. Dux Burgundiæ ingenti tum classe mare illud tenebat, Regisque ditionem tam terra quam pelago infestam faciebat, adeo pollens viribus vt nemo se opponere illi auderet. Hic ne damnum daret Anglis istis, Rex curam demandauit tuendorum Spurio Burbonio, Admiralio tum Franciæ, cuius Caroliq; copiæ dira inuicem sibi minabantur. Hæc acciderunt paullo ante quam SanQuintinum & Ambianum caperet Ludouicus, quod factum est Anno Christiano millesimo Quadringentesimo, Septuagesimo. Classis Burgundia fortior erat Comitis VVarvvicii & Regis coniunctis maritimis copiis; Ceperat enim in portu Slusæ plurima ingentia nauigia Hispanorum & Lusi-

Lusitanorum, Germanorum etiam, & Genuensium non pauca. Rex Edoardus nequaquam erat homo magnæ prudentiæ, licet formæ flore & robore corporis omnibus quos ego ea ætate principes viderim, longe excellentissimus; itaque non magnopere ipsi curæ erat VVarvvicii expeditio, minusque quam Burgundo, qui perceptis per Angliam motibus sæpius eorum Regem admonebat; Verum hic nihil minus timebat; quæ mihi stultitia non parua videtur, hostem suum infra timorem contemnere, & nullius periculi imminentis metum habere, præcipue in hoc qui videret Galliæ Regem vndique contrahere naues & copias imponere iis, vt Anglos fugitiuos instrueret. Etiam ille apparatus omnis in eo erat vt in Angliam solueretur. Composuerat Edoardus matrimonium Principis VValliæ cum secunda natu filia Comitis VVarvvicii. Is Princeps vnicus erat filius Regis quondam Anglorum Henrici, qui tum etiam supererat, captiuus in Castro Londinensi. Erat hæc mira admodum copulatio, Patrem Principis deleuisse, ipsum vero nuptiis filiæ suæ iungere, & velle post alere Clarentium Ducem, fratrem Regis contrarii. Certe timere debebat Lanclastrensis familiæ incrementa; neque enim potest vt odia talia funditus obliterentur, omni ope prudentibus rerum moderatoribus cauē da. Ego dum Calesii eram Vaucletio in officio continendo, neque, cum Gallicū auxiliū VVarvvicio pararetur, eius astutiā sentiebam, qua tertium iam mensem verba nobis dabat: interea petii ab eo vt propter rumores superuenientes ciuitate eiiceret viginti aut triginta familiares VVarvvicii, mihi constare classem Regiam Comitisque paratam soluere ab oris Normanniæ, quod si feliciilla successu teneret derepente Angliam posse vt Calesii etiam turbaretur aliquid per eos quos VVarvvicianarum partium nossem; forte & ipso tum fortiores

Luxata & transposita sunt hic quadā in Gallico.

tiores futuros; eamque petitionem instanter vrgebam. Semper eum eius voluntatis credideram ad eam vsque horam, qua seducto mihi indicauit se quidem facile superiorem in sua ciuitate futurum, cæterum alia nunc mihi suasurum; nimirum vt Duci Burgundiæ id consilii darem, si Angliæ regno amicus esset, pacificis ei studiis non bellicis adesset, idque respectu eius exercitus dicebat qui contra VVarvvicium paratus esset. Adiecit non difficulter negotium componi posse; eo enim die Calesium transiisse puellam quampiam ad Ducis Clarentiæ coniugem, quæ pacis oblationem à Rege Edoardo portaret. Verum hoc erat, sed ipse, vt decipiebat alios, ita ab hac puella fuerat circumuentus; eius enim missio magnum agebat negotium, idq; confecit, ingenti VVarvvicii omniumque ei adhęrentium detrimento. Secretas has machinationes, & subtiles delusiones, quæ quidē cis mare institutæ peractæq; integros hos viginti annos fuerint, nemo verius penitiusque me vno enarrauerit. Quod secretim huic puellæ commissum, erat docere & monere Clarentium ne vellet caussam præbere vniuersæ suæ euertendæ familiæ, vt eleuaret eo periculo Lanclastrensem, eam in rem ipsum ducere debere antiqua & inueterata vtriusq; in vicem odia, & offensiones; facile ipsi coniectu esse Comitem VVarvvicium, ex quo filiam suam VValliæ Principi collocasset, ipsum moliri sceptro Angliæ admouere, cui & dum fidelitatis iuramentū præstiterit. Puella hæc tam dextre hoc expeditum dedit, vt assentiretur ipsi Clarentius, qui pollicitus es se ad Regis fratris sui partes transiturum, verum non prius quam in Angliā peruentum esset. Fęmella hæc nequaquam fatua nec sermonis erat inconsulti. Ei permissum est ad Dominam suam proficisci, qua etiam de caussa potius ipsa quā de meliore sexu aliquis, missa fuit. Vaucletius vtcunque sagax & astutus, ab hac pulcre deceptus est, mysteriumque

que hoc mulier confecit, quo tantæ potentiæ Comes cum omni ſuo apparatu & copia funditus euerſus eſt. His talibus de cauſſis nequaquam pudori eſſe Sapientib. debet ſuſpicioſos eſſe, & accurate venientes abeuntesque obſeruare; illud autem pudendum merito habeas, decipi ſuam ob negligentiam, & res ſuas ipſummet peſſumdare: Suſpiciones tamen intra modum eſſe decet, nam indulgere his, nequaquam vtile boniue animi eſt. Enarratum iam eſt vt copiæ hæ VVarvvicii cum auxiliis Gallicis paratæ fuerint ad transfretandum, vt Burgundicæ conflictui. Et hæ erant illis à fronte, ſed nocte deſtinata profectioni Dei voluntate immanis tempeſtas exorta eſt, quæ inuitam Ducis claſſem diſiecit, parte nauigiorum Scotiæ oris, alia Hollandiæ illiſa; quo facto paucis poſt horis opportunum ventum VVarvvicius habuit, qui omni ſine diſcrimine Angliam illatus eſt. Burgundus Edoardum præmonuerat de portu, cui inferri claſſis hoſtica debebat, habebatque circa eum homines id ſolum agentes vt ſuarum ipſum commoditatum admonerent. Sed Regi parum hæc curæ erant, dedito venationibus, neque proximiores Conſiliarios habebat Archepiſcopo Iorcenſi & Marchione Montiſacuti, fratre VVarvvicii, qui immani ſe iuramento obſtrinxerant contra fratrem ipſi adſtituros, vt & quemcunque alium: his ille fidebat. Cum terram teneret claſſis VVarvvicii, ingens multitudo hominum ipſi accurrit, Edoardo multum attonito cum id videret. tum demum rerum ſuarum ſatagere cepit, petiitque à Burgundo, vellet paratam ſemper mari ſuam habere copiam, ne Comiti eſſet in Galliam reditus, de Anglia ſe facile tranſacturum. Hi ſermones minime placebant eis ad quos ferebantur, conſultius enim exiſtimabatur non permiſiſſe hoſti aditum in Angliam, quam confligendi ſe neceſſitati ſubiicere. Quinque vel ſex ab appulſu Comitis diebus

bus exercitus eius firmissimus erat, tribus tantum milliaribus ab Edoardi copiis remotus; cuius quidem copiosior erat acies, sed non æque boni militis, isque nihil malebat quam committere prælium. Rex firmum habebat hospitium in pago quopiam, aut certe ædificio, cui accedere, vt ipse mihi narrauit, nisi per pontem, nemo poterat, quæ res magno ipsi vsui fuit: Reliquus eius miles in vicinas villas circum diuerterat. Cum pransum consedisset, derepente nuntiatum est Marchionem Montisacuti, VVarvvicii fratrem, cum aliis nonnullis equos conscendisse & publice proclamari facere, VIVAT HENRICVS REX, ab omni ipsorum milite. Primo nequaquam credibile visum est, missique statim plurimi, dum Rex arma caperet, locaretque armatos ad defendendos hospitii sui aditus. Erat cum Rege Eques sapiens mireque cordatus, Hastinguius vocabulo, magnus Angliæ Camerarius, summæ inter omnes Consiliarios auctoritatis, Huic nupta erat soror VVarvvicii, neque tamen Regias partes deserebat. Huic in exercitu parebant ter mille Epuites, vt & ipsemet mihi recensuit. Erat alter, nomine De-Scallius, frater coniugis Edoardi, cum pluribus strenuis tam Equitum quam Peditum ducibus. His in non exiguo discrimine res versari videbatur; nuntii enim referebant veros esse rumores, neque faciebant quippiam aduersarii quam cogere militem ad irruendum in Regios. Peculiari fauore Numinis actum erat vt Regis hospitium propinquum esset mari, paratumq; nauigiorum aliquid, quod victui necessaria veheret, cum duabus onerariis Holandicis: Nihil reliquum erat spatii, quam vt in eas se naues coniiceret. Paullum substitit quem dixi, Camerarius, qui Præfecto copiarum acclamauit, ad reliquos vti suos se conferret, obtestatus manerent in debita Fide Regi; dehinc & ipse cum præsentibus nauigium ingressus est. Consuetudo

An-

Anglorum eſt, cum victoria prælio parta eſt, neminem vltra occidere, præcipue de plebe (norunt enim omnes ipſorum iam eſſe à partibus, quos videant ſcilicet valentiores,) neque quæſtus gratia quemquam premere: itaque regiorum ab Edoardi diſceſſu nemini clades illata eſt. Rex tamen idem mihi poſt memorauit, ſibi morem fuiſſe, cum acie quapiam hoſtem ſtrauiſſet, Equo adſcenſo proclamare, vt militum vulgo parceretur, cæderentur vero Duces & Præfecti, & horum quidem aut nullus aut rariſſimus quiſque ipſi elapſi ſunt. Ita profugit hic Rex Anno Dominico Milleſimo, Quadringenteſimo, Septuageſimo, cum duabus onerariis alioq; minuto ſuo nauigio, ad ſummum octingentis hominibus comitatus. Horum nihil quiſquam habebat præter arma ſua, vt bellum inire decreuerat, neque ſciebant quorſum curſum mari tenerent. Sane portento ſimile erat miſero huic Regi (ita enim tum appellari merito poterat) eo modo profugere expellique à ſuis miniſtris. Decimum iam tertium annum deliciis voluptatibusque ſuis vacauerat, vltra omnes ſuę ætatis Principes; Neque vllam curam habuerat niſi formoſi floris mulierum, ſupra etiam decorum, venationis, & curare ætatem. Cum venatũ quopiam proficiſceretur, in commeatu agmen ſequebantur pluria tentoria pro Gynæceo; ad ſummam Genio per omnia indulgebat, cui rei habilis aptusq; totus erat, nec quiſquam par principum ipſi quos ego viderim: Iuuenili erat vigore, formoſus ad faſtigium humanæ pulcritudinis, cum hæc ipſi mala contingerent, poſtea corpulentior quam voluiſſet. Hîc vero aduerſitatum res mortalium verſantium experiri turbas adorſus eſt. Recta fugam via ad Hollandiam ſecutus eſt. Eo tempore Balthici maris accolæ inimici erant Anglorum & Gallorum, neque paucas bellicas naues habebant, maximeque hos Angli metuebant, non ſine cauſſa, ſunt enim

præ-

præliatores optimi, & eo anno plurimum damni hostibus intulerant, non paucis captis nauibus. Hi de longinquo conspecto fugitiui Regis agmine, septem octove nauigiis eum persequi cœperunt. Præceperat Rex longum spatium, tenebatq; oram infimæ Hollandiæ, iuxta vel & in Frisia, ad ciuitatem minutam quampiam, nomine Alcmariam: nauem eius ancoris fixere, recessu enim æquoris portum intrare non dabatur, ipsique quo vsque potuere accessere oppido. Balthici pariter iuxta regios anchoras dimisere, certi eos aggredi ad primum maris regressum. Vna calamitas, vnumque periculum raro non trahit alias. Fortuna & animus huius principis apprime erant mutati. Nondum quindecim exiuerant dies cum non sine stupore audiuisset dicentem aliquem, Comes VVarvvicius Anglia re eiiciet, vndecimoq; post regnum, inibi ipse obtinebit: non enim longiori tempore ipsi constitit totius prouinciæ subiugatio. Præter hæc irridebat Carolum, qui defendendo mari tantos sumtus faceret, perhibens, iam se optare venisse in Angliam hostem. Et quo pacto se excusare potuisset, amisso propria culpa tanto Principatu? Nisi vt diceret, non putaram hæc ita euentura. Cauere summopere decet Principem qui ætatem habeat, hac excusatione vti, neque enim locus ei vspiam est. Egregium hoc exemplum sit Moderatoribus rerum, qui numquam timere aut formidare volunt aduersarios, vt pudorem habeant: Horum persuasionem fouere solent maxima pars ministrorum, adulandi studio, quibus placet inde laudari & commendari, quod fortiter viriliterque sentiant & loquantur. Nescio quid obloquendum his censeam, illud scio prudentibus pro insigniter fatuis hos sermones futuros; & honestatis est pars timere quod debeas, & inde imminenti detrimento obuiam ire. Summæ diuitiæ Principi sunt Sapientem habere in commeatu Consiliariorum,

cui

cui ſecuro animo credere poſſit, cuique inſtar ſeueriſſimæ Legis ſit Veritas. Forte fortuna cum hæc acciderent Gubernator Caroli per Hollandium, Gruterius erat eo in loco quo appulerat Edoardus, iamque exſcenſum parabat. Ad eum illico delatus eſt nuntius, cum primum quis terram tenuiſſet, ſimulque periculum quod imminebat Regi à Balthicis: Is continuo ad hos miſit qui interdiceret ne quid omnino in eum molirentur. Ipſe in nauim adfuit vbi Rex erat, exceptumque comiter cum mille quingentis comitibus in tellurem eduxit.

Aderat Regi Dux Clocestriæ frater, qui poſtea Regem Henricum ſe fecit ſalutari. Ipſe omnium prorſus rerum egenus inopsque, Domino nauis veſtem pretioſis pellibus, quas martras vocant, ſubductam, vecturæ pretium dedit, pollicitus in poſterum bona multa facturum. Miſerior nullibi caterua hominum conſpecta eſt. Gruterius omnia honeſtatis officia impleuit, donatosq; primores veſtimentis, quibus poterat, cum cæteris Hagam Hollandiæ comitatus eſt; inde nuntium mox ad Carolum euentuum miſit. Carolum mirifice tam inſperata fortuna perculit, maluiſſetque longe potius mortuum reſcire, Formidabat enim magnopere VVarvvicium, hoſtem capitalem ſuum, iam in Anglia rerum potitum. Is ab infelici Regis diſceſſu vulgus omne obnoxium ex procliui habuit; Exercitus etiam vniuerſus partim voluntate partim metu ſignis eius ſucceſſit, auctuſque eſt quotidianis exinde incrementis allabentis populi. Sic Londinum mox profectus eſt. Bona pars tamen Equitum Peditumque nobiliorum eius ciuitatis Aſyla tenuit, quæ res maximo deinde vſui Edoardo fuit.

In his fuit & eius coniux quæ ſumma omnium neceſſariorum penuria filium eodem tempore enixa eſt.

CAPVT VI.

Quomodo carcere extraxerit Regem Angliæ Henricum Comes VVarvvicius.

CVm Londinum VVarvvicius venisset, castrum, Arcem Regiam, petit, & inde eduxit Regem Henricū, quem ipsemet, multis iam annis interlapsis, præclamans reum læsæ maiestatis, proditoremque, eodem incluserat: tunc vero Regem appellatum Palatio VVestmonasteriensi intulit, imposuitq; dignitati officioque Regio, præsente Clarentiæ Duce, cui nequaquam hæ res placebant. Illico post Calesium misit ad quadringentos milites, qui totum Boloniæ territorium infestum fecerunt: hos benigne recepit Vaucletius, quem memorauimus antea, vnde facile in VVarvvicium non interrupta eius beneuolentia apparuit. Eo die quo Carolus comperit Edoardum Hollandiam aduenisse, ad eum Calesio redieram, offendique ipsum Boloniæ, ignarus etiam omnium quæ contigerant. Primus rumor mortuum attulerat. Eum non magnopere admisit animo, amauerat enim Lanclastrēses semper præ Iorcensibus, habebatq; secum Duces Lecestrium & Sombressetum, pluresq; alios partium noui Regis Henrici, quapropter videbatur ipsi facile hos pacem facturos cum illa familia, verum magnopere metuebat VVarvvicium; neque sciebat quo pacto excepturus esset Edoardum si ad ipsum confugere eum vsu veniret, cuius in matrimonio sororē habebat, erantque fratres Ordinum Equestrium, Rex enim Vellus aureum, Dux Fasciam insignia gestabant Angliæ & Burgundiæ Equitum. Carolus tum è vestigio Calesium me remisit, adiunctis duobus de nobilitate comitibus, qui partium erat Regis Henrici, instruxitque quid cum sociis his noui principis asseclis agendum mihi esset: iungebat mandato preces, adiiciens rem ipsam in hoc negotio

gotio fidele miniſterium expoſcere. Ita Turneanum vſque progreſſus ſum, quod eſt caſtrum prope Guineam, neq; auſus iter pergere; vndiq; enim vulgus diffugiebat incolarum Anglis regionem circumquaque incurſantibus. Miſi ergo Caleſium extemplo ad Vaucletium, Saluum, quem vocant, commeatum petitum, alioquin enim conſueueram ſine venia eò proficiſci, honorificeque excipi, vt ſunt Angli natura honorificentiſſimi. Omnia tum mihi iſta mira videbantur & noua, numquam enim eatenus mutationes rerum humanarum penetraueram. Præterita iam dum nocte Duci indicaueram periculum quo inhiberer vlterius proficiſci, neq; tamen quicquam de eo quod à Vaucletio petieram; animo enim iam præceperam reſponſum quod eſſem adepturus. Is remiſit mihi annulum de digito ſuo, inſigne mandati vt progrederer, etiam ſi de captiuitate metuerem, ſe enim redempturum, ſi quid tale contingeret. Moris habebat non admodum ſollicitus eſſe de periculis miniſtrorum ſuorum, ſi quibus commodo euidenti poſſet vti rebus poſcentibus, quapropter proſpexeram mihi impetrata veniendi venia à Vaucletio, à quo recepi humaniſſimas litteras, poſſe adeſſe ſecurum, vt adſueueram. Veni Guineam, eiuſque præfectum extra arcem offendi, qui poculum vini præbuit, caſtri introitu, vt ſolebat, tamen non oblato. Hic ſumma beneuolentia comique veneratione excepit Comites meos, partium noui Regis. Ita Caleſium perrexi: Nemo inde mihi obuiam venit, vt ante ſoliti fuerant. Omne vulgus inſignia geſtabat Comitis Warvvicii. Ad oſtium hoſpitii mei multitudo pluribus ceremoniis cantilenisq; perſonabat, Regem Ludouicũ & Comitem VVarvvicium vnum eumdemq; hominem eſſe. Miriſſimum iſtud omne mihi accidebat. Forte miſi Greuelingam, quinq; milliarib. Caleſio diſtantem, imperatum vt ibi attinerentur omnes negotiatores mer-

cesque Angliæ, quia nempe ditionem, vt dixi, Caroli gens ea incurrerat. Vaucletius pranſum me inuitauit, egregie ſtipatus, pileo præferens ex auro inſignia VVarvvicii, baculum nigrantem; quo pacto & omnes cæteri ſeſe exornauerant, adeo vt qui auream non poſſet, de panno eam præferret notam: Inter prandendum dictum mihi fuit vt primum nuntius ex Anglia aduentauerit, intra quadrantem horæ omnes hæc inſignia ſumſiſſe: tam feſtina & repentina hæc accidit mutatio. Hoc primum loco edoctus ſum quam inſtabili nitantur res humanæ vertigine. Vaucletius omnia honorifice mecum loquebatur, intermiſtis excuſationibus in fauorem Comitis VVarvvicii, eius in ſe beneficia commemorans. Cæteri, qui cum ipſo erant, prorſus ſoluto iure, nihil ad conuicia & contumelias aduerſæ partis ſibi reliquum faciebant; Quippe quos maxime Edoardi rebus adfuturos confideram, ii grandiſſimis in eum minaciis furebant; ita tamen vt poſſem credere non paucos metu id agere, alios ſua ſponte. Ei, quos oppido eiiciendos Vaucletio ſæpius ante detuleram, qui erant familiæ VVarvvicii domeſtici, tum erant cum præcipuis auctoritate, tamen nihil quicquam reſciuerat eorum quæ contra ipſos egeram. Omni occaſione ipſis referebam Edoardum eſſe exſtinctum, cuius rei fidem certam haberem, licet non ignorarem quo loco res eius eſſent, adiiciens; quod ſi maxime adhuc ſupereſſet, confœderationes Burgundiæ Principis cum Regno & Rege Anglorum eſſe tales, vt deleri minime hoc caſu poſſent, quodque, quem ipſi Regem agnituri eſſent, nobis pro eodem eſſe deberet; præuiſisq; talibus conuerſionibus, earumdem ergo fœderis carmen in hæç verba eſſe conceptum. CVM REGE ET REGNO. In hoc nobis obſides erant quatuor præcipuæ vniuerſæ Angliæ ciuitates, vti firmæ ſanctæque conuentionis leges ſeruarentur. Negotiatores vrgebant

ſummo-

ſummopere vt illîc attinerer, quod ex meo, vti aſſeuerabant, mandatu bona eorum Grauelingæ multa forent capta. Ad extremum inter me atque eos ita tranſactum eſt, vt ipſi omnem prædam quam ex agris noſtri Principis egerant, refunderent, aut pretium eius ſoluerent, erant enim inter ipſos & Domum Burgundicam pacto quodam determinatæ certæ quædam regiones, vnde ad vſum ciuitatis pecora caperent certo repenſo pretio, & præterea neminem captiuum dixerant. Itaque concluſum eſt vt eæ conuentiones ſartæ tectæ ſeruarentur quibus Regno Angliæ cum domo Burgundica initum erat fœdus, excepto quod nobis exinde incumberet pro Edoardo nomine citare Henricum. Hæc tranſactio maximopere grata obuenit Carolo. Iam enim alioquin VVarvvicius mittebat quattuor Anglorum millia Caleſium aperte ipſi bellum factura, neque erat vllum ei placando remedium, Attamen magnarii mercatores Londinenſes, quorum multi Caleſii morabantur, hoc conſilio eum deuertebant, quoniam lanificii ſui forum aut Emporium habebant illîc, vnde quanta argenti annona ſingulis ad eos ſemeſtribus rediret, incredibile prope ſit memoratu; exſpectant aduentum mercantium etiam illîc, & principale eorum lucrum venit ex Flandria & Hollandia. Sic hi negotiatores magno momento fuerunt ad hanc tranſactionem, vtque mare non tranſirent quos Comes milites erat miſſurus. Ea res peropportuna Burgundo accidit, cum ea hæc fere tempeſtate confierent, qua Sanquintinum & Ambianum à Galliæ Rege occupata ſunt; quod ſi cum ambobus ſimul regnis Duci confligendum fuiſſet, quod in eo erat vt fieret, procul dubio res eius prorſus concidiſſent: Laborabat idem vt poterat placando VVarvvicio, pollicitans nihil ſe aduerſus Henricum Regem moliturum, aſſerens meminiſſe ſe familiæ ſuæ Lanclaſtrenſis, aliaque ad eam rem

ſpectantia. Sed vt ad Regem Edoardum reuertamur, is ad Ducem Burgundiæ SanPaulini venit, & ſummopere auxilium eius ſollicitabat, vt quantocyus in Angliam redire poſſet, affirmans vbique eius regni plurimos habere ſuis rebus bene cupientes, vtque propter Deum ne ſe deſereret, perpenſo quod ſororem ſuam haberet coniugem, ipſique eſſent fratres Equeſtrium Ordinum. Duces Sombreſſetus & Leceſtrius omnia contraria in partem Henrici noui Regis vrgebant. Non conſtabat Carolo vtri ſe factioni præberet, & offendere metuebat vtramque, & bellum inceptum ingens iam ipſi erat ante oculos. Ad vltimum Sombreſſeto & ſociis ſe credidit, certis eos promiſſionibus ſibi contra VVarvvicium deuinciens, cuius ipſi vetuſto odio flagrabant. Hæc ſentiens, vt aderat, Edoardus, animo non erat admodum bono; neque tamen non optima quæque à Carolo ipſi ſpondebantur, dicente, hæc ſimulare ſeſe, ne cum vtroq; ſimul regnorum depugnandum haberet; quod ſi ea ratione Burgundum quoq; euerti contingeret, neminem futurum tam fideli ipſi poſt auxilio. Attamen cum perſpiceret Carolus non poſſe à ſe retineri Edoardum, quin Angliam primo quoque tempore repeteret, pluribus de cauſſis nolebat eum prorſus à ſe abalienari: itaque publice ſimulabat nulla in re ipſi ſubſidio eſſe, occulte tamen muneratus eſt ipſi quinquaginta aureorum millia, inſtruxitque eum maximis tribus quatuorve nauibus, quæ paratæ confectæque ſunt in portu Veriæ Hollandiæ, quem in portum nemini aditus vetabatur; etiam quattuordecim nauigia ipſi Balthica conciliauit, armis remisque egregie munita, quarum copiæ iurauerunt ipſi adfuturas, traiiciendo in Angliam, & poſt quindecim integris diebus. Hoc ſubſidium pro re nata & tempore illo erat admodum commendabile.

CAPVT

CAPVT VII.

Quomodo Rex Edoardus Angliam repetierit; vbi prælio commisso profligauit Comitem VVarvvicium, & post Principem VValliæ.

EDoardus Rex versus Angliam soluebat anno Millesimo Quadringentesimo, Septuagesimo primo, eo tẽpore ipso quo Carolus Ambianum in Regem Galliarum proficiscebatur. Carolo quidẽ videbatur Anglię negotiũ non posse cum suarũ rerum damno expediri, quacunq; alea eius caderet, quippe cui vtrinq; secus partium essent amici. Rex autem Edoardus cum primum terram teneret recta Londinum profectus est, erant enim ei supra duo hominum in Asylis eius Vrbis millia, fidi cum primis, interque hos quadringenti Equites peditesque bellicosi, quæ res ipsi magno commodo accidit, non nimis multo milite instructo. VVarvvicius vt primum harum rerum nuntium accepit, Northii tum commorans cum ingenti exercitu, festinauit Londinum & ipse, prior ingredi sperans, neque tamen metuebat vrbem non à suis partibus futuram. Quod secus accidit; Edoardus enim Sancto die Lunæ intro receptus est cum insigni gaudio totius vrbanæ multitudinis, licet plurimi alia omnia existimauerant, pauci n. non pro plane perditis res eius habebant, quod si portas veniens clausas offendisset, citra dubium funditus de ipso actum fuisset, VVarvicii enim copiæ nõ vltra vnius diei iter aberant. Vt mihi recensitũ memini, trium potissimũ caussarum ergo ciuitas ad eius partes reuersa est. Earũ primam dedit Regina puerpera, & quos in Asylis homines superfuisse memorauimus. Altera fuit maximũ æs alienum ꝙ per omnẽ vrbem contraxerat, quo citra eius restitutionẽ non soluẽdo, obnoxios sibi mercatores habebat. Terriã fecerunt ditiorũ & honoratiorum ciuium fœminę quib. plerisq; familiarius

adsueuerat, qui maritos pro se quæque parentesque in fauorem ipsius incitabant. Duos non amplius dies Londini commoratus, vigilia Resurrectionis Diuinæ cum eo quem colligere potuerat milite recta in Comitem profectus est. Eum perendie ipso Sacrosancti Paschatis die cum primo iubare obuiam habuit; cumque iam in eo essent aduersæ vt congrederentur acies, frater Edoardi, Clarentiæ Dux cum duodecim amplius millibus hominum à VVarvvicio se auertit, & fraterno iunxit exercitui; Ea res attonitum maxime habuit VVarvvicium, Edoardoque insigni fuit solatio, qui citra hanc accessionem exiguum quid copiarum erat, Memoratum est paullo ante quo pacto in suas Clarentium Rex partes traduxerit, neque hoc obstitit tamen quin conflictu asperrimo cruentoque acies aduersæ colliderentur. Omnes erant vtraque ex parte pedites. Prima Regis acies plurimum detrimenti accepit, inuectæque alæ Comitis sunt in ipsas vsque Regias, eo successu, vt ipsimet Edoardo sua manu pugnandum fuerit; cuius virtuti vix alium totis agminibus militem æquiperasses. VVarvvicius eatenus non adsueuerat pedestri certamini, sed cum eousque adfuisset suis vt in aciem eos redactos videret, equum adscendere solebat, & si fortunam fauere suis cerneret, & ipse rem aggredi, sin secus, primus vel cum primis de securitate sibi prospicere. Hoc autem conflictu à fratre Montisacuti Marchione, fortissimo promtissimoque milite, coactus est pedes pugnare, equis ablegatis. Demum ita res constitit, vt cum eodem fratre suo trucidatus sit Comes ipse cum magno fortium virorum numero, ingensque omnino clades edita mortalium. Deliberatum enim erat Edoardo cum rediret de Flandria, non vsitatum amplius consueta in victoria proclamatione, seruari debere populum, Proceres solos interimendos, vti fecerat ante sæpius. Odium enim ingens

in vulgus Anglicanum conceperat, propter ſubitum fauorem quo VVarvvicium exceperant, aliiſque inſuper de cauſſis; quapropter fugatis tum nemo vſpiam pepercit, pugnaque hæc acriter depugnata eſt. Die quo prælium hoc commiſſum eſt ad Ambianum erat Carolus, recepitque litteras à coniuge indicantes Regem Edoardum non optime de ipſo ſentire, quod auxilia maligne prorſus præbita cumque animo forent auerſo, paullumque abfuiſſe quin penitus deſeruiſſet affinem. Et veritate ipſa amicitia inter eos poſt numquam magna fuit, neque qualis prius. Carolus tamen ita res ſuas poſcere videns rumorem felicis conflictus, quam potuit late diſperſit. Pene oblitus eam memorare cum hac pugna Regis Henrici fortunam, quem Londini offenderat Edoardus. Is Henricus homo erat bene ſtupidus, exſenſo prorſus ſimilis, quod ſi non mendacio res ad nos allata eſt, poſt prælium Dux Cloceſtrius, frater Edoardi, poſt Richardus Rex, vel ſua eum manu occidit, vel præſens occidi ſecreto quodam in loco curauit. Princeps VValliæ, de quo ante etiam dictum eſt, cum hoc bellum debellaretur, iam in Angliam deuenerat, cui aderant Duces Sombreſſetus & Leceſtrius cum eiuſdem familiæ pluribus, antiquarum partium, exercitu ſupra quadraginta hominum millia æſtimato, vti ab iis referri audiui qui adfuerant. Quod ſi VVarvvicius hæc auxilia præſtolari voluiſſet, vix vlla apparet ratio quin vniuerſas Edoardi copias & ſpes profligaturi fuiſſent: verum timor quem à Sombreſetio, cuius patrem fratremque peremerat, habebat, cum eo quo Reginam Margaretam, matrem eiuſdem Principis metuebat, adegerunt eum ſolis ſuis viribus confligere, ſociis præuentis. Hic conſiderandum exiſtimo quanto tempore durent inueteratæ illæ partium controuerſiæ, quam illæ ſint formidandæ, quamque grandia inde damna prodire ſoleant. Con-

festim à potita victoria Rex Edoardus in VVallienſem mouit; hic quoque ingenti ſæuoque conflictu dimicatum eſt, VVallienſis enim copias Regiis maiores habebat; Rex tamen & hunc profligauit, pariterque Princeps acie interemtus eſt cum vulgi militaris magno numero & Proceribus non paucis. Captus eſt Sombreſſetus, & poſtridie ſecuri percuſſus. Vndecim diebus Angliam VVarvvicius vniuerſam occupauit, ſuæque poteſtati ſubdidit. Rex Edoardus eamdem recuperauit vigeſimo primo, confectis interim duobus prægrandibus aſperrimisque præliis. Sic audiuimus quales Angliæ rerum fuerint conuerſiones. Edoardus poſt plurimos populi vbique locorum interemit, præcipue ſi qui conuentus contra ipſum egiſſe noſcebantur: toto terrarum orbe non puto ad bella ſua mobiliorem Anglicana gentem eſſe. Ab his conflictibus reliquam vitam pacatam egit ad mortem vſque, in Anglia quidem, hic Princeps, non ſine grandi tamen animi perturbatione, moleſtisque cogitationum diſcidiis. Hic vero nos huius prouinciæ fortunas eouſque recenſere deſinemus, donec commodior cœptam locus telam detexere ſuaſerit.

CAPVT VIII.

Vt bellum redorſum ſit inter Regem Ludouicum & Carolum Burgundum, quidque petitum ſit à Ducibus Viennenſi & Britanniæ.

VLtimo rerum ciſmarinarum noſtrarum loco memorauimus vt ab Ambiano Carolus deceſſerit, pariterq; de Regis retrogreſſu, qui Turonos ſe cõtulit, Dux Viennenſis in ſuam prouinciam: Et hic quidem numquã ceſſabat ſollicitare nuptias filiæ penes Carolum, vt dictum eſt. Burgundus ad omnia non nolle potius præ ſe

ferebat,

ferebat, quam vt aliquando consentiret. Sic procorum quemlibet ductare solebat; & tum quidem eum etiam male habebat quod cogere voluissent, qui modo peterent. Medius huius matrimonii esse studebar Comes SanPaullinus, Conestablius, nec minus ex altera parte Britanniæ Dux. Rex, vt rei successum impediret nihil non faciebat, verum hic labori parcere poterat duabus præcipue de caussis, quas ante recensuimus: neque Carolo tanti generi adsciscendi animus erat, quærebat enim nundinari semper & ostentandis non præstandis filiæ nuptiis rem gerere suam. Sic incassum Rex laborabat, cui alterius consilium nosse non erat, nec tamen sine caussa timens successum, Frater enim eius immensum excreuisset hac conditione, iuncto enim huic Duci Britanniæ Regis liberorumque eius status non vulgari fuisset periculo. Horum autem negotiationum gratia plurimæ hinc inde legationes commeabant, tam publice quam occultim Non est res admodum tuta tot legationum citra & vltra missio; sæpius enim subnascuntur his minime bona negotia, Necessarium tamen est talium ministerio vti. Quærere ex me poterant malorum, quæ dicam, qui hæc legent, quæ videantur adhibenda mihi remedia, remque esse cautu impossibilem. Noui plurimos superesse, qui consultius loqui de hoc genere possint quam queam ego; quod tamen potero, non tacebo. Hos, qui veris ab amicis, & quorum fauor caret suspitione, mittuntur, his consulam officia exhibenda omnia, Principisque ipsius colloquio eos sæpius adhibendos, secundum quidem conditionem captumque Principis: ita dico, si is sapiat, sitque ciuilitatis honestatisque egregius: si secus, quam rarissime poterit ostendendum suadeam. Cum is visitabitur, sit vestitu splendido, bene instructus quid loquen-

quendum veniat, neque diu colloquio permittatur, amicitia enim Principum non eſt res diu ſtabilis, ſemperque eiuſdem tenoris. Si Legati priuati aut publici de Principe tali veniunt, in quo odium verſetur tale, quale ego perpetuum animaduerti inter hos omnes de quibus hactenus locutus ſum (quos noui, quibusque conuerſatus ſum mea in ætate) non erit quicquam tutum, vt cenſeo. Sic bene erunt excipiendi tractandique honorifice; &, mittendi qui obuiam venientibus eant, ſplendidis hoſpitiis illocent, curentque vt nemo iis conuerſetur niſi fidiſſimi & prudentiſſimi homines; quo pacto & honeſtati & ſecuritati cõſuletur; notum enim erit hac ratione quis ad eos veniat, excludentur homines leui animo, quique occulte infenſi ſint bono publico, ne nouarum rerum quid inferant; nulla enim familia eſt vbi omnes bene Domino cupiant, ſintque rebus ſuis contenti. Porro ocyus eos & audiri & dimitti conſulam, ſummi enim periculi res eſt diu ſecum habere hoſtes ſuos, dum vero adſunt ſplendide eos habere, omnia pro iis expendere, denique non indonatos dimittere, quæ ipſa honeſtas decorque expoſcunt. Adhæc mihi videtur, ſiquidem bellum iam inceptum eſt, numquam abiiciendam aut ſpernendam tractationem oblationemve vllam eſſe pacificam, cum nemo ſciat qua occaſione harum vſus ſuperuenire poſſit; ſed audire omnes, omnes nuntios tale quid portantes admittere, Secretiſſime autem omnia vigilanter attendere; quis ad legatos ſuper his rebus collocutum veniat, qui ad eos porro mittantur, tam de die quam noctu, ita tamen ne quis ſentiat. Si meæ res agerentur, vicem vnius legationes aduerſariis mitterem duas, licet id moleſte ferrent, vetarentque mitti amplius; Ego vero tum plures etiam mitterem ad omnem opportunitatem & commodum locum. Non enim poterit quiſquam exploratorem alium tam ſecurum tutumque,

tumque, quique omnia animaduertat & inſpiciat, ſubmittere: quod ſi legati erunt duo vel tres, impoſſibile erit tam prudenter omnia præcauere, quin ab vno alterove vtile quid rebus ſuis reſciſcant, loquor de iis qui honeſtatis curam habent, quales ſunt à magnis Principibus talibus negotiis deſtinati. Credibile eſt quemlibet prudentem Principem curare vt habeat vnum alterumve amicum parti aduerſariæ, quem caueat vt poſſit, neque enim tali re facere cuipiam licet quod cupit. Dici poterit, hoc modo animos faſtumque addi inimico. Tua nihil referat. Sic tamen ſæpius de eius rebus noua audies, & ad ſummam, ad quem inde redibit vtilitas, ad eum etiam perueniet honor. Et quamlibet aduerſarii pari ſenſu vſuque eſſe poterunt, non idcirco tamen ego deſinam mittere quos velim, quo fine omnia eorum oblata conſiliaque ſuſtineam, nullis contraibo, ſed occulte omnia intelligam. Vltra hæc non omnes æque ſunt talium habiles, neque toties experti quid ſimuletur, quid agatur, neque vbique tantum habent opus conſilii. ideoque prudentiſſimus quiſque feliciſſimus erit. Rem exemplo manifeſto expediam. Numquam Galli cum Anglis tractauerunt quippiam, quin illorum ſagacitas horum conatus ſuperaret. Vnde & penes Anglos dictum vulgo hoc vſurpatur, quod recenſitum ab ipſiſmet mihi eſt, iis conuerſanti; quod quoties ad prælia conflictusque res venerit, vel ſemper vel raro non victoria fuerit ab eorum parte, cum vero tractando negotia fuerint expediunda, damnum pœnitentiamque ipſos ſecutas. Mihi quidem quod ſemper arbitratus ſum videre etiam contigit in hoc Galliæ noſtræ regno, eſſe viros tam prudentes componendis quibuſcunque negotiis, quam non offenderim in toto cætero mundo, præcipue inter eos qui de alumnatione noſtri fuere Regis. In talibus enim opus eſt hominibus ad omnia aptis, omnia verba factaque

que contemnentibus,vt id obtineant quod Domino ipsorum sedeat:tales quidem ille quærebat, vt memoratum est. Extractus est longius sermo de Legatis iste, vtque ibi vigilantia opus sit, non tamen absque ratione. Vidi enim cognouique tantum malitiæ deceptionumque confieri hoc colore, vt non potuerim vel progredi vel tacere omnia. Matrimonium hoc eousq; tractatum est, de quo modo locuti sumus, inter Viennæ Ducem & Filiam Caroli, vt oretenus quædam promissio secuta fuerit, nec minus aliquid tale in scripto. Tantumdem tamen præstare videram Nicolao etiam Duci Calabriæ & Lotharingiæ, de quo scripsimus antea: Tantumdem etiam datum est Philiberto Sabaudiæ Principi, postremo mortuo: nec minus Maximiliano Duci Austriæ, iam Regi Romanorum, vnico filio Friderici Imperatoris. Hic litteras accepit manu Filiæ scriptas, auctoritate Caroli Patris, & Adamantem in pignus. Omnia hæc promissa intra tres annos data sunt, certusque ego sum, voluntate Caroli nullam expletam fuisse, quamdiu ille vitam habuisset, saltim de consensu ipsius. Dux vero Maximilianus, Romanorum Rex, vt post narrabitur, suæ institit consponsioni. Non commemoro hæc vt memoriam Caroli onerem, neque cæterorum quorum interfuit, sed ne veritas rei obliteretur, vt ego eam gestam scio. Præterea ita iudicare possum, homines brutos atque stolidos non daturos aliquid lectioni harum Commemorationum, sed vere Principes, aliosve Aulicos, qui non pauca bonæ rei, vt spero, monita inibi offendent. Dum tractantur hæc matrimonialia numquam non de nouis Regis molitionibus rumores ferebantur. Cum Duce Burgundiæ erant Vrfeius, Poncetus Reuireius, cum nonnullis aliis humilioris conditionis, qui ibant redibantque ad mandatum

Britanni, qui demonſtrabat Carolo Regem corrumpere Viennenſis familiares, alios vi alios blandiciis ſuarum partium facere: iamque ipſum iuſſiſſe deſtrui caſtrum quoppiam Baronis Eſtiſſacii, quo vtatur amice Viennenſis, aliaque oſtendebat quæ vi aperta Rex egerat, Quibus aliiſque de cauſſis concluderetur facile vt Normanniam in hæreditatem datam ipſi ademerit quondam, ſic & Aquitaniam nunc cupere. Burgundus his de rebus ſæpius Regem interpellabat. Rex reſpondit, fratrem omnium cauſſam præbere, qui fines ſuæ prouinciæ extendere cupiat, illum ſuper his compellandum, cui ipſe nihil vſpiam adimere cogitet. Hic attendendum vt huius Regni motus, vbi excitantur negotiis turbatis, ſint grandes, cum diſcordia miſcet omnia, neque multorum ſit hominum neque ingenio vulgari iis componendis quid efficere. Licet enim principio non fuerint præter duos treſve Principes, vel & minoris conditionis, eorum auctores, priuſquam tamen duo anni euoluti ſunt, omnium circa vicinorum ſtatus iiſdem implicatus eſt. Contingit vero vt cum exordium turbæ capiunt, quilibet ſibi finem earum videatur proſpicere, eumque in breui tempore, verum prudentium timor longe vltra exit, vti rationes manifeſtas harum commemorationum ſeries commonſtrabit. Negotiis, vt modo dictum eſt, procedentibus, Viennenſis cum Britanno Duces non ceſſabant interpellare Carolum, ne in quoquam Anglorum auxilio vti animum induceret, qui hoſtes Regni ſint Gallici, (omnia n. quæ illi moliebantur, erant egregio eius Regni deſtinata,) quod ſi eius arma expedita eſſent, ſatis virium iunctim eſſe ipſis, ſuperare enim magnum vndiq; apud potentes penes Regem clam fauorem. Memini præſente me aliquando in hanc ſententiam cum Carolo locutum Vrfeium, apprecantem

cantem vt omni studio arma pararet, exercitum augeret. Tum seuocato mihi ad fenestram proximã Carolus, Vides, inquit, vt Vrfeius vrgeat quam maximis possim copiis me instruam, sic me consulturum eximie Regno Gallico: Putasne si cum tali exercitu illud intrauero, me aliquid boni ei præstiturum? Respondi subridens, videri secus mihi, Tum ille in hæc ipsa verba. Mihi emolumentum Galliæ amplius cordi est quam credat iste consultor, pro vno enim, quem nunc habet, Rege, optarim illi totos sex esse. Eodem, quo de sermo est, tempore Rex Angliæ Edoardus, qui vera esse consilia de matrimonio dicto, idque Carolo cordi esse arbitrabatur, neque minus simulationibus eius quam Gallus decipiebatur, nihil non agebat vt ea rumperet, caussatus Regi masculum hæredem non esse, quem si oppetere contingeret, Regnum ad Viennensem spectare, quo facto, accedente hoc matrimonio, totam Angliam ingenti futuram periculo, tot principatibus Gallico sceptro accedentibus; eratque ipsi mirifice cordi hoc negotium, licet supersessuro melius omni isti curæ; parique Senatus regni Anglici in sollicitudine erat, neque credebatur quicquam Burgundo alia omnia affirmanti. Carolus, non obstantibus consiliis Principum, ne quem extraneum auxilio adsciscеret, volebat Gallis Anglos aliqua immittere, licet id tecte agere studeret, velut ad ipsum tale quid nihil attineret. Angli vero id nequaquam tum fecissent, quos futuros potius à Galli fuisse partibus existimo, tanto in metu versabantur, ne Burgundica domus Imperio eius iungeretur. Hic animaduertere licet omnes hos principes egregie implicatos, & ex omni parte tantum erat prudentium consiliariorum, tamque longe incisura prospicientium; vt vitam suam nec dimidium spatium imminentium turbarum attacturam arbitrarentur

rentur pro ſe quiſque, neque aliter omnia ſeſe habebant ordine, omnes enim huic curæ immortui ſunt, paruo tempore. Quiſque ob mortem ſodalis ſui magnopere gauiſus eſt, vt ea ſuperuenit, inſtar ſcilicet rei deſideratiſſimæ, abhinc autem breui & horum Domini ſecuti ſunt, ſucceſſoribusque ſuis immanem turbarum molem reliquerunt, ſolo noſtro Rege excepto, qui nunc etiam ſuperſtes eſt, qui Regnum ſuum adiuit tam domeſticis quam extraneis tumultibus prorſus exoneratum; eique melius à Rege Patre ipſius conſultum fuit, quam vel potuiſſet is vel voluiſſet, numquam enim ego eum ſine bello vidi, niſi paruo omnino ante exceſſum tempore. Hoc eodem tempore nonnihil morbi Viennenſem habebat. Erant qui periculo mortis eſſe dicerent, alii leuem prorſus valetudinem memorabant. Eius conſiliarii vrgebant Carolum vt exercitum produceret, opportunitate ita poſcente; ducebant Regem iam copias inſtructas mouere, & partem militis circa Sanctum-Ioannem-Angelium, aut Santoniæ alia oppida verſari. Tantum effectum eſt, vt Atrebatum proficiſceretur Burgundus, ibi copias colligeret, indeque vltra Peronam, Roiam, & Mondiderium contenderet. Erant eæ copiæ ingentes & firmiſſimæ, quales numquam ante tantus princeps habuerat. Mille ducenti Equites Lancearii Ordinarii aderant, quorum ſinguli tribus egregie armatis ſagittariis comitati erant, omnis Equitatus optime inſtructus. Singulis itidem cohortibus decem cataphracti acceſſerant, præter ſuppræfectos eoſque qui inſignia Ducis ferebant; Omnis nobilitas ipſi ſubiecta egregie animata, ſtipendia enim erant rite dinumerata, & res adminiſtrabantur à viris prudentiſſimis, iuris militiæque; eoque potiſſimum tempore prouinciæ Caroli diuitiis florebant.

CAPVT IX.

Vt perpetua pax inter Ducem & Regem hactenus tractata morte Ducis Viennæ rupta fuerit, vtque vterque horum Principum alterum circumuenire laborauerit.

DVm, de quo modo sermo fuit, exercitus instruitur, bis terve ad Carolum venere Craonius & Cancellarius Galliæ, Petrus Doriolus nomine, secretimque pax constans & perpetua, cuius hactenus expeditio non potuerat inueniri, quoniam Carolus non desistebat repetere Ambianum & Sanctoquintinum, neque vllo ea pacto oppida Rex volebat restituere. Conuenerat tamen & de hoc negotio, Rege tantum belli apparatum considerante, & ad destinatum propositi finem ita peruenire sperante. Huius Pacis articuli erant, redderet Rex Duci dicta oppida, cum omnibus cæteris de quibus inerat controuersia, desereretque Comitem Niuernium, & San-Paulinum, Conestablium Galliæ, cum omnibus ipsorum regionibus, vt pro suis eas Carolus occuparet & teneret, vti posset. Hic vicissim Viennensi Britannoque Ducibus, omnibusque eorum possessionibus tuendis abscederet, vt pro lubitu suo cum his à Rege ageretur. Hanc pacem iurauit Carolus me præsente, pariterque nomine Regis Cranius & Doriolus. Qui cum à Carolo discederent id ei consilium dedere, ne dimitteret exercitum, sed augeret potius, vt eo promtius duo dicta oppida à Rege restituerentur, abduxeruntque secum Simonem Quintium, iurantieadem Regi adfuturum, vtque reportaret confirmationem à Legatis Actorum. Rex eam confirmationem aliquot dies protulit, quibus superuenit mors Ducis Viennæ. Hos inter conuentus, Duci iam parato Atrebato discedere, duo noui nuncii adfuere. Prior, Nicolaum Calabriæ & Lotharingiæ Ducem, hære-

dem

dem domus Andegauensis, filium Calabriæ Principis, Iohannis, petitum nuptias filiæ eius adesse, quem egregio apparatu excepit, bonamque spem obtinendæ petitionis dedit. Alter, fuere litteræ Simonis Quintii, quem Legatum ad Ludouicum iisse diximus, quintodecimo die Maii anni M. CCCC. LXXII. si satis memini, scriptæ, perendie ab aduentu Nicolai allatæ, quibus indicabatur Viennensem obiisse, & iam ditionis eius magnam partem à Rege teneri. Extemplo eiusdem rei & à diuersis aliis locis allatus est rumor, sermonesque ea de morte varii ferebantur. Paullo post adfuit Simon ipsemet Quintius, remissus à Rege cum verbis bene tenuibus, prorsus iuramentum recusante. Ea res pro irriso Carolum vehementer momordit, summaque iracundia & in regem indignatione commouit; Pariter ministri Consiliariique eius turpia supra fidem de Rege dicebant, neque ipsi Regii dissimulabant rei indignitatem. Carolus extreme hac morte commotus, instigantibus nonnullis, eam pariter dolentibus, litteras in detrimentum Regis ad plures Aquitaniæ ciuitates dedit; quibus tamen parum profecit, nullis secutis in ea prouincia motibus. Credibile est nisi fato hic casus interuenisset, malo loco res Regis fuisse futuras. Britanni enim iam in procinctu erant, quibus per Regis ditionem plurimi occulte conspirabant, neque vmquam æque, quæ omnia consilia vnus iste obitus profligauit. Ita concitus exercitum produxit Burgundus, mouitque versus Nelam Veromanduorum, bellum ordiens crudele atque horrendum, quali numquam antea assueuerat, scilicet igne quaqua proficisceretur omnia deuastans. Prima copiarum acies obsidione dictum Nelam oppidum cinxit, minime id firmum, sed cohortibus aliquot sagittariorum munitum. Tribus

inde milliaribus ipſe caſtra poſuit. Obſeſſi fecialem Ducis, qui bellum indicebat, obtruncarunt. Præfectus præſidii ad componendum cum ſecuritate conceſſa prodiens, nihil egit. Erant eius rei gratia indutiæ datæ, oppidanis in muros nemine lædente, venientibus; & ſic tamen duos alios occiderunt. Quapropter induciis renunciatum eſt, & loci Dominæ, quæ tum ibi erat, mandatum eſt cum familia bonisque ſuis excederet. Eo facto extemplo vi oppidum captum eſt & maior pars præſidiariorum interemta: qui viui capti, ſuſpendio necati ſunt, paucis demtis quos miſerti milites clam dimiſerunt. Non paucis truncatæ manus. Ægre inducor vt crudelia hæc facinora recenſeam, aderam tamen, & veritatem tacere totam, non licet. Statuendum eſt indulſiſſe affectui talia patrantem Carolum, vel inſigni cauſſa fuiſſe commotum. Is commemorabat duas. Circa eum mira de obitu Viennenſis memorabantur; deinde ægerrime habebat perdidiſſe Sanquintinum & Ambianum, vt ſupra diximus. Si qui poſterorum hos noſtros Commentarios ſunt lecturi, iis videbor vel ego male de his duobus principibus loqui, vel penes vtrumque parum fidei fuiſſe. Mihi de vtroque male ſermocinandi cauſſæ abſunt, Reique obligatus ſum in fidem, vti notum eſt; verum ad exſequendam rem mihi amici petitione incumbentem, non poſſum quin ex parte commemorem res ipſas, vti geſtæ ſunt. Quod ſi cum aliis talibus hos Principes conferre volueris, inuenies vtrumque prænobilem & eximium, Regem etiam ſagaciſſimum, qui Regnum ſuum multimodis auctum, ſecurumque, pace cum omnibus inimicis parta, reliquerit. Sed videamus vter horum decipere alterum ſtuduerit, vt ſi hiſtoria hæc quandoque adoleſcenti

alicui

alicui principi legenda obuenerit, cui simile aliquod expediendum negotium obueniat, inde exeat instructior ad cauendas pares circumuentiones, harum cognita deductione. Etenim quamlibet Principes animi non sint semper similes, (iisdem licet rebus tractandis occupati,) vsui tamen est erudiri præteritarum rerum successibus. In meam sententiam, certum habeo hoc negotio vtrumque & Gallum & Burgundum eo fuisse animo vt aduersarium deciperet, conatusque amborum ad eumdem finem contendisse, vt nunc percipietur. Vterque exercitum in procinctu, iamque ipso in campo, habebat. Rex iam plura oppida occupauerat, dumque pax hæc transigeretur, fratrem mirifice vrgebat. Iam ei accesserant Coutonius, Patius, Foucartius, cum aliis, deserto Duce Viennensi. Copiæ eius prope Rochellam erant, negotiabaturque occulte intra eam ciuitatem multis ipsi fauentibus, tum propter ægritudinem Ducis, tum quod rumor successus vndique eius ingerebat: Existimoque Regem ipsum, si fortuna illic prospera vsus fuisset, etiam citra fratris mortem, nequaquam fuisse iuraturum; quod si secius res cecidissent, aduersariosque habuisset valentiores, fuisse præstiturum iusiurandum, vt præsenti se periculo explicaret. Sic extrahebat tempus, & summo studio omnia alia agebat, dictumque est vt protulerit Simone Quintio superueniente, ad octiduum tempus, quo accidit fratrem excedere. Cæterum optime nouerat tam cupere Carolum restitutionem dictorum oppidorum, vt nequaquam ipsum auderet offendere; ita clam præuectis viginti aliquibus diebus visurum se pulcre quid facto esset vsu. Hæc Regis mihi sententia fuisse videtur ad decipiendum Carolum, nunc dicendum quæ huius fuerit ad illum, quidque illi fuisset facturus nisi fato hæc mors interue-

nisset. Simoni Quintio erat mandatum, poscente pariter Rege, ire in Britanniam, postquam Regi iuranti adfuisset, litterasque confirmantes acta legatorum accepisset, & Duci illi Pacis Transactionem indicare, itidemque legatis Viennensis, ibi commorantibus, vt Dominum idem, tum Burdigalæ degentem edocerent. Id postulabat Rex vt Britannis maior metus incuteretur, videntibus ita se ab eo desertos, in quem principalis fuerat spes ipsorum. Cum Simone Quintio erat ex magistris Stabuli Burgundiæ Ducis quidam, Henricus nomine, Parisiis oriundus, homo mire astutus & sapiens, ei datæ erant litteræ manu Caroli exaratæ ad Simonem ipsum, cum mandato ne ei eas traderet antequam à Rege discessisset, & iam apud Ducem Britanniæ, Nannetibus degentem, esset, tum quod in mandatis haberet vna cum litteris edicendum Quintio, id erat certum faceret Britannum, ne crederet à Carolo desertum iri Viennensem, neque ipsum, sed eum bonis omnibus suoque vtrique corpore affuturum; quod autem fecisset, fuisse euitandi belli gratia, vtque reciperet duo sua, Ambianum Quintinumque, oppida, quæ Rex ipsi Pacis cõtra fidem suam tempore ademisset. Adhæc Britanno affirmaret Legatos idoneos missurum paullo post ad Regem, quamprimum, quæ vellet, teneret, facili omnino ratione, petitum vt omitteret bello vtrumque Ducum impetere, neq; staturum præstito iureiurando, exemplo Regis, qui pari fide neque id seruasset quod ad Lutetiam iurauerat, quodque Peronæ, longo ante confirmationem tempore extraxerat. Regi memoriam suggerere duo illa oppida mala fide intercepisse pacis iuratæ tempore, quapropter ne ægre ferret suis se artibus, vt legitimus ea Dominus reciperet, esse elusum. Quod vero Comites Niuernium & SanPaulinum attineret, quos Rex deseruisset, quàlibet iustis de caussis extremo eos odio haberet,

beret, iniurias tamen iis omnes condonaturum, possessionibusque ipsorum nullatenus nociturum; precari autem Rex in Britannum & Viennensem idem faceret, quorum amicitiam ipse eiurasset, vtque cum bona eius voluntate quisque pacifice secureque posset æuum degere, non aliter atque Conflantiæ pridem iuratum fuerit, vbi omnes, quorum interfuerit, conuenissent. Quod si assentiri his postulatis Rex nollet, confœderatis suis omni ope ipsum adfuturum; iamque ad verba hæc exercitum paratum habiturum. Hæc omnia secus euenere, homine proponente rerum agendarum consilia, ipsas disponente Deo. Mors enim omnium dissolutrix mutatrixque conclusionum alia inuexit omnia, vt dictum est, diciturque iam. Neque enim Rex dicta oppida restituit, & Aquitaniam, obitu fratris, bono iure occupauit.

CAPVT X.

Vt Burgundiæ Dux, viso non posse obtineri Bellouaco, quam obsederat, ad Rhotomagum castra posuerit.

VTi ad bellica, vnde discessimus, negotia redeamus, postquam secundum narrata tractati sunt præsidiarii Nelæ, ad Roiam castra protulit Carolus: in eo oppido sagittarii erant Mille Quingenti, Regisque Beneficiarii pauci erant cataphracti. Numquam eousque temporis tam egregium exercitum habuerat Burgundus. Postridie postquã is ciuitatem accessit, animus deficere cœpit præsidiarios, veneruntque transilito muro fidei se eius dedentes. Altero die reliqui vrbẽ tradiderunt, equis armisq; relictis, Cataphractis solos gladios asportãtibus. Dux præsidio loco imposito, Mondiderii munitiones destruere voluit, verum cognito amore quo in illũ erant castri incolæ, eas reparauit potius, suisque inibi mili-

tibus collocatis discessit. Hinc animus erat in Normanniam copias ducere, sed cum transiret prope Bellouacum, Cordæo mandauit, primæ aciei Duci, id vt oppidum tentaret. Primo incubitu suburbium ad Episcopales vsque ædes facile occupatum est, à Burgundo quodam auarissimo homine, Iacobo Monmartino, centum equitum trecentorumque sagittariorum, ex Ordinariis Caroli, præfecto. Cordæus ex alia parte aggressus est, sed scalis quam res poscebat breuioribus; nihil egit. Duo huic erant tormenta, quibus bis in aduersam portam exoneratis, ingens rima facta est, quod si pluria, ad continuandos ictus habuisset, procul dubio tenuisset oppidum: Sed talem ad pugnam minime venerat instructus, male rebus consideratis. In oppido præter ciues incolasque initio nemo erat, excepto Loiseto Ballignio qui de Beneficiariis Regiis nonnullos habebat, Præfectus ipse Ciuitati. Hoc vero non sufficiebat defendendo loco, sed Deus nolebat alia ratione tum Bellouacum Regi decedere, cuius rei manifesta signa prodita sunt. Qui enim cum Cordæo erant per portæ foramen manum cum hoste manui conserebant, ipseque repertis nuntiis postulabat à Carolo, vt adesset quamprimum, certo ciuitatem occupaturus. Is dum differt aduentum aliquis oppidanorum consilium cepit accensas faces in ora perrupturorum portam immittere: Tantum hic egit vt igne valvas complexo necesse habuerint retrocedere oppugnatores, donec vis flammæ exstingueretur. Tum superueniens Carolus iam pro obtenta habebat ciuitatem, modo ignis foret exstinctus. Quod si qua altrinsecus Lutetiam iter est, animus ipsi fuisset partem copiarum dimittere, non potuisset velut capta iam præda manibus elabi, nemo enim intrare potuisset. Sed Dei facto actum est vt metum haberet vbi opus non esset;
minuti

minuti enim riui gratia, qui tramittendus eſt, id conſilium omiſſum eſt. Poſtquam autem præſidium non paruum vrbem intrauiſſet, volebat idem, quod erat totum exercitum præſenti periculo exponere, & vix ſummo labore inde poterat deflecti. Interea, quæ dixi, flamma totum diem eximebat, cuius veſpere ingreſſi ſunt decem (vt mihi narratum eſt, tum penes Carolum adhuc degenti) ſolum Equites lancearii, Ordinarii Regis, ſed eorum aduentum nemo animaduertit, omnibus hoſpitiis capiendis ex hac oppidi parte occupatis, nemine vero ex altera collocato. Cum prima ſequentis diei aurora tormenta Ducis appropinquare munimentis cæperunt, & paullo poſt vidimus cohortem ducentorum minimum Cataphractorum intrantem, qui ſi non adfuiſſent, credo ciuitatem compoſita deditione nobis ſe fuiſſe tradituram. Sed Carolus animo iracundia accenſo, de cuius cauſſis ſupra diſſeruimus, vi capere eam volebat, procul dubio igni totam vaſtaturus, ſi id ſucceſſiſſet; quod ingens certe damnum fuiſſet, exiſtimoque diuinitus quodam velut miraculo fuiſſe conſeruatam. Poſt ingreſſos dictos Equites tormenta Ducis continue pulſabant munimenta, dies præterpropter quindecim, tamque egregie quaſſata hunc in modum hæc eſt vrbs, quam potuit vlla vmquam, vt iam aſſultui omnino parata videretur, Tamen foſſæ aqua plenæ erant, & ponte ad traiiciendas opus ex altera iam ruptæ portæ, ex altera ad muros accedi plane poterat citra damnum, præter quod dabat quædam munitio, quæ ob humilitatem nulli tormentorum ictui patebat. Summum habet periculum, & inſignis eſt ſtoliditas vrbem aggredi tot defenſoribus munitam: ſuper quos in hac erant etiam tum Coneſtabilis, vt puto, vel non longe tamen illinc, Mareſchalli Ioachimus, Loheacus, Cruſſolius, Gulielmus Valleuius,

Emericus Croius, Sallezardius, Therenotus Vignolius, omnes rerum bellicarum gnarissimi, Centum ad minimum Lancearii ex Ordinariis, magnusque peditum numerus, aliique manu consilioque promti homines, cum suis sibi Præfectis & Ducibus: Nihilominus decretum est Carolus assultum dare, idque fere soli, nemo enim eiusdem erat opinionis, & vespere ei destinatum diem præcedente, cum in campestri lecto de more totus vestitus decumbere vellet, quæsiuit ex nonnullis, quid videretur, an obsessi tale quid metuerent. Responsum est quod maxime, cum ingens multitudo in oppido esset, bene præterea ad defensionem animata. Irriso hoc, mane, inquit, neminem super munitiones hominem videbitis. Cum primo die oppugnatio perquam animose facta est, sed magis etiam excepta. Milites plurimi dictum pontem transgressi sunt, vbi pressu vulgi extinctus est Despirius, affectæ ætatis Eques Burgundus, quo illustrior eo in discrimine nemo periit. Ex altera parte fuere qui vsque ipsum murum ascenderent, verum nemo eorum rediit. Manu ad manum diu præliatum est, & oppugnatio fuit diuturna. Cohortes erant aliæ in subsidium priorum collocatæ, quas viso rei successu improspero, reuocari Dux iussit. Oppidani non eruperunt, cum viderent vndique paratas ingentes copias qui impetum eorum retunderent. Hac oppugnatione centum viginti ex nostris desiderati sunt, licet alii plures numerent, interque hos Despirius: ad mille vulnerati. Sequenti nocte obsessi eruptionem fecerunt, sed pauci erant numero, equitesque plerique qui impediebantur tentis tabernaculorum funibus, ne quicquam operæpretii facerent, itaque tribus quatuorve de Nobilitate amissis, sese receperunt. Ab his eximiæ virtutis vir Iacobus Orsonius vulneratus est, cui tormentorum à Duce Præfectura

fectura commendata erat, isque paucis post diebus ex eo vulnere decessit. Octauo post oppugnationem hanc die Dux volebat diuiso exercitu partem portæ Lutetiam ducenti opponere; verum nemo eam in rem ipsi voluit assentiri, cum tantum militum ciuitati inesset. Initio hoc fieri debuerat, tum enim elapsum erat tempus opportunum. Cum ergo perspiceret nihil se agere, seruatis pulcre ordinibus obsidione decessit. Exspectabatur plerisque eruptio obsessorum, eaque Carolus confidebat ipsis insigne aliquod damnum illaturum, sed intra municiones se continuere. Hinc Normanniam versus ductæ sunt copiæ, quia promiserat Britanno, vsque Rhotomagum procedere, qui & se eodem venturum receperat, sed Viennensi mortuo, mutauit consilium, neque prouincia sua excessit. Burgundus cum Euium & San Valerium deditione cepisset, flamma omnia vndique ad portas vsque Dieppæ grassatus est. Capto Castellonouo, & incenso, totam Causii regionem depopulatus, Rhotomagum accessit, quam ipse vrbem cum primis aduectus est. Pabulatores frequentes intercipiebantur, itaque per exercitum fames bacchari cæpit. Inde recepit sese, ob instantem de proximo hiemem. Cum primum tergum obuertisset, Regiis Euium & San Valerium restituta sunt, captis qui secundum pacta conuenta septem octove iis oppidis inremanserant.

CAPVT XI.

Vt Rex pacem cum Britanno, Inducias fecerit cum Carolo, vtque Comes San Paulinus astute vtriusque in ipsum Principis structis insidiis euaserit.

Circa

CIrca id tempus relicto Carolo in Commeatum Regis veni, Anno Christiano Millesimo Quadringentesimo Septuegesimosecundo, qui maximam partem fratris sui Aulicorum ad se receperat, eratque ad Pontem Seæ; ex quo loco contra Britannum bellum administrabat. Eo ad eum Legati eius Principis venere, indidemque ab ipso sunt eodem remissi. Inter cæteros eodem venit Philippus Essarsius, Ducis cliens, & Gulielmus Souplenuillius, ex ministris Lescutii. Is Lescutius recesserat in Britanniam, propinquam videns Viennensis mortem, profectusque Burdegalam fuerat mari, metuens manus Regis incidere. Itaque tempori discessit, secum ducens Stabuli vnum ex Magistris, & Sacerdotem intimum Ducis mortui, quibus à nonnullis imputabatur obitus Principis, quique post multos annos in Britannia carceribus detenti sunt. Parum temporis itus reditusque à Britanno & ad eum durauerant, cum placitum est Regi Pacem habere velle ex ea parte, tantumque offundere Lescutio bonorum vt mamaleuolentiam eius in se expugnaret, cum neque virtus neque ingenium in Britannia superesset, nisi quantum vtriusque eius consiliis procederet. Certe tantæ potentiæ princeps à tali homine moderatus habebat unde timeretur: quod si de eo transactum foret, nouerat Britannos vltro pacem ambituros: Generatim hoc verum est omnium principatuum status nihil aliud quærere, Huic vero Regno numquam desunt homines honore digni, in eoque semper habiti, quales ad vsque hæc tempora componendis rebus laudabilem operam nauauerunt. Ego præterea hoc Regis consilium inter sapientissima habeo, licet vituperetur à non nemine, qui rem certe nequaquam tam alte, vti tantus princeps, considerabant. Magni faciebat Lescutium, tuto ipsi maximi ponderis quæque negotia committi posse affirmans, hominemque

nemque omni honore dignum cenſebat vel ob id quod pendentibus his controuerſiis numquam voluerat Anglorum rebus fauere, neque conſentire vt oppida quædam Normanniæ iis traderentur, quæ cauſſa fuit totius ipſi ſuæ proſperitatis, à quo etiam cardo negotii pependerat. His de cauſſis Souplenuillio Rex dixit, vt ſcripto traderet omnia Leſcutii poſtulata, tam ex parte Ducis quam ſua, quo facto, omnibus Rex eſt aſſenſus. Hæc fuere, vt Duci annua præſtarentur millia Francorum octoginta, ipſi Leſcutio ſena, Aquitaniæ præfectura, Seneſchallatus Vannenſis & Bordeloenſis, Gubernatio vnius ex caſtris Burdigalæ, Præfectura item Blayenſis, duoque caſtella Bayonnæ, Daſenſe & Sanſeuerinium, ad hæc centum & viginti Coronatorum millia, ſtatim dinumeranda, Ordo equeſtris Regius, & Comitatus Commingii. Omnibus aſſenſum effectumque Rex dedit, excepto argento annuo Duci præſtando, quod ad dimidium redactum, duobus ſolis annis ſolutum eſt. Adiecit Rex ipſi Souplenuillio munus, ſex millia Coronatorum, quod, vt & Leſcutio Ducique promiſſum, argento intra quartum annum expenſum eſt. Idem Souplenuillius mille & ducentos Francos annuos obtinuit, Præturamque Bayonnæ, Balliuatum Montargenſem, aliaque minuſcula in Aquitania officia. Omnia hæc & ipſi & Domino ipſius ad mortem vſque Regis præſtita ſunt. Balliuatum Meauſenſem dedit Rex Philippo Eſſarſio, Præfecturam item Aquarum Siluarumque per Galliæ Regnum, pariterque annuos duodecies centum Francos, & quatuor muneri millia Coronatorum. Abhinc ad mortem vſque Regis noſtri, vt dixi, & honoribus & reditibus his macti fuere; Leſcutiuſque, poſt Commingii Comes, fideliſſime officio ſuo functus eſt. Poſt placatum Britanniæ Ducem, Rex in

Picar-

Picardiam extemplo profectus est. Mos erat vtriusque & Caroli & Ludouici, hyemem cum propinquam viderent, inducias semestres aut ad annum, vlteriusve, pacisci. Sic tum quoque pro consuetudine vnas fecere; harum ergo missus est Cancellarius Burgundiæ cum aliis de nobilitate. Ibi compertum est Carolo pacem perpetuam Regem & Britannum coiisse, cuius in assensu renuntiauerat Britannus expressim confœderationi Anglicanæ & Burgundicæ, idcircoque voluit ne eum principem inter socios sui nominaret Burgundi Legati: in id cum nollent consentire ii, caussati esse quidem è voluntate Britanni vel Regis vel ipsorum partibus accedere, tempore consueto elapso, non tamen eum ab amicitia Caroli recedere putandum, quam nec antea vmquam deseruisset, licet & scripto confœderationi remisisset nuntium. Hi habebant Britannum pro principe non suis sed alienis sensib vtente, qui tamen ad id quod fieri debebat, ex interuallo agnoscendum veniret. Hæc acta sunt anno Gratiæ. M. CCCC. LXXIII. Dum hæc tractarentur, ex vtrisque partibus occulti sermones contra Conestablium ibant; in quem Rex immane odium conceperat, cum omnibus Regi familiarioribus. Plus eidem mali volebat Burgundus, meliori etiam de caussa, (mihi enim de vtriusque partis rationibus optime constat,) cui nequaquam scilicet excidisset eius machinationibus amisisse Sanquintinum cum Ambiano. Idem videbat non alium totius huius inter ipsum & Regem belli auctorem esse. Tempore enim induciarum Carolum exquisitissimis verbis ducebat, cum bellari cœptum esset, inimicum habebat capitalem, adhæc tantum Principem Comes cogere voluerat ad elocandam filiam, vt memoratum est supra. Suberat animo & alius morsus Dum ad Ambianum castrametatus erat Carolus,

lus, in Hannoniam Coneſtabilis hoſtiliter incurrerat, præter cætera euerſo caſtro Seurenſi, cuius Dominus erat Eques quidam, Balduinus Launæus nomine. Ad hæc vſque tempora moris bellici non fuerat neque hinc neque ex altera parte, flammis hoſtilia prædia aggrediundi. Coneſtabilis hoc exemplum Carolus ſecutus eſt poſt in iis quæ ſupra memorata ſunt. Sic cœptum eſt conſultare de euertendo Coneſtabili. Ex parte Regis verba quædam eo pertinentia audita ſunt ab iis, quos notum erat eſſe familiares inimicis eiuſdem, degentibus apud Carolum, neque minus Coneſtablium oderant ipſo principe. Nemo non eum omnis tumultus auctorem dicebat, incipiebantque aperiri omnia dicta & conſilia, ab ipſo profecta, tam ex hac quam illa parte, & euerſio eius omnibus placebat & promouebatur. Percontari poterat hîc aliquis: numquid tale quid efficere non poterat Rex ſolus? Ego cenſeo non potuiſſe. Poſſeſſiones Coneſtabilis mediæ erant prorſus inter Regem & Ducem: Tenebat Sanquintinum Veromanduorum, inſigniter grandem munitamque ciuitatem. Poſſidebat Hanium & Bohamum, aliaque prope inexpugnabilia caſtra propria, omnia prope iuxtaque Sanquintinum ſita. His immittere cum vellet poterat militem, & de qua regione vſus poſceret. Rex ipſi alebat quadringentos Cataphractos, ſtipendiis bene præſtitis animoſiſſimos, quorum arbiter ipſe & Præfectus erat, itaque hinc ingens argentum contrahere poterat, numeris militum non completis. Præterea reditus ordinarius ipſi erant Officii ſui ergo quadraginta quinque millium Francorum; ſingulæque vini cupæ, vectura territorium eius tranſeunte, in Flandriam & Hannoniam, coronatum vectigalem præſtabant. Vltra hæc vniuerſa Dominus erat multorum per Galliam prædiorum, clientelasque habebat ibi-

dem

dem magnas,occulte conſpirantibus ipſi plurimis etiam in prouinciis Burgundi,quarum pleriſque magna factio inerat eius cognatorum. Totum iſtum annum, in quem induciæ factæ fuerant, hæc negotiatio durabat, Regiis præcipue rem referentibus ad Burgundi familiarium vnum, Hymbercortium vocabulo, de quo ſupra ſæpius mentio facta eſt, cui de plurimis retro annis exoſiſſimus erat Coneſtabilis, recensque cauſſa antiqui recentandi odii acceſſerat. In concilio enim quopiam Royæ habito, vbi nomine Regis erant Coneſtablius aliique, Hymbercortius & Cancellarius Burgundiæ vice Ducis, cum de propoſitis rebus colloquia haberentur, Coneſtabilis mendacii turpiſſime arguerat Hymbercortium: is tum nihil reſpondit aliud, niſi; iniuriam ſe iſtam pro tempore & loco non ipſi ſed Regi imputare, in cuius fidem iſtuc acceſſiſſet, vt Legatus, relaturumque ad Dominum ſuum,cuius ibidem perſonam ſuſtineret. Hæc ſola iniurioſa contumelia facilis quidem edictu,bonorũ omnium,ipſiusque vitæ amiſſione Coneſtabili conſtitit poſt, vt ſucceſſu operis audietis. Itaque qui grandi auctoritate ſunt, ipſique Principes,ſummo ſtudio à talibus ſibi contumeliis dicundis cauere debent; & diligenter attendere quo quis maior eſt,eo tales ferre impatientius, vt & à quam maiore illatas. Videtur enim impetitis eo intolerabiliores eſſe iniurias quo grandior ſit inferentis auctoritas: ſique is Dominus eſt eorum, iam exhinc deſperabunt quicquam ab illo ad ipſos boni peruenturum, cum ſpes futurarum proſperitatum plures ſeruire faciat fideliter, quam poſſeſſio iam adeptarum. Vt ad propoſitum meum regrediar, quotidie propius hæc Hymbercortio & Cancellario Burgundiæ inſimulabantur, quorum iſte audierat partem contumeliæ Royenſis, & alteri erat amiciſſimus, vt res eo promoueretur,

ueretur, vt Bouuinium, prope Namurcum, conuentus ſuper ea indiceretur: Aderant nomine Regis Courtonius, gubernator Lemouicenſis, Ioanneſq; Hebergius, poſt Epiſcopus Eurenſis: Burgundi, Cancellarius modo dictus, Hymbercortiusque: Acta hæc anno ſunt M. CCCC. ſeptuageſimo quarto. Coneſtablius cum ſentiret de ſuo comitia capite agi, nihil reliqui fecit legationibus nunciiſque vtrumque principem obtundere. Vtrique indicabat ſcire ſe quæ tractarentur omnia; tantumque ea vice egit, vt indueret Rex ſuſpitionem, Ducem id laborare vt deciperet ipſum, & Coneſtablium fidelitate abſtraheret regia. Itaque cautione ſumma ad legatos ſuos idem miſit Bouuinium imperatum, ne quid contra Coneſtablium concluderent, ob cauſſas quas poſt eſſent audituri, ſed vt inducias, vti in mandatis haberent, protollerent, in ſemeſtre aut annuum ſpatium, cuius rei memoria non ſubit. Cum appuliſſet nuncius iam omnia concluſa offendit, dataſque & receptas vtrinque præcedente veſpere obſignatas conuentionum tabulas. Harum ſeries erat Coneſtablium his illiſque (quæ memorabantur) de cauſis declaratum reum læſæ maieſtatis, perduellemque vtriuſque Principis. inſuper iurare & promittere inuicem vtrumque, vter eorum primus comprehendere eum valeret, intra octauum diem interemturum, aut ſocio pactorum miſſurum, vt ex lubitu ſuo cum eo ageret: Vtque ad publicum tubæ ſonitum hoſtis Principum proclamaretur, cum omnibus qui conſilio miniſterioque ipſi adeſſent. Vltra promittebat Rex redditurum Duci San-Quintinum, ceſſurumque omnes opes Conneſtablii mobiles, quæ in Regno Galliæ offenderentur, omniaque prædia & Caſtella Duci fidelitatem debentia, interque ea Hanium & Bahamum, munitiſſima præſidia; & ad dictum diem ad Hanium copias ſuas coniuncturos, vt ibi eumdem

obsiderent. Nihilominus, dictis de causis, conclusio hæc rupta tum fuit, diesq; & locus destinati quo venire deberet Conestablius secure tutoq; cum Rege collocuturus; timebat enim corpori suo, vt qui nosset omnia Bouuinii aduersum se deliberata. Locus tribus milliaribus Nouioduno distabat, super riuum quemdam minutum, qua Feriam itur, ex parte Conestablii intercisus est pôticulus; superq; colliculum proximũ locus tignis iunctis clausus vbi conueniretur. Conestablius eo prior venit omni sua militia stipatus, vel paucis certe demtis, erant enim ex parte eius supra trecentos Cataphracti ex nobilitate; ipse sub discincta tunica ferreum thoracem induerat. Regiorum erant supra sexcentos pariter Cataphracti, interq; hos Dammartinus, magnus Galliæ Aulæ-Præfectus, capitalis Conestablio hostis. Regis iussu ego præmissus sum, excusatũ Conestablio tardum eius aduentum. Rex statim superuenit, collocutique sunt, quaque ex parte sex ad summum præsentibus. Conestablius petebat ignosci sibi quod venisset armatus, addens id facere coactum metu Comitis Dammartini. Ad summam condictum est abolitam censeri debere omnium præteritorum memoriam, neque inde verba vmquam facienda, reconciliatique Dammartinus & Conestablius, hoc pedibus in partes, vbi Rex erat, transeunte. Hinc comitatus est Regem Nouiodunum, vnde postridie Sanquintinum reuersus, integre Regis gratia, vt dicebat, recuperata. Rex vbi audiisset & attendisset vulgi sermonem, visa ipsi est insignis stultitia, ita cum subdito suo in colloquium venisse, idque in locum quem tignis sibi præclusum offendisset, ipso illo armato, stipatoque milite à Rege stipendium habente, eique subiecto: Hinc quod odium antehac non paruum fuerat in alterum tantum excreuit, neque Constablio securum cor erat, aut læta ominabatur ex rebus præsentibus.

CAP.

CAPVT XI.

Digreßio apprime loco congrua ſuper ſapientia Regis, & Coneſtablii, cum monitis oppido iis vtilibus, qui apud ſuos Principes peculiari ſunt aliqua auctoritate.

Qui factum hoc Regis penitius introſpicere potuiſſet, vidiſſet vtiq; ex ſingulari Sapientia totum procedere. Carolum enim crediderim citra recuſationem ſuſcepturum fuiſſe in fidem Coneſtablium, ſi Sanquintinum hoc modo recuperare potuiſſet, quaſcunq; contra promiſſiones feciſſet. Ipſe autem Coneſtablius, pro tantæ prudentiæ viro, prorſus male rebus ſuis indidem præfuit, quem reor hoc in opere Dei ſingulari fato excæcatis fuiſſe ſenſibus, vt ita compoſitus tali apparatu ſe ſiſteret conſpectui Regis & Domini ſui, cuius erat omnis, qua ſtipabatur, militia, Certe ex vultu ipſius facile erat perſpicere prætrepido perculſoque animo omnia agere, cum iam præſens Rex adeſſet, neque præter ſepimentum tenue vtrumque intereſſet, non potuit morari, vel paullum, quin recludi id iuberet, & tranſiret in partem Regis. Eo die in magno damno & periculo fuit. Mihi ratio ducebatur ipſum cum nonnullis familiaritatis intimæ magni feciſſe hos actus, ſuamq; ad laudem cenſuiſſe pertinere timorem, quem putabant, Principis, quẽ pro homine habebant timido; qualis ſane quandoque erat, ſed non ſine grauiſſima interueniente cauſſa. Expediuerat ſe immanibus bellis, quibus impetitus erat à Proceribus Regni ſui, prolixitate donorum, & immenſitate pollicitationum, tumque agnoſcebat multis in locis erraſſe. Pluribus videbatur talia illum timoris puſillanimitatiſque cauſſa facere, quo genere multi egregie decepti ſunt, vt imaginationibus friuolis rapti auderent ſtolide multa in ipſum moliri, quibus male res cecidit, debili fundamento innixis; Vt Comes

fuit Arminiacensis cum aliis nonnullis. Nouerat enim Rex momenta qua timendum audendumque esset, vt qui optime, veramque ei hanc laudem assignare possum, quod si iam ante dixi, nulla ratio vetat hic iterare etiam, nullum me aduersis hominem sapientiorem vllibi vidisse. Vt ad Conestablium reuertamur, cupiebat is forte ab Rege metui, certe mihi id cupiisse videtur, non enim velim ipsi iniuriam facere, neque orationis meæ alius finis est quam monere Principibus familiares, nondum satis expertos rerum vitam mortalem versantium; itaque si amicus mihi esset amicissimus, hoc illi consilium præhiberem, studeat amari à Domino suo. Neque enim vmquam visus est mihi ad culmen auctoritatis quis ratione venisse, quod perpetuo sui in Timore Principem attineret, sed omnibus hos conatus ipsius assensu Domini perniciem tulisse. Satis exemplorum ætas nostra, cum præcedente, præbuerunt, hoc ipso in Regno, vt Tremolii aliorumque. In Anglia Comes Warwicius cum omni sua secta: nominari possint & de Hispania, & aliunde, pari fato functi, verum potest vt hæc lecturi talium me ipso sint prudentiores. Sæpe accidit vt hæc audacia subnascatur ex diuturnitate bene præstiti officii, visis talibus meritis apud animum hominum deceptorum suis, vt necesse sit multimodis eorum tolerari confidentiam, neque contra sint remedia. Principes vero hoc ex aduerso persuasum habent, nil supra debitum facere, qui officio suo ipsis inseruiendo bene fungatur, hocque præ se vbique ferunt, neque aliud capiunt quam molestos à se quoscunque homines amoliri. Iterum duobus in locis hic exemplum Regis nostri inducere volo; is aliquando mihi dixit, cum sermo esset super iis qui optime qua in re seruierint, citando auctorem suum, à quo id ipse hausisset; nimium bene seruiisse aliquando perdit hominem, ipsaque insigniter

ter grandia merita, insigni sæpe ingratitudine compensari: verum id accidere posse culpa tam ipsorum optime-merentium (qui arrogantia incócinna bona sua fortuna abutuntur tam aduersus Dominos suos, quã & sodales) quam Principum non recte facta æstimantium. Vltra id mihi affirmauit, sua opinione, in Aula fortuna prospera vti eum, cui Princeps grande aliquod beneficium fecerit, contra meritum non adeo ingens, vt ei obligatus Dominus ipse videri possit: quod sane erit, vbi tantum erit officium vt non possit non agnoscere Princeps, eius summam vtilitatem; qui natura sua potius amat quos sibi videt, quam quibus ipse se sentiat obligatum. Sic in vita humana per omnes status atque ordines non sine labore & difficultate tempus ducitur, & memorabile omnino donum est Dei, ingenio dextro dotari & perspicaci quempiam. Colloquium hoc cum Conestablio Regis incidit annum Christianum M. CCCC. LXXIV.





PHIL. COMINAEI COMMEMORATIONUM RERUM GESTARUM DICTARUMQUE LUDOVICI XI. & Caroli VIII. Regum Franciæ,

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Quemadmodum Dux Burgundiæ, occupata Geldria, cupiit vlterius in Germaniam moliri, vtque obſidio ne cinxerit Nouesium.

SI ſatis memini temporum, eodem huius colloquii iſto Carolus profectus erat ſubiugatum Geldriam, cauſſa litis cuiuſdam, quæ meretur ſane recenſeri, vt opera potentiaque Dei indidem etiam videantur clarius. Geldriæ ducatus pertinebat ad adoleſcentem Principem, nomine Adolphum. Huic nupta erat puella de domo Borbonia, ſoror Ducis modo florentis. Eam duxerat in aula Burgundica, ibique idcirco ipſi fauebatur. Hinc princeps exſecrabile facinus commiſerat. Patrem ſuum nactus veſperi quodam, cum commodum cubitum itaret ſeperat vi, perque milliaria Germanica quinque peditem, hiemali tempore aſpero, excalceum, in carcerem raptauit; carcer ipſe in imo turris

urris erat prælatæ obſcurum ſpecus, & per tenuem rimam vix malignæ lucis capax. Ibi eum ſex integros menſes tenuit, vnde atrox bellum inter Ducem Cliuenſem, qui capti ſororem matrimonio tenebat, & Adolphum exortum eſt. Carolus ſæpius ſtuduerat rem componere, ſed in vanum. Pontifex ad vltimum & Imperator ſeſe interpoſuere, ſtricteque Burgundo mandatum eſt carcere Arnoldum educere. Hoc factum eſt, non auſo negare Adolpho, cum videret tantum præpotentium piorumque hominum idem velle, metuebatque is cumprimis Caroli violentiam. Vidi ambos in cubiculo Caroli, pro cauſſa ſua verba facientes, patremque ad duellum poſcere filium, pignore obiecto. Burgundo magnopere cordi erat eos pacificare, fauebatque iuueni, obtulitque ipſi titulum Gubernatoris Burgundiæ; Sic tota vt etiam maneret in poteſtate Geldria cum vniuerſis reditibus, excepto oppido quodam paruo, Grauia nomine, id cum ſex millibus florenorum, dimidio ea ex ciuitate, altero è filii reditibus præſtando, pater caperet.

Ea annua ſumma omnia filio ceſſiſſent, addito etiam titulo, vt res ipſa poſcebat. Cum aliis nonnullis ſapientioribus mihi mandatū eſt iuueni Principi hanc cōcluſionem indicare. Is reſpōdit, malle ſe proieciſſe patrē præcipitem per caput in barathrum, ſeq; mox ipſum eodem, quam tali compoſitioni adſentiri. Eſſe iam quadraginta quatuor annos quod ducis dignitatem fructumq; Pater teneret, tempus eſſe vt ipſe iam eos caperet. Ita vero ſeſe ipſi annuos ter mille florenos lubenti animo præſtiturum, vt excederet Ducatu, nec vmquam poſt eum intraret, cum aliis abominabilibus dictis. Hoc accidit iis diebus quibus Ambianum Rex ademit Burgundo, qui tum cum his diſceptatoribus duobus Dorlani erat; Perculſus captæ vrbis nūtio, relictis alienis

negotiis Hedinum inde se contulit. Tum habitu Gallico clam sumto Iuuenis Princeps vno solum famulo in Geldriam redire studuit: Prope Namurcum autem, portum quemdam transiens, cum pro portitorio florenum soluisset, à Sacerdote quodam obseruatus est; qui rem vt erat suspicatus Portitori indicauit quippiam, attentiusque vultum pecuniam numerantis contuens, prorsus eum agnouit. Captus itaque & Namurcum deductus est, vbi captiuus mansit vsque ad obitum Burgundi, tum à Gandensibus liberatus est, cupientibus vi eũ filiæ Caroli maritum dare, quæ Duci post Austriæ nupsit. Ita duxerunt eum Tornacum, vbi misere occisus, & funere elatus est indeplorato, velut Deo non satiato vna ad vindicandam iniuriam patri illatam, pœna. Pater eius ante Burgundum decesserat, filio adhuc Namurci captiuo: Obiens is Carolo successionem Geldriæ reliquit, ob filii ingratitudinem. Eo iure hoc, in quo iam versatur sermo, tempore Geldriam in potestatem redegit Carolus. Restitutum nonnihil est, sed non pro tanta potentia, cum induciæ essent Duci cum Rege nostro. Eam prouinciam ad mortem vsque obtinuit, & nunc etiam possidet hæres ipsius, possidebitque quamdiu placebit Deo. Hæc, vt initio dixi, non alia de caussa recensere volui, quam vt ostenderem talis immanitatis facinora numquam impunita transire. Dux Burgundiæ in suas prouincias redierat, animo prorsus arroganti ob huius Principatus accessionem, delectabaturque Germanicis istis spoliis, Imperatore præcipue non admodum magnanimo, & omnia ferre parato, modo parcere argento posset, cui præterea, sine subsidio principum, non erant magnæ ad præclarum aliquid conficiendum, vires. Hac propter cum Rege inducias proferebat Carolus; Regis familiaribus videbatur imprudenter ipsum facturum si huic prolationi assentiretur,
cum

cum grandia per eam bona Burgundo accederent. Beniuole hæc illi quidam optimoque animo dicebant, verum defectu experientiæ, quodque parum perspexissent vsum talium machinarum, decipiebantur. Erât contra alii, melius rem & videntes & cognoscentes, quoniam adfuerant negotiis paris momenti consulebât Regi promte arriperet eas inducias, sineretque Carolum pulsare dormientes Germanos (quorum potentia & amplitudo fidem pene ipsam excederet,) eius enim id ingenium esse, vt si vnum præsidium expugnaret, aut optatum in finem vnam disceptationem deduceret, illico arrepturus sit aliam, nec posse quiescere quia ex turbis turbas prosereret insatiabili bellorum desiderio, quibus in rebus prorsus alia Regis esset mens, aliud studium; neque posse securius de eo vindictam capi, quam tumultuantem non impedire, potiusque ipsi aliquantulum præbere auxilii, neque vllam dare suspicionem interpolandarum induciarum: Incurrens robur & magnanimitatem Germanorum impossibile esse vt sese ipsum non aboleat, aut omnibus partibus infringat. Imperii quippe principes, licet Imperatore parum bellicoso, suis rebus strenue adfuturos; Quæ ita vltimo accidere, prorsus abolito tanto Principe. Controuersia tum inciderat super Archiepiscopatu Coloniensi inter germanum Landgrauii Hassiæ & Comitis Palatini quêdam agnatum. Partem Palatini tuendam suscepit Carolus, eum vi Archiepiscopatui imponere voluit, præmium sperans aliquot inde oppidorum, itaque Nouesium non longe à Colonia obsidione cinxit. Animus eius tot sibi negotia exequenda & tanti ponderis præsumebat, vt tamdem sub onere consederit. Volebat eodem tempore mare transmittere Edoardum Regem Angliæ, qui vrgente ipso & flagitante ingentem exercitum conscripserat, & sic Germanicam istam expedi-

tionem perficere. Ea capto Nouesio erat id egregie munire cum aliis quas supra Coloniam posset indipisci, ciuitates, quo pacto Coloniam ipsam sui arbitrii futuram; Tum proficiscendum aduerso Rheno in Comitatum vsque Phirtensem, qui ei tum parebat etiam, in itinere ita omnia subiugari posse, vt totus amnis in Hollandiam vsque suæ ditioni pareret, quo spacio tantum esset munitissimarum ciuitatum atque arcium, quantum vix in vllo Christiani orbis regno, Galliæ excepto. Induciæ cum Rege prolatæ fuerant in sex menses, iique ipsi iam pene interlapsi. Rex omni studio protendi easdem cupiebat, vt cum Germanis quæ vellet ordiretur, Dux vero assentiri abnuebat propter pacta cum Anglis inita. Prætermisissem res istas ad Nouesium gestas, cum non sint ex serie instituti mei, neque enim ego adfui, sed coactus sum eas attingere propter inde dependentia negotia. Intra Nouesium, munitissimum oppidum, erat Landgrauius Hassiæ cum plurimis agnatis & amicis, ad octingentos Equites eximios, vt mihi narratum est, & pugnacissimos, quod sane facto ipso docuerunt, quãtumq; satis videbatur peditum. Landgrauius, vt dictum, frater erat Episcopi Electi, contra cum quẽ fouebat Burgundus. Sicq; Nouesium vallo cinctum est, anno Christiano Millesimo, Quadringentesimo, Septuagesimo quarto. Carolo exercitus erat ornatissimus, qualem nũquam ante duxerat, præcipue Equitatu excellenti. Cum nec in Italia quid desperaret moliri Cataphractos inde ad mille, qua bonos qua malos, accersiuerat, horum præfecturam habebat Comes quidam Campobacchius Regni Neapolitani incola, de partibus Andegauensis familiæ, homo perfidiosissimus, & turbulentissimus. Aderant ipsi & Galeotus, ex Neapolitana itidem nobilitate, præstantissimus virtute vir, aliiq;, quorum nomina silere suadet breuitas. pariter ad tria milla bellicosissimorum

ex Anglis habebat, ſubditorũ autem ſuorum ingentem numerum, omnes optime inſtructos & armatos, omnes bellandi exercitatos, cum magna vi optimorum tormẽtorum. Omnia hæc parata habuerat vt coniungeret Anglorum copiis, cum traiicerent, quæ in eo Regno ſummo ſtudio colligebãtur. Ibi tamẽ talia negotia lente procedũt; Rege per ſe nequeunte tale aliquid conficere, ſine Senatus Regni auctoritate: Eius apud Anglos ferme is honos qui Trium ſtatuum in Gallia, eſtque Curia ſanctorum iuſtorumq; hominum, nihil moribus his contrariũ admittẽs, robur ipſum Regii ſceptri, & illi fideliſſimum, modo temere non moliantur quippiam. Cum Senatus congregatus eſt, propoſitum ſuum declarat Rex, opemq; ſubditorum ſuorum expoſcit. Vix vero apud Anglos exercitus conſcribitur, niſi traiiciendo mari in Galliam, aut contra Scotos, ſimileſque aduerſarios. Regis autem poſtulatis lubentiſſime & liberaliſſime annuitur, præcipue cum in Galliam tramittendum eſt. Eſt vero & ad colligendam pecuniam hoc Regum inuentum, vt ſimulent profectionem in Scotos, vel Gallos, colligere interea militem, quem intra tertium fere menſem dimittant, in annum integrum ſtipendio à ſubditis collato. Edoardus quidem huius doli pereruditus erat, & ſæpius eo vſus. Priuſquam hic exercitus Anglicus conficeretur, annus effluxerat, idque indicatum eſt Burgundo, qui initio ætatis Noueſium appulerat, ratus intra paucos dies clientem ſuum dignitati promiſſæ illocari poſſe, cuius rei pretium Noueſium, aliaque oppida nonnulla in ipſius eſſent poteſtate manſura, vt ita vlteriora deſideria perſequeretur. Arbitror ſingulari fato hæc Dei eueniſſe, qui miſeratus ſit noſtri Regni, Animo enim verſabat Carolus id atrociter vexare, tanto exercitu inſtructus, quique iam adſuetus erat caſtris in hoſtico poſitis Gallorũ opes populari, ne-

mine

mine ſuperueniente qui prælio decertare vellet, aut pari potentia caſtra opponeret, ſatagentibus cunctis vt ſibi creditam quiſque ciuitatem defenderet. Hoc quidẽ conſilio Regis fiebat, qui diſcrimini ſuas res ſemel committere non erat animatus, neque hoc ſolo metu Caroli, verum & reſpectu ſubditorum ſuorummet, qui aduerſo pugnæ caſu in res nouas procliues cenſebantur: nec enim fidebat omnibus, præcipue Proceribus. Quod ſi omnia edicendi detur audacia affirmare poſſum ipſum mihi ſæpe narraſſe, optime ſe noſſe animos ſubiectorũ ſuorum, quos demum, ſi contingeret inſigni aliqua clade affici, experturus eſſet; ideoque, cum Burgundus cũ copiis adeſſet, nil agebat præter egregie munire à fronte ipſius ciuitates, quo fiebat vt paruo tempore exercitus Ducis ſe ipſum conſumeret, periculi omnis ſecuro Rege, ſumma ſua ſapientia ſic res moderante.

Attamen cum tali exercitu veniente Carolo, qualem indicauimus, ſi tempori ei coniunctæ fuiſſent Anglorũ copiæ, quod factum fuiſſet vtique, niſi turpi errore Nouesium Dux obſediſſet, dubitandum non eſt hoc Regnum ſummas fuiſſe difficultates ſubiturum: Numquam enim tantis copiis Rex quiſquam Anglorum in Galliam tranſmiſerat vna vice, neque ita ad confligendum paratis. Omnes Regni Proceres aderant, ne vno quidem excepto: Eſſe poterant ad mille quingentos Cataphractos, numero, ſecundum eius gentis rationem, prægrandi, omnes eximie inſtructi & comitati, dehinc quatuordecim millia ſagittariorum, cum arcubus & ſagittis, omnes equites, ingenſque copia peditum, cuſtodiendis caſtris, neque inter tot milites ullus habebatur lixa. Adhæc mittenda ex pacto Anglo erant tria millia in Britanniam, vt copiis Ducis eius ibi iungerentur; vidique duas manu Vrfeii ſcriptas Epiſtolas (qui Stabuli Franciæ Magnus magiſter, tum erat

inter

inter ministros Caroli,) alteram ad Regem Angliæ, alteram ad Hastingium, Magnum Angliæ Cubiculariũ, quæ inter cætera affirmabant Britannum per clam conspirantes ipsi plus intra mensem in Gallia effecturum, quam copias Angli & Burgundi ipsis sex, quocunque etiam isti robore instructi venirent. Neque dubito de veritate si res productæ fuissent vlterius: Sed Deus, cui cordi semper fuit huius Regni salus, aliorsum cardinem successuum mouit, vt iam dicturi sumus. Hæ Epistolæ, de quibus iam sermo fuit, pretio sunt redemtæ à Secretario quodam Anglo ab Rege nostro, felicis memoriæ. Pretium fuit sexaginta quas vocant argenti marcas.

CAPVT II.

Quomodo Nouesio succursum sit à Germanis, eorumque Imperatore, contra Burgundum. Deque aliis quos huic hostes occulte Rex excitauit.

BVrgundus, vt diximus, iam tum bene occupatus erat in oppugnando Nouesio, offendebatque omnia exspectatione sua difficiliora. Colonienses, quorum ciuitas quarto lapide superior Nouesio ad Rhenum amnem sita est, singulis mensibus centum millia Florenorum aureorum pendebant, metu Burgundici exercitus, iidemque iunctis quæ ad flumen supra sunt vrbibus parata iam castris habebant positis quindecim peditum millia, ripæque Rheni incumbebant, tormentis etiam luculenter instructi, ex aduerso Burgundi. Hinc conabantur quæ exercitui ipsius necessaria ex Geldria nauibus contra fluuium subuehebantur, intercipere, aut tormentis nauigia euertere. Imperator Principesque Electores Imperii harum rerum ergo conueniebant, deli-

deliberatumque eſt inſtruere exercitum, & militem vndique cogere. Rex Galliæ iam miſſis pluribus legatis in idem eos fuerat exhortatus. Remiſſus ad eum eſt Canonicus quidam Colonienſis domo Bauarus, cum alio ſocio legationis; hi Regi indicem oſtenderunt copiarum quas conſcribere Imperator vellet, ſi de ſua parte communem hoſtem aggredi Rex promitteret. Non defuit iis commoda reſponſio, & promiſſa ſunt quæ petierunt omnia, præter hæc ſignatis Rex litteris ſpopōdit tam Imperatori quam cæteris Principibus, cum primum ille Coloniæ futurus ſit, & caſtra poſuerit, miſſurum viginti militum millia, ducibus Cranio & Salezardio. Sic cæpta eſt conſcribi copia Germani militis, ingentem breui numerum factura & pene ſupra ipſam fidem. Omnes enim Imperii eius principes, tam ſeculares, quos vocant, quam Eccleſiaſtici, Epiſcopi puta, eodem miſere à ſe coactos, omneſque pariter Reſpublicæ. Auditu mihi perceptum eſt Antiſtitem Monaſterienſem, qui inter potentiores tamen non cenſetur, ſena peditum millia & mille quadringentos equites cum duodecies centum carris ſubmiſiſſe, eoſq; omnes vno colore viridi veſtitos. Conſtat ipſius prouinciam Noueſio propinquam eſſe. Imperator ſeptimum menſem his rebus deſtinauerat. Eo elapſo caſtra dimidio milliari à Burgundo collocauit, & quod ex pluribus Ducis miniſtris percepi, Angli Carolique, iunctæ ſi fuiſſent, copiæ, non vltra tertiam harum partem attigiſſent, ſiue tentoria & impedimenta, ſiue & militum numerum æſtimares. Inſuper ingentia damna exercitui Caroli dabant caſtra ciuitatum, quos, medio amne, ipſi oppoſita fuiſſe memorauimus, tum vulgus militum impetendo, tum excludendo & corrumpendo victu. Illico vbi Imperatoris Principumque miles ad Noueſium venit ad Regem miſerunt Doctorem quendam, inſigni apud ipſos auctoritate, Heſeuarium nomi-

nomine, qui post in Cardinalem euasit. Is venit sollicitatum vti promissa exhiberet Rex missis condictis viginti militum millibus, aliter, Germanos cum Burgundo esse transacturos. Rex optima spe hominem expletum, donatumque quatuor millibus Coronatorum remisit, adiuncto ex suis Iohanne Tercelino, Barone Brossensi. Nec tamen animo satis composito Doctor ille reuersus est, & mirabiles omnino nundinationes durante hac obsidione hinc illinc tractabantur. Rex satagebat pacem facere cum Burgundo, vel, quibus posset conditionibus extrahere inducias, modo ne Angli transmitterent in Galliam. Rex ex aduerso Anglorum summa ope nitebatur Nouesio Carolum amoliri, vt adesset secundũ promissa operã suam debellãdæ Galliæ collaturus, caussatus opportunitatẽ iam incipere subterlabi, & tempus anni commodum perdi, legatusque in eam rem bis missus est Scalesius, nepos Conestablii, insigni virtute nobiliq; animo Eques, cum pluribus aliis. Carolus contra animo erat obstinato, cui Deus certe mentem intelligentiamq; turbauerat. Omnem enim vitam suam laborauerat vt Galliæ Angliam immitteret, iam vero paratis omnibus & commode dispositis à partibus suis tam in Britannia quam alibi, obstinata mente pertendebat in rem effectu impossibilem. Cum Imperatore erat Legatus Pontificis, qui singulis diebus ad pacificandum per aduersos exercitus redibat, pariterque Rex Daniæ, hospitatus in oppidulo quodam, propinquo vtrisque castris. Sic Burgundus honorifice potuisset transigere, vt retrorsum ad Anglum se contulisset. Non poterat hoc facere, & Anglis sese excusabat existimationis suæ nomine, quam lædi dicebat si ab obsessa incassum ciuitate secederet, cum friuolis nonnullis aliis sententiæ suæ argumentis. Non enim hi erant illi Angli qui regnauerant tempore patris ipsius, in bellis Franciæ illatis, verum omnes recentes nouique, & Regni nostri condi-

tionum inexperti. Quapropter ſtolide ad modum Dux rem gerebat, ſiquidem ſequenti tempore auxiliis etiam eorum eſſet vſurus; ſcilicet manu velut iam aut lentis gradibus ab ipſo ducendi fuerant in rem præſentem. Dum perſtat obſtinationem hanc Carolus, duobus tribuſque aliis locis ipſi bella alia ſuccreuerunt. Primum mouebat Dux Lotharingiæ, hactenus amicus, qui indixit ipſi hoſtilia omnia miſſo miniſtro quodam Cranii, qui Regis nomine ei negotio adeſſe volens, ſpem ab eodem maximorum inde emolumentorum habebat. Hi mora omni relicta incurſarunt Ducatum Luxemburgenſem, ingenti vndique damno dato, euerteruntque oppidum quoddam Petramfortem nomine, duobus ſolis Nanceio milliaribus diſpretum, ditionis dictæ prouinciæ. Secundo à Rege & nonnullis eius miniſtris confectum eſt fædus in decennium inter Heluetios & ciuitates ad Rhenum ſuperiores, vt ſunt Baſilea, Argentoratum, & aliæ, qui antea capitaliter diſſederant. Adhæc pax facta eſt inter Sigiſmundum Auſtrium & eoſdem Heluetios, eo fine, vt Sigiſmundus recuperaret Comitatum Phirtenſem (quem Burgundo oppignorauerat pro Centum Rhenenſium Florenorum millibus) & hæc paci conditio acceſſit. Hæſit tamen inter hos controuerſia quædam, quia Heluetii liberum tranſitum per quatuor ciuitates Phirtenſis territorii poſcebant, armati inermeſue, vti ipſis commodum obueniret. Hic articulus arbitrio Regis remiſſus eſt, qui ſententiam ſecundum Heluetiorum poſtulata dixit. His enarratis intelligere quiuis poterit quantum vndique diſcriminum in Carolum à Rege fuerit concitatum, ſed artibus prorſus clandeſtinis. Omnia vt deliberata fuerant, etiam illico effecta ſunt. Prima enim opportunitate noctu captus eſt Petrus Archambotius, Gubernator Phirtenſis nomine Burgundi, cum octingentis quos

ſecum

secum habebat militibus. Vulgus militare omne libertati redditum est, ipse Basileam traductus, ordinario iudicio quæstionibus super nonnulla in eum producta crimina habitis, ad vltimum capite truncatus est. Sic totum Phirtense territorium Sigismundo restitutũ est, & Heluetii bello Burgundiam infestare cœperunt, capto Blasmondio Mareschallo eius Regionis, ex familia Nouocastellana; obsederunt mox castrum Hericurtium, eidem familiæ subditum, quo conuenerunt Burgundi opitulatum suis, sed disiecti cæsique sunt non pauci. Heluetii ingentia damna cum dedissent, pro tempore ad suas regiones sunt reuersi.

CAPVT III.

Vt Rex Froncoium castrum occupauerit, Mondiderium, Royam, Corbiam, Burgundo ciuitates ademerit, volueritque inducere Fridericum Imperatorem ad auferenda quæ idem Dux ab Imperio Fidelitatis iuratæ nomine bona possideret.

INdutiæ inter Regem & Carolum non prorogabantur, quam rem Rex magnopere ægre ferebat, studebat enim enixe eas extrahi. Viso tamen incassum eo laborari, obsidione cinxit paruum quoddam castrum, Froncoium nomine, iã cepto anno M.CCCC.LXXV. primo vere, tempore commodissimo. Castellum nulla mora expugnatum est. Postridie Rex me misit Montiderium, vt præsidium de deditione alloquerer, id excessit, supellectile asportata locum nobis relinquens. Deinde Royam profectus sum pariter sollicitaturus deditionem: mecum erant Nothus Burbonius, tum Admiralius. Ea quoque ciuitas se Regi commisit, cum nullius auxilii spem haberent. Si Carolus adfuisset, non

dubito secus acturos fuisse. Rex fidem dederat, ea tamen spreta hæc duo oppida exusta sunt. Hinc exercitus noster Corbiam cinxit, quæ obsidionem tolerauit. Ter præliatum est à nostris ad supraque munimenta, tormentisque tertium diem quassata sunt. Inerant Contæus & alii, qui oppido tandem dedito cum supellectile pariter sua excesserunt. Duobus post diebus hæc quoque vrbs miserãdum in modum direpta est, flammisq; euersa. Hinc retro copias ducere consilium erat Regi, arbitratus hoc modo inducias Carolo extorturum, qui sane angustis tum rebus erat. Res secus accidit Fœminæ cuiusdam interuentu, quam, optime notam, quoniam superest nunc quoq;, nominare non lubet; ea scriptis litteris suasit Regi Attrebato agmen vicinisque regionibus aduerteret; huic credidit Rex, erat enim dignitate illustri mulier. Non laudo ego hoc facinus, nemo enim adigebat eam ad tantam crudelitatem; Rex vero eo mittebat Admiralium cum bona parte copiarum, quæ magnum ciuitatum pagorumque numerum euertere, ab Abbeuilla vsque ad muros Atrebati. Atrebates, qui diu alta pace floruerant, indeque inflati arrogantia nihil humile spirabant, coegere militem præsidiarium erumpere. Copiæ non erant eæ quæ Regios sustinere possent, itaque nullo negotio sunt retropulsi, pars occisi, pars capti, inter quos omnes militum duces & præfecti. Capti sunt & Iacobus San Paullinus, Conestablii frater, Carencius, Contæus, & alii, quorum quidam sanguine iuncti ei erant, de qua modo diximus, mulieri. Ipsa etiam ingens passa est rerũ suarum dispendium, sed Rex secuto tempore fauore illius omnia redhibuit. Miserat tum Rex Iohannem Tiercelinum Brossæum Baronem, ad Imperatorem, acturum ne cum Burgundo pacificaretur, excusaturumque ipsum de auxiliaribus copiis non præstitis, affirmans eas paratas iam esse, modo Imperator non cessaret infesta-

re hostem, se in Picardia Burgundiæque finibus maxima eidem iam damna dedisse. Obtulit etiam pactum, ne inscio altero alter ipsorum cum eodem Duce pacisci vellet, Imperatoremque optime facturum si quas possessiones ab Imperio idem fidelitatis nomine teneret, iuberet in fiscum redigi, auferretque ipsi vi: Regem pariter ea bona ablaturum, quæ à Regio nomine Gallorum eadem fide Carolus haberet, vt sint Flandria, Artesia, Burgundia, aliæque plures prouinciæ. Imperator quamlibet maximæ virtutis homo numquam fuisset, nō carebat tamen prudentia singulari; & annorum, quos transegerat multos, copia plurimum ipsi experientiæ contulerat, neque paruo tempore tractationes hoc genus nobiscum durauerant, itaque & belli eum tædere incipiebat, licet nullis in id sumtibus suis vteretur, Principes enim Germani suis omnia gerebant impendiis, vt soliti sunt, cum Imperii res agitur. Imperator itaq; respōdit Legatis Regiis iuxta ciuitatem quandam Germaniæ Vrsum quondam degisse, qui circa omnia infesta faciēs, ingentia damna dederit. Ciuitatis eius incolarum tres, de tabernis in tabernas commeare soliti, ad hospitum vnum accessere, cui antea debitores erant, prandium adhuc vnum illis ut crederet flagitantes, intra tertium diem soluturos omnia: Capturos enim esse eam bestiam quæ tam infamis esset infestatione regionis, cuius pellem magno vendituros, vt tacerent quæ munera vndique ad ipsos liberata patria essent peruentura. Hospes quod petebatur concessit, cumque prandium sumtum esset, prodiere coniurati, vbi dicebatur bellua versari. Cum cubile eius indagassent, propiorem quam vellent hostem habuere. Sic timore perculsi fugam iniuere: Primus arborem adscendit, alter ciuitatem versus properauit, tertium deprenderat Vrsus, prouoluebatque in humum, rostro auribus studiose admoto.

Miſerrimus latro facie ad terram verſa fingebat mortuum; Huius enim feræ id ingenium eſt, vt, ſi quid ceperit in prædam, homo ſit aut animans aliud, cum immobile iacere videat, pro mortuo relinquat, vim in cadauer velut dedignata. Sic vt hunc tamdem miſſum fecit, nullo malo illato, ſeque ſpelæo ſuo reddidit. Cum amotum hoſtem videret qui modo finxerat mortuum, non paruis paſſibus vrbem repetere inſtitit, Sodalis, qui ſupra arborem erat, viſo rei ordine, deſcendit inclamatque fugientem, & ſiſtit, quo facto tuta fide ſibi narraret poſtulauit, quid conſilii ipſi bellua in aurem ganniiſſet, non paruo in id tempore inſumto: Illum reſpondiſſe ferunt; Suaſit mihi ne vmquam de pretio pellis iactarem priuſquam feram vidiſſem interemtam. Hac fabula abſoluit Regem Imperator, nihil moratus vlterius legati colloquium, niſi publice. Sententia autem hæc erat. Veniret, vt promiſerat, in rem præſentem Gallus, tum, ſi poſſent, hoſtem capiendum, & ad poſſeſſiones diuidundas progrediundum.

CAPVT IV.

Quo pacto Coneſtablius denuo in odium venerit vtriuſque Principis, Caroli & Regis.

DIctum iam eſt quemadmodum Iacobus SanPaulinus inter alios ad Atrebatum à Rege captus fuerit. Hic euentus maximopere ægre accidit Coneſtablio, erat enim fidus ipſi frater. Hæc vero Coneſtablium aduerſitas non ſola incurrit, eodem enim tempore captus eſt etiam Comes Ruſſius, filius ipſius nomine Caroli Burgundiæ gubernator, & ſimul mortua eſt Coneſtablio coniux, Fœmina eximiæ virtutis, Reginæ ſoror, vnde

vnde magnum rebus eius ſolatium auxiliumque deceſſerat. Negotium autem contra ipſum non omittebatur ex quo cæptum ſemel fuerat, vti diximus, & Bouuinii res eius in extrema fuerant linea. Comes Dammartinus & alii cum militibus Regiis iuxta Sanquintinum erant; in id oppidum Coneſtablius ſuorum clientum ad trecentos condiderat, nec ſuis enim militibus ſatis fidebat. Vita ipſi plena ducebatur ærumnarum.

Rex enim pluribus nuntiis vrgebat vt in partes Hannoniæ copias ſuas educeret, vtque obſideret Arennium, cum Admiralius alteraque pars exercitus Arteſiam popularetur, vt memoratum eſt. Hoc fecit cum ſummo timore, erat enim cur extreme ſibi metueret. Ad Arennium fuit paucis diebus, cuſtodia corporis ſui mirifice aucta & firmata, poſt in præſidia ſua ſe retulit, regique nuntiauit, (mihi Regis mandato negotium audiendi hominis ipſius datum eſt) ſeſe receſſiſſe, quod certis argumentis didiciſſet in exercitu duos verſari milites, quibus expreſſe Rex præcepiſſet vt ipſum perimerent. Hoc tot documentis affirmauit, vt parum abfuerit quin ab omnibus crederetur, perſuaſumque haberent non pauci inter hos duos milites alterum ad ipſum rem detuliſſe, Non nominabo homines, neq; placet vlterius hæc commemorare. Ipſe Coneſtablius ſæpe mittebat de ſuis in caſtra Burgundi. Crediderim machinatum eum vt his Ducem deliriis exueret, cum vero ii rediiſſent, quædam renuntiabat Regi, quæ placitura ei viderentur, indicata pariter miſſionis cauſſa, ſperans hoc modo Regem ſuſtentari poſſe.

Nonnumquam eidem indicabat Burgundi res bono loco eſſe, vt timore videlicet quodam indueret; tantopere enim metuebat ne bellum in ipſum dirigeretur, vt à Carolo peteret ad ſe mitti fratrem (antequam enim caperetur ad Noueſium fuerat) cum Barone Pien-

nio, aliisque consanguineis, quo in San Quintinum eos reciperet cum suis hominibus. Sæpe pollicebatur eam ciuitatem Ducis arbitrio oblaturum paullo post, remque eam signatis litteris firmaturum. Carolus his præbuit assensum; cum vero Iacobus frater, Piennius, aliique duabus vicibus ad milliare vrbem accessissent, vt intraturi, pœnitentia ductus eos remisit, idque tertium egit, tantopere amabat hoc in statu permanere, & ab vtroque sibi cauere Principum velut medium, mirifice enim ambos formidabat. Pluribus indicibus hæc ego edoctus sum, speciatim vero à Iacobo ipso, qui cum captiuus ad Regem duceretur, ita hæc ipsi narrabat, nemine me præter præsente, qui optime suis rebus consulebat tam libere à Rege quæsitis respondendo. Interrogabat Rex quantis copiis Sanquintinum intrare voluisset, respondit tertia vice tribus millibus adfuisse comitatum.

Adhæc Rex, si contigisset ipsum superiorem fuisse, Regine voluisset accedere, an Burgundo, Tum ille, primis duabus vicibus venisse solum ad confirmandum fratrem, Tertia autem cum animaduertisset Conestablium & Dominum & fratrem suos bis pariter illusisse, si contigisset superiorem euadere, Duci vrbem seruaturum fuisse; fratri tamen vim non facturum, neque quicquam contra existimationem eius, vno demto, non enim fuisse oppido emissurum, aut se eius arbitrio excessurum. Paullo post tempore hunc hominem Rex captiuitate absoluit, Præfecturamque ei militarem, eminentemque dignitatem obtulit, vsusque ad mortem vsque fideli eius est opera. Cui rei caussam dedere luculentæ hæc responsiones.

CAP.

CAPVT V.

Vt obsidionem Nouesii Carolus reliquerit, composito negotio, vtque confœderatus ipsi Rex Angliæ bellum Ludouico Galliarum indixerit.

POstquam de obsidione Nouesii narrare orsus sum, interpolaui rerum seriem diuersis sibi subnascentibus historiis, quæ acciderunt omnes hoc tempore, annus enim integer huic obsidioni datus fuit. Duæ res Burgundum vrgebant extreme ad soluendam eam. Bellum nimirum Picardiæ à Ludouico Rege illatum, qui tres paruas sed pulcras ipsi ciuitates exusserat, cum bona parte campestrium Artesiæ. Deinde ingens cũprimis exercitus quem colligebat Rex Angliæ, ipsius impulsu. Hic vt mare traiiceret omnem vitam suam Carolus laborauerat, neque effecerat eatenus quod volebat. Ipse Edoardus cum omnibus Angliæ Proceribus mirifice indignabantur Carolum tam diu omnia extrahere, addebantque diuturnis iam precibus minas, rationem ponentes ingentium impensarum, quodque commodum anni tempus efflueret. Carolus multum sibi arrogabat de ingenti hoc contra se apparatu Germanorum, Principum, Antistitum, & Rerumpublicarum, quo sane amplioris memoria non exstabat, nec hoc nec superiori tempore, scilicet tanto nec potuisse ipsum obsidione cæpta depelli. Hæc gloria magno ei constabat, qui enim fructum habet belli, habet vtique & honorem. Legatus Pontificius, de quo dictum est hinc inde commeabat semper, donec tamdem inter Imperatorẽ & Ducẽ pacificatũ est, Nouesio in potestatem Legati tradito, vt quod Pontifici decerneretur, is statueret. Quibus autẽ angustiis nõ pressum censeas tum Burgundũ? Hinc atroci bello eum Rex noster impetebat, minabatur ex altera parte cate-

nus amicus, Angliæ Rex; Illinc autem Nouesium cum in eum statum redegisset, vt intra decimum diem fames deditionem præcipitatura sciretur, id quod ex Tribunorum vno, qui intra oppidum tum fuerat, Rex autem ad se postea traduxerat, ipsemet audiui. His itaque de caussis castra inde mouit Carolus. Nunc de Anglo sermo capessendus est. Is copias suas congregabat Douuerium, ad transmittendum versus Calesium. Erat hic exercitus facile omnium maximus, quem vmquam traduxerat Regum Anglorum aliquis; pleraque pars equites, accuratissime instructi & armati, quos viderat Gallia; aderantque omnes ad vnum Angliæ Proceres. Mille quingenti inerant cataphracti præsignibus equis & armis totis opertis, ad morem gentis ditissime exornatis. Hos Equites ministrorum instar plurimi alii sequebantur. Ad hæc quindecim millia faciebant sagittarii pariter Equites, arcubus & sagittis dexterrimi, cum peditum conuenientibus copiis, ministrisque ad tentoria & tabernacula curanda, quorum ingens numerus præsto erat, destinatis. Totis copiis nullus lixa aderat. Aliaque tria millia mittebantur in Britanniam. Memini hæc & ante dixisse, sed facit res maxime ad hunc locum. Quod si non peculiari fato Dei omni intelligentia captus fuisset Carolus, singulari fauore numinis in hoc Regnum, vt in nullum aliud maiore, incredibile videatur potuisse eum neglectis his tantis opportunitatibus obstinato animo sedere ad tam munitæ vrbis muros, quippe qui toto vitæ tempore non quiuerit Anglos adigere ad transmittendum in Galliam exercitum. Iam non ignorabat eam nationem ad bella cum Gallis aliter vtilem non esse, quam si præsens ipse ne momento quidem vno eam ex oculis amitteret, instruendam per omnia & manu ducendam in rationem administrandæ de more harum prouinciarum

rum expeditionis. Nihil enim incompoſitum magis, magiſque inconſultum eſt, quam vbi trans mare Anglus primum appulit: ita tamen vt parua omnino mora interiecta egregii rurſum fiant pugnatores, acerrimique tam manu quam conſilio. Carolus contraria omnia faciebat. Inter cætera enim incommoda tempus opportunum etiam ipſis interlabi patiebatur, & quantum attinebat ipſum, exercitus eius ita laceratus, egenuſque & miſeriis confectus redibat, vt pudorem haberet cum eo in conſpectum Anglorum prodire. Ad Noueſium vltra quatuor millia ſtipendiarii militis amiſerat, quorum in numero flos vniuerſæ eius potentiæ perierat. Sic manu velut tangi poterat Deum turbare vndique omnes ipſius rationes, vt ageret ſciens contraria ſucceſſibus ſuis, & tales errores erraret, qualium ante ipſos decem annos pudorem habuiſſet.

Edoardus cum Douerii eſſet, à Duce nactus eſt ſupra quingenta nauigia Hollandica & Zelandica, ad traiiciendas copias. Ea ſunt plano admodum fundo, humilibus vtrimque loricis, facta ad vſum Equitatus trãſmittendi, Schuttas incolæ earum orarum vocant. Hoc ſubſidio adepto ſummaque conniſus diligentia non potuit tamen intra vigeſimum diem exercitus tranſportari, licet Douerium Caleſio non ſupra ſeptem milliaria diſſideat. Videre hinc licet qua difficultate Anglus cum milite tranſeat in Galliam. Quod ſi in maritimarum rerum notitiam Rex noſter eam habuiſſet, quam terreſtrium habebat, Edoardus nequaquam hac veniſſet, certe non eo tempore: Verum earum ipſe omnino ignarus, quibuſque credebat bellica negotia ſua, etiam ipſo erant ignariores. Sic vigeſimum diem traiectus iſte inſumſit. Vnum ſolum Euienſe nauigium aduenarum duo aut tria capere ſufficiebat. Priuſquam Douerio deſcenderet in claſſem, Edoardus Iartierium nomine

fæcialem ſuum ad Ludouicum miſit, hominem ſtirpe Normannum. Hic noſtro Regi ferebat denunciãtes bellum litteras à ſuo, bene Gallice ornateque ſcriptas, vt à nemine Anglo tale quid proficiſci potuiſſe crederetur. Poſtulabat his à Rege, vt Anglo Regnum Franciæ reſtitueret, quod ipſius iure ſcilicet eſſet, vt ex arbitrio ſuo is Religionis Politicumque Statum, adflictũ oppreſſumque libertati priſtinæ reddere poſſet: Secus ſi faceret, culpam omnium malorum imminentium ſibi Ludouicus imputaret, vt ſolent concipi talium diſcriminum nuntii. Rex litteras legit ſolus ſecedenſque in Veſtiarium quoddam vocari iuſſit fæcialem Anglum. Ei narrauit compertum ſibi eſſe non ſua ſponte veniſſe trans mare Edoardum, ſed compulſum tam à Duce Burgundiæ quam Cõmuni Angliæ Statu. Iam vero conſpicuum eſſe anni tempus bello faciendo aptum, effluxiſſe fere omne; Carolũ Noueſio venire inſtar hominis omnibus copiis exuti, pauperrimique ad omnia. Quod ad Coneſtablium attineret, conſtare itidem ſibi occulte Edoardo conſpirare, quippe neptis ſuæ marito, verum nihil eſſe certius quam Anglum ab eo illuſum iri, recitatiſque ſuis in eum beneficiis collatis adiecit, nihil illum malle quam viuere in ſuis diſſimulationibus, omnium animos ducere, & ita ſuum commodum perſequi. Plurimas his rationes adpoſuit admonendo Edoardo vt pacem ſecum iniret, ad hæc fæciali ſua manu dono dedit trecentos coronatos, aliis mille promiſſis ſi res componeretur. Publice autem eidem muneratus eſt panni mero ſerico facti, & tinctione pretioſiſſimi triginta vlnas. Fæcialis affirmauit ſeſe omnia pacificationi promouendæ facturum, ſperare Domino ſuo fore rem non refutabilem. Verum nullam rei mentionem faciẽdam priuſquam totæ copiæ mare trãſmiſiſſent: Cum id fuerit factum mittendum qui ab Anglo ſalui cõmeatus fidẽ impetraret, vt legati mitti poſſint, defe-

deferendum autem negotium ad Hauartum,aut Stanleium,& ad ipſum, qui hæc conſuleret, vt fæcialis Gallicus ab eis dirigi poſſit ad Regem.In Regio Chalcidio plurimi verſabantur aulicorum dum cum fæciali Rex loqueretur,qui præſtolabantur percupidi reſcire quid ſermonis fuiſſet habitum in ſecretario, qualiq; vultu Rex eſſet proditurus.Finito colloquio Rex mandauit mihi fæcialem attinerem,operam dans ne quis eum alius compellaret,donec expeditis qui eum deducerent,dimitteretur, vtq; quem pannum ipſi ſericum promiſiſſet, exhiberetur. Me in hoc occupato Rex pluribus ſuper litteris hoſtilibus verba fecit, ſeuocatiſque ſeptem vel octo ex Primoribus,ipſas legendas dedit,vultu præferens ad omnia ſecuritatem animi,omni timoris ſuſpicione diſſimulata. Et ſane magnopere exhilaratus fuerat iis quæ penes fæcialem iſtum offenderat.

CAPVT VI.

De ærumnis & mærore in quibus erat Coneſtablius,vtq; litteras ad Regem Angliæ dederit, aliasque ad Ducem Burgundiæ, quarum vtræq; poſtea ex parte dederũt cauſſam ipſius morti.

HÆc inter aliquid etiam de Coneſtablio dicendum erit. Hunc magnopere ſollicitum habebant quæ in Burgundum egerat ſuper Sanquintino,de Regis vero in ſe fauore prorſus deſperauerat. Eius enim ex familiaribus præcipui iam ipſum deſeruerant, vti erant Geulius,& Mouius, quos Rex ab eo reuocauerat; Mouio tamen hinc inde adhuc commeante. Rex vrgebat Coneſtablium vt ad ipſum veniret, beneficia contra ab eo petita & olim quoque promiſſa offerens, inter quæ erant nonnulla Comitatum Guiſii concernentia. Coneſtablius aduentum pollicebatur, ita tamen vt per Cru-

cem Sancti Lupi Andegauensis Rex iuraret, nullam corpori ipsius vim facturum, neque ei faciendæ alteri assensurum. addens, non habere quo se ab eo iureiurando ipsi præstando excusaret, quod iam ante id Lescutio præstitisset. Rex respondit hoc iusiurandum nulli se vmquam homini facturum, ad alia omnia à Conestablio poscenda paratum esse. Hinc intelligere datur magnopere animo fuisse commotum vtrumque, bono enim tempore nulla dies intercedebat quin super hoc iuramento aliqui hinc inde commearent: quique rem expendet altius humanæ vitæ miseriarum miserebitur, cui tantopere laboratur ad ipsam sese incidendam, dicendo scribendoque tot res ipsismet cogitationibus animoque auctoris contrarias. Quod si hi duo laborabant ærumnis, ex altera parte Rex Angliæ & Burgundiæ Princeps non minoribus torquebantur sollicitudinibus. Hæc vno omnia fere tempore acta sunt, cum nimirum mare Edoardus transmitteret Burgundus autem obsidione leuaret Nouesium. Hic quidem grandibus itineribus Calesium ad Anglum contendebat, licet exiguo comitatu, exercitum enim suum, sic satis afflictum & lacerum, in Barrense & Lotharingiæ territorium ad populanda omnia misit, simul id agens vt miles post tot labores recrearetur animumque recipe ret. Caussam sane vastationi suæ dederat Lotharingus, qui bellum Carolo indixerat, idque inceperat in desidentem ad Nouesium. Sed hic Caroli non excusabilis error erat cum iis quos in Anglorum negotio committebat, qui pro certo habebant eum offensuros quo loco terram prehenderent, ad minimum duobus millibus & quingentis Cataphractis eximiis instructum, præter copias alias equestres pedestresque, vti inter ipsos conuenerat; Sic iam bellum in Gallum incepisse debebat tribus ex pacto ante aduentum Anglorum mensibus, vt

Sapientissima consideratio.

Regem

Regem ipsi inuenirent iam fatigatum videlicet & labore confectum. Sed Deus his omnibus prospexit, vt hactenus est narratum. Angliæ Rex Calesio discessit cum Duce per agrum Boloniensem versus Peronam, vbi Angli à Burgundo satis sunt tenuiter excepti; portas enim ciuitatis suis hominibus seruandas dederat, neq; admittebantur illi, nisi pauci iunctim: Cæteri campestribus locis tentoria figebant, vt facere optime poterant, omnibus videlicet necessariis ad talia rebus instructissimi. Cũ Peronam hi appulissent à Conestablio ad Carolum nuntius venit Ludouicus Creuillius, familiarium illius vnus, excusatum quod eatenus Sanquintinum nõ restituisset, caussatus, si id superiori tempore fecisset, non potuisse ipsum Duci vltra contra Gallum in hoc bello quopiam prodesse. Fuisse enim ea ratione familiaritatem omnium & fidem in sese perditurum. Iam vero, Anglorum Rege præsente ad omnia Burgundo paratum esse. His vt crederetur promtius tradidit Carolo litteras eiusdem ad Edoardum, quem ita Conestablius compellabat, vt Carolo se fidelem contestaretur, perq; eum se Anglo insinuaret. Vltra hæc litteras annulo suo signatas ad Burgundũ misit, quibus fidem ipsi dabat subsidii & fidelitatis suæ, tam ipsi quam omnibus amicis fæderatisq; ipsius, interq; hos Angliæ Regi, erga omnes & aduersus omnes, qui viui essent aut mortui, nemine penitus excepto. Carolus Anglo suas litteras tradidit, quodque ipsi creditum erat, retulit adiiciens nõnulla vltra rem. Affirmabat enim ipsi Conestablium Sanquintinum traditurum, cum omnibus quæ tenebat cæteris præsidiis. Is fidem illico dictis dedit, habebat enim Conestablii neptem in matrimonio: adhæc videbatur summo Galli timore compulsum, minime ausurum sibi & Carolo verba dare. Eadem sententia prorsus & Caroli erat. Verum neque metus nostri Regis, neque proprii sensus adhuc eorsum hominem adegerãt,

con-

cõſultiuſq; arbitrabatur fictionibus porro quoq; ſuis vti, vt duceret eos bonis dictis: obiecturumque tam cautas ſollerteſque vtriq; ſeſe rationes, vt neuter vellet ad decedendum ſuis moribus ipſum adigere. Rex Angliæ cum ſuis Primatibus inadſueti etiam dum erant huius regni conſiliis & tractationibus, neglectiſque artibus hoc genus, ſola ſtrenuitate rem gerere nitebantur. Itaque non ex facili ipſis erat has ſimulationes deprehendere, quibus hæ aliæq; oræ crebro vti adſueuerunt. Præterea natura Anglorum ingenium, qui quidem inſula ſua non exceſſerint, iracundum eſt, vt omnium aliarum nationũ frigidiori cælo innatorum. Noſtra regio nota eſt temperato ſitu à calore & rigore eſſe, circũambita Italiæ, Hiſpaniæ, Cateloniæque oris ad Orientem, Anglia, Flandria, Hollandiaque verſus Occidentem; quam longa autem eſt Germania ſecus Campaniæ campos. Sic participamus & frigidarum regionum commoda, & noſtri homines vtrinq; temperati ſunt. Mihi autem toto mundo habitabili non videtur eſſe Regnum Gallico melius ſitum. Rex Angliæ, quem magno gaudio affecerant hæ Coneſtablii oblationes, quarum guſtum quidem & antea, ſed occultius, ceperat, Perona cum Burgundo diſcedit, & quidem paucis apparitoribus ſtiparo, cuius, vt dixi, in Lotharingia erant copiæ, vt Sanquintino potirentur. Agmen expeditum Anglorum iter antecapiebat, exſpectantes, vt paucis poſt diebus ipſoſmet narrantes audiui, vt cum publicis lætitiæ ſignis exciperentur, vix autem oculis ciuitatem vſurpabant, cum ſigno dato tormenta in eos exonerata ſunt, eruptionemq; fecere præſidiarii tam equites quam pedites, interfectis nonnullis, aliis captis. Dies pluuiis erat perquã incommodus, & eo euentu rei indignãtiſſimi ad caſtra ſua regreſſi ſunt, multa ſuper Coneſtablio querentes, eumque claris verbis proditionis infamem vociferantes. Poſtridie mane ab

Anglo

Anglo diſcedere voluit Carolus, re prorſus abſona, quos vltra mare electauerat, vt ad exercitum ſuum rediret, promittens infinita inde Edoardi commodo effecturũ. Anglos, indulgentes natura ſuſpicionibus, trepidos rerũ tranſmarinarum, & prorſus rudes, male habebat hæc inconſulta abitio, neque credibile habebant, quod ille cauſſabatur, nullis eum copiis inſtructis paratum eſſe, ad hæc minime perſuaderi ſibi ſinebant, quod idem Carolus ſatagebat, Coneſtablii hoc tam perfidioſum facinus, bono animo factum eſſe, & ad eorum emolumentum ceſſurum, vltraque terrebat eos imminens bruma, qui que loquentes audiiſſet, deprehendiſſet vtiq; paci quam bello fauentiores.

CAPVT VII.

Vt ſimplicem quemdam de famulitio ſuo Rex indutum habitu facialis in caſtra Angli cum Rege collocutum miſerit, qui commodam retulit reſponſionem.

IPſo eodem hoc tempore, Carolo iam diſceſſui imminente, ab Anglis captus eſt Aulici cuiuſdam Regis noſtri famulus, Iacobus is Graſſius erat nomine, ſtipendiariorũ vnus; Is illico ad Regem Burgundumq; præſentes iunctim, deductus eſt, poſtq; in tentoriũ quoddã cuſtodiæ datus. Cũ quæ voluiſſent ex eo percontati fuiſſent, Carolus à Rege diſceſſit verſus Brabantiam, Muſoniumque vbi partem copiarum habebat: Rex imperauit vt captiuus dimitteretur, cum primus eſſet vltra mare comprehenſorum: Ei abeunti Hauartus & Stanleus Nobilem (numiſma Angliæ notiſſimum) dono dederunt, adiicientes: Regi ſuo ipſorum nomine Salutem diceret, & officia deferret, ſi quando eum alloqui poſſet.

poſſet. Is homo nihil omiſit diligentiæ quin ad Regem perueniret, Compendii tum degentem, hæcque ad eum retulit. Rex ſuſpicionem ſtrictam concepit exploratorem eſſe, ea de cauſſa quod Gilbertus Graſſius, frater Iacobi, cuius iſte famulus erat, tum eſſet in Britannia, bono apud Ducem loco; itaque cuſtodiæ traditus eſt & eam noctem diligenter obſeruatus. Multi tamen, mandato Regis ipſius, cum eo ſermocinabantur, quibus omnibus videbatur ex animo loqui, audiendumque ab ipſo Principe. Poſtridie bene mane Rex cum eo locutus eſt. Cum auditus eſſet, rem differri iuſſit, interimque eum cuſtodiæ reddi: Rex pranſum conceſſit multum animo verſans, mittendumne in caſtra eſſet Anglorum; necne, quâ in rem, antequam menſæ aſſideret, mecum quædam eſt locutus. Morem enim habebat valde familiariter ſuos compellandi, idque ſæpius, ſi quibus fidelioribus vteretur, inter quos tum eram ego, poſtque me alii fuere; amabatque occulte in aurem loqui. Tum in memoriam ei rediit fæcialis Anglicani ſermo, ne videlicet obliuiſceretur quam primum mare traieciſſent in caſtra mittere, petitum fidem commeatus, ad Legationem Regi deſtinandam; vtq; nuntius is dirigeretur ad Hauartũ & Stauleium. Extemplo cum menſam adſediſſet, & paullum cogitabundus manſiſſet, (quod moris habuiſſe norunt familiares ipſius, tali quidem ſpecie, vt res admodum mira obueniret ignorantibus: qui enim neſciiſſet conſuetudinem, delirare ipſum cenſuiſſet, ſed effectus meditationis alia omnia teſtificabatur) in aurem mihi dixit, ſurgerem & in meum cubiculum pranſum irem, vtque aduocarem Baronis Salleii quemdam miniſtrum, eum verbis explorarem auderetne fæcialis habitu in caſtra Anglicana proficiſci. Feci ſine mora quod præceptum erat, mirificeque obſtupefactus ſum cum eum hominem intuerer, nec moribus enim nec habitu corporis videbatur

mihi

mihi tantæ rei aptus. Tamen bono ingenio erat, vt postea agnoui, & sermone suaui amabilique. Semel tantum cū eo Rex fuerat locutus, itaq; attonitus meis verbis, ambobus genibus terra procubuit ante me, vt qui iam præsentem moriendi sententiam exspectaret. Feci omnia quæ poteram homini vt pauorem demerem, stipendium insuper à Rege impetraturum pollicitus, affirmansque ab Anglis hæc consilia ipsissimet proficisci: post pransum mecum inuitaui, nemine præter vnum famulum vltra nos duos pręsente, vt paullatim in rem suscipiendam deducerem. Paullo post Rex misit accersitum me, cui tum omnia recitans vt acta fuerant, alios plures nominaui negotio, mea sententia, longe aptiores; sed ille neminem volebat alium, ipseque mox adfuit, vno hominem verbo paratiorem securioremque conficiens, quam ego nec ipsis centum.

Nemo in cubiculum cum Rege venit præter Villierium, post Magnum Magistrum Militiæ, nunc Balliuum Caensem. Cum iam satis homo instructus visus esset mandatis, misit Rex Villierium ad expediendum habitum fæciali vsitatum, vt & insigne textile regni, propensurum à Tuba; non enim erat tanta Regis nostri ambitio vt vel fæcialem vel Tubicinem in aula ordinarium, more aliorum principum, aleret. Sic à Villierio & vno meorum ministrorum hic vestitus, vt commodissime potuit, confectus est; Insigne textile præbuit Admiralii penus, vsitatum ex ipsius præconibus vni, nomine Plenicheminio. Hoc fæciali nostro adaptato, occulte ocreæ datæ, & reliqua sunt clam præbita, vt illico nemine animaduertente, conscenso equo proficisceretur. Equestri sellæ sacciperium insuper appensum est, quo habitum officii sui clauderet. Sic recta in castra hostica perrexit. Cum appulisset, fæcialis conspectus insignibus, illico comprehensus, & ad tentorium Regis deductus

eſt. Interrogatus quid expeditum veniſſet reſpondit, à Galliæ Rege miſſum eſſe, ad Anglum, vtque exhiberetur prius Hauarto & Stanleio. Ductus in tabernaculum quoppiam pranſum, lauteq; eſt habitus. Rex commodú etiam aſſederat menſæ, qua ſublata in præſentiam ipſius homo noſter deductus eſt. Ipſius oratio erat fundata in deſiderium quod habuiſſet iam longo tempore Ludouicus amicitiæ cum Edoardo jungendæ, vt ambo Regna pacifice degere interq; ſe beniuole poſſent. Ipſum certe, quandiu imperium habuiſſet, nihil conatum in Angliæ res fuiſſe hoſtile, excuſandum ſuper eo quod auxilium Comiti Warwicio præbuiſſet, id enim alio nullo nomine feciſſe, quam vt Duci Burgundiæ aduerſaretur, minime vero Edoardo. Pariter demonſtrabat non alio fine trans mare à Burgundo euocatum eſſe, quam vt eo melioribus conditionibus pax cum Rege conueniret: eã rem omnem eo ſolo fine ſtare, vt mutuæ ipſorum offenſiones tollerentur, & priuatæ diſſenſiones componerentur. Sic, qui negotio ſeſe immiſcuiſſent, nihil niſi ſua commoda quærere, ſecuros iis confectis futuros, quorſum Anglorum fortuna caderet. Prærer hæc commonefaciebat eum temporis, hyemem iam propinquam eſſe, neq; ignotum Regi non ſine ſummis impendis eatenus expeditionem ipſi deductam, & eſſe plurimos tam Proceres quam Mercatores in Anglia qui bellum tranſmarinum expeterent, ei rei Ludouicum conſulturum, vt omnium poſtulatis Regnoq;, Regiq;, ſatisfieret, ſi placeret, vt decens conſultumque eſſet, ad pacificandum ipſi animum appellere. His omnibus vt pro rerum pondere amplius inſtrueretur, poſcere fidem ſecure veniendi redeundiq; det centum Galli Equitibus, quos Legationis nomine Rex eſſet miſſurus, omnia ſua conſilia edocturos. Sin magis placeret vt in pago quodam medio inter vtrumq; exercitum, vtrimq; certi homines conuenirent, expedi-

turi negotium, Ludouicum paratum esse fidem Regiam venturis Anglis præmittere. Edoardus cum Principũ suorum consilio oblationes has magnopere probabant, & Fidei Regiæ Litteræ nostro homini sunt præbitæ, secundum postulata; Nobilesque, (numisma,) quatuor in viaticum dono dati. Sic expedito comes datus Anglicus fæcialis pares à nostro Rege Securitatis Litteras in castra relaturus. Postridie Legationes in pago quopiam prope Ambianum conuenere, Ex parte Ludouici Ammiralius, nothus Bourbonius, adfuit Baroque Sancti Petri, & Episcopus Ebroicensis, Hebergius nomine. Ab Angliæ rege missus est Hauartus, cũ Chalangio, & Doctore Mortonio, qui nunc est Cancellarius Regni & Archiepiscopus Cantabrigiensis.

Scio multos ita censituros, regem nostrum humilius æquo hoc negotium administrasse, sed recte sapientes ex dictis hactenus poterunt iudicare Regnum hoc summo periculo tum fuisse, nisi singulari Dei fauore ei fuisset consultum; ab hoc vtique consilia nostri Principis eo directa sunt, vt hæc sequeretur, turbata autem Caroli, vt alia omnia ageret; qui quidem tot modis hoc in vno bello impegit, vt enarratum est, vt perdiderit in ipso acquisitionis articulo quæ infinitis antea votis desiderauerat.

Versabantur alia in medio nostri Regni pericula, vnde maximorum malorum copia omnia inundauisset breui, nisi velut ex improuiso in ipsum tempus commodissimum hæc pacificatio superuenisset, eaque tam de Britannia, quam aliunde. Vnde, quod sæpe dixi, nunc quoque affirmare non desinam, secundum ea quæ in meo tempore obseruare potui, Deum opt. max. hoc Regnum speciatim diligere.

CAPVT VIII.

Vt induciæ in nouem annos tractatæ fuerint inter Ang'iæ & Galliæ Reges, spretis difficultatibus à Conestablio & Burgundo iniectis.

Legati altero ab reditu Fæcialis nostri die, vt memorauimus, vtrimque conuenerant. Castra Regum quatuor ad summum milliaribus erant disparata. Fæcialis noster bene receptus est, quæq; à me nomine Regis ipsi fuerant promissa, vniuersa præstita sunt. Diuersæ oblationes à Legatis inuicem factæ sunt. Angli ab initio de more Regnum totum postulabant, mox Normanniam tum Aquitaniam. Nostri, vt decuit, responderunt. A primo hoc die res compositioni admoueri cæptæ sunt, vtraque enim pars eam quærebant. Nostri ad nos, alteri ad exercitum suum redierunt. Rex perceptis vltimis horum postulatis, septuaginta duobus nimirum promtis Coronatorum millibus, nuptiis cum Edoardi filia nūc Regina Angliæ, Filii Ludouici, qui nunc Galliæ imperat, Ducatumque Aquitaniæ ad nurus sustentationem, aut quinquaginta annua millia Coronatorum soluenda in arce Londinensi, ad finem vsque noni anni. Post id tempus debere filium Regis, qui nunc est noster, cum vxore Angla pacifice obtinere Aquitaniæ fructus, Ludouico tum nihil amplius Londinum pecuniæ sistente. Multi inerant minoris ponderis articuli, mercatorum negotia tangentes, quos omittimus, Pax vero hæc nouem annos rata sit habenda duobus Regibus, comprehensis inibi vtriusque confæderatis, nominatim à parte Angli Burgundiæ & Britanniæ, siquidem ii teneri hoc fædere vellent. Rex Edoardus offerebat insuper rem prorsus mirandam, patefacturum nonnullos Galli-

ci Regni proditores & perdulles, quos ita appellabat, & scriptis demonstraturum. Ludouicus insigni lætitia hanc suorum legatorum relationem excepit. Consilium deinde coactum est, cui & nos interfuimus; Nonnullis videbatur ludibrio nostro hæc simulare Anglos; Rex contrariæ erat sententiæ, temporis ratione considerata, quodque nec vnum quidem receptui necessarium præsidium haberent, præterea indignis modis essent ludificati à Burgundo, qui iam eos reliquerat; adhæc pro certo habebat Conestablium nullam ciuitatum quas tenebat dediturum. Sæpissime enim ad eum Rex mittebat vt bono suo hominem extraheret, cohiberetque bonis verbis ne mali quid designaret. Nec minus Edoardi ingenium Ludouico optime notum erat, cui nullæ res tam cordi erant quam consuetæ voluptates & deliciæ suæ. His prolatis contemnebantur cæteræ omnes sententiæ, Rege securo melius se hæc cunctis & intelligere & perpendere, conclusitque is nulla mora hoc pecuniæ conquirendum esse, excogitatique sunt in eam rem omnes modi; quouis vidente vsum postulare, vt de suis facultatibus aliquid conferret. Rex adiecit, sibi fixam esse sententiam, nullam omnino rem grauem factu futuram, modo possit suis regionibus Anglos eiicere, eo solo demto, quod nulla ratione ipsis sit quicquam in suo regno possidendum daturus; hoc solum priusquam concessurus sit, omnem periculo extremo rem esse commissurum. Conestablius incipiebat hæc intelligere, & formidare ne ab omnibus partibus malum ipsi incumberet, nullo iam refugio relicto loco: semper miseri animo obuersabatur quod Bouinii conclusum fuerat, quapropter sæpe ad Regem mittebat. Eodem tempore, de quo nunc narratio est, rediit ad Regem nuntius ab eo Ludouicus Creuillius, cum Secretario Conestablii Ioanne Richierio, vterque nunc

etiam superstes; hi sibi quæ erant commissa Bouchagio & mihi detulere ante quam Regi, vt ipse mandauerat fieri. Narratio eorum magnopere placebat Regi, cum ad eũ deferretur, erat enim commodo ipsius non ita diu post vsurpanda, vt audietis. Baro Contæus, Ducis Burgundiæ familiaris, quem à nostris ad Atrebatum paullo ante captum diximus, fide sua, ad Dominum suum ibat & ad nos redibat, ei Rex, si pacem conficere posset, opulentissima præmia cum libertate promiserat. Forte fortuna ad nos redierat eo etiam die quo Conestablii dicti ministri appulerãt. Rex iussit Contæum secedere in vetus quoddam & grande, quod in cubiculo suo erat, conditorium, meq; eodẽ concedere eo fine vt Contæus audire & Domino suo renuntiare posset, quibus Conestablius & eius homines de Duce suo verbis vterentur. Rex proxime ad id conditorium super sellam quandam consedit, vt nobis facilius esset sermonem Creuillii & alterius Conestabliani percipere. Hi tum exorsi sunt affirmantes à Domino suo missos ad Ducem Burgundiæ fuisse, vt multis eum inductis rationibus ab amicitia Anglorum auerteret. Eum se tum tanta iracundia percitum reliquisse contra Regem Edoardum, vt paullum abfuisset quin commoueretur non solum ad deserendos sed & ad expellendos, delendosq;, cum in patriam essent redituri. Hæc cũ dicerent, vt gratum aliquid facerent Ludouico, Creuillius cœpit gestus Caroli repręsentare, pede terram ferire, iurare per Sanctum Georgium, & Regi Angliæ maledicere appellãdo filium cuiusdam sagittarii, adiectis omne genus ludibriis, quibus vmquam homo fuerit traductus. Rex ad hæc effuse ridere, monito indidem homine vt altius loqueretur, se enim iam surdastrum fieri, immo totum sermonem repeteret, Creuillius bona fide omnia repetere, neq; obliuisci cuiuspiam. Contæus, quem mecum in proximo delituisse dixi, extreme his percelleba-

tur, neque vllo contra pignore credidiſſet tam immania Principis ſui ludibria, niſi coram ipſe audiuiſſet. Concluſio Coneſtablianorum fuit, ſuadere ipſum Regi, vt vitandorum omnium iſtorũ periculorum, quæ Dux animo in eum haberet, indutias faceret, quibus conficiendis omnẽ ſuam operam ipſe pollicebatur. Anglis, vt eis ſatisfieret, poſſe exiguam quandam ciuitatem obiici, vel & duas, vbi hyemem extraherent: eas non poſſe tam eſſe viles, quin ipſis eſſent futuræ acceptæ: Cum harum nullas nominaret, videbatur Euium & San-Valerium velut digito monſtrare. His technis ſperabat etiam Anglos ſibi reconciliari poſſe, quos offenderat non tradito Sanquintino. Rex contentus fabulam ſuam peregiſſe, vt Contæus audiuerit quibus Coneſtablius eiuſque homines Carolum ludibriis haberent, nullum his aſperius reſponſum dedit, his verbis abeuntes proſequens. Mittam mox peculiares qui fratri meo res meas indicent, interea vos bene pergite. Alter horum manum Regis tangens conceptis verbis iurauit ſi quicquam reſciret ipſius commodis contrarium, indicaturum. Multum operæ erat Regi diſſimulare ea verba quibus ſuadebatur ipſi aliquas vrbes Anglis tradere. Verum, timens ne peius aliquid Coneſtablius moliretur, noluit ad ea quicquam reſpondere, ne intelligerent in malã eſſe partem capta: ſed ſuos mox ad eum remiſit. Via breuis erat, & vix tempus vllum quo non hinc aut inde quis commearet. Cum diſceſſiſſent iſti Contæus & ego de latibulo progreſſi, offendimus regem effuſe ridentem, & mirifice tanta hominũ vecordia ſe oblectantem. Contæus autem deſperato ſimilis impatientia erat, tantum ſuum Principem ab vltimis huiuſcemodi hominibus ludibrio haberi, conſideratis præcipue quæ inter eos tum negotia tractabantur; omniſque mora ipſi longa obueniebat vt adſcenſo equo conuolaret ad Carolum rem indicaturus. Mox

itaq; veniam discedendi adeptus est, quid rerum confecisset sua manu scriptum referens, pariterq; quid à Rege iniunctum foret. Rex ad Carolum sua per eundem manu scripsit, Contæi vt verbis crederet. Anglicanum negotium iam compositum erat, vt dictum est, & omnia hæc eodem tempore fiebant. Qui Regis nomine cum Anglis fuerant, actorum relationem fecerant, & Angli à nostris pariter ad suos reuersi. Vtrimque à Legatis conclusum est vt in colloquium Principes ipsi conuenirent &, postquam in pacta hæc iurassent ambo, Anglus in suũ Regnum reuerteretur, captis tamen prius dictis septuaginta duobus Coronatorum millibus, ei rei obsidem daret Hauartum, cũ Magistro Militum suo Ioanne Chenio, donec omnes copiæ bona fide mare transmisissent. Sigillatim ad hæc à Rege nostro sedecim millia Coronatorum familiaribus Angli annua promissa sunt. Hastinguio inde danda duo millia, duo Hauarto, totidem Magistro Militum, alia Chalangierio, duo pariter Mongomerio, & aliis residuum. Vltra hæc pecuniæ & argenteorũ vasorum abunde Angli aulicis dono datum est. Dux Burgundiæ perceptis his rebus Luxemburgo, vbi tum erat, præpropere ad Edoardum aduectus est; neq; comitatus vltra sedecim equitibus in castra venit. Anglus tam subito eius aduentu valde perculsus, quid ferret, percontatus est, videbat enim omnibus argumentis iratum esse. Respondit Carolus, collocutum ipsi venire. Tum Rex publice an priuatim vellet? Burgundus rogare, pacemne igitur cum Gallo iniisset? Edoardus inducias sese annorum nouem esse pactum, quibus & ipse & Britannus continerentur, orare se assensum suum in eam rem præberet. Cõmotior tum Carolus Anglice, nouerat enim linguã, plurima facinora egregia priorum Angliæ Regum memorauit, quæ effecissent, vbi cum copiis traiecissent, neque vlli labori pepercisse vt ea ex expeditione honorem famam-

famamque ſibi augerent, inducias has inertiæ palam cõdemnans: Se quidem non ſuæ neceſſitatis gratia Anglos inuitaſſe vt adeſſent, ſed vt ad ipſos ſpectantia recuperarent. Ad finem vt re ipſa cognoſceret, nequaquam ſeſe eius auxilio egere, ſeſe neutiquam inducias cum Ludouico facturum priuſquam tribus integris menſibus Edoardus in Anglia rurſum fuiſſet, his dictis vnde venerat, rediit. Anglus ægerrime tulit hunc ſermonem, vt totum etiam eius Conſiſtorium. Cæteri, qui pacem hanc non habebant gratam, magnanimitatem Caroli commendabant.

CAPVT IX.

Quemadmodum Rex Ambiani laute tractauerit Anglos, & locus deſignatus colloquio fuerit Regum.

REx Angliæ, ad pacem hanc concludendam ad dimidium milliare Ambianum acceſſit, ibi Ludouicus ad portam erat, qui copias eius ex diſſito aduenientes ſpectare poterat. Vt ne quid mentiamur, ex re ipſa animaduerti poterat rudes omnino eſſe ad exercitum in acie gubernandum, equitabant enim neglectis per omnia ordinibus. Rex Anglo trecentos vini carros, exquiſitisſime generoſi, dono obuiam miſit; quorum ordo non abſimilabat ſpeciem non minorum copiarum quam ipſi erant ad quos mittebantur. Induciis vero iam cæptis Anglorũ globi vrbem intrabant, parum omnino reuerentiæ erga Regem ſuum, & cautionis ab hoſte præ ſe ferentes. Aderant in omnibus armis, & agminibus non paruis, quod ſi noſter Rex mala fide agere voluiſſet, vix vmquam tantus Equitatus tam facile deleri potuiſſet: verum is nihil animo habebat præter laute eos tractare, & vitæ ſuæ reliquum ab eorum incurſibus tutum facere. Ad valuas

portarum poni mandauerat ingentes duas mensas, oneratas electilibus ferculis, omnibus ad sitim augendam paratis, vini autem optimi omnium copiam, vt & pocillatores circum plurimos; aquæ vero nullibi quicquã. Cuique mensæ allocauerat aulicorum suorum ex nobilitate quinque aut sex, compotatores & comedones egregios & corpulentos, vt transituros inuitarent epulatum. Inter hos erant Cranius, Briquebecius, Bresmius, Villierius, aliique Baronum. Angli cum primum portam transiissent incidebant in hunc apparatum, dispositiq; mox procedebant, qui frænis equos caperent, & ad mensas deducerent, optimis modis milites excepturi; quibus hæc omnia mirifice placebant. Quotquot ciuitatem ingrediebantur, quaqua etiam descendissent equis, nemo quicquam soluebat, sed Regiis impensis pergræcabantur, omnia necessaria vltro offendentes: quæcunque esui aut potui poscebant, promte exhibebantur: hæque Epulæ in quartum vsque diem subministrabantur. Dictum est Burgundo apprime has inducias displicuisse; magis vero ægre accidebant Conestablio, qui ex omnibus partibus hostilia metuebat, qui omnes videlicet deseperat. Igitur ad Anglum misit intimum Sacerdotem suum, cum literis fidem nuntio facientibus. Res erat hæc, per Deum ne crederet verbis vel promissis Regis, verum acciperet saltim ab eo vel Euium & Sanualerium, vt partem ibi hyemis transmitteret, sese enim ante elapsos duos menses facturum vt quã optima hospitia habeat; hoc modo magnam spem, nihil autem rei præstans Edoardo; Et, (ne cogatur turpem pacificationem aliquam inire, pecuniæ non magnæ gratia) mutua ipsi offerebat quinquaginta millia Coronatorum, cum aliis pulcris oblationibus. Ludouicus dicta duo oppida iam dederat in fidẽ Conestablio, propterea quod ea Anglis præstanda suasisset, & sciebat id Edoardus.

Suspectus locus.

dus. Hic reſpondit, inducias iam eſſe cum Ludouico concluſas, neque ſibi quicquam mutandum placere: quod ſi promiſſis ſuis ipſe ſtetiſſet, ad talem pacificationem rem non fuiſſe peruenturam. Itaque ab omni parte res Coneſtablii in deſperato erant. Iam recenſitum eſt quid egerit Ambiani exercitus Anglorum. Veſpere quodam ad Regem venit Tortius, ingẽtem eorum multitudinem intra muros eſſe, nec ſine euidenti damno. Iracunde ei reſpondit Ludouicus; quare omnes talium mentionem inſuper habuere. Poſtridie feſtus annuus dies erat, quos vocant, Innocentium; Eum diem nolebat Rex negotiorum quicquam talium ad ſe deferri, neque poterat compellari ſuper iis ſine metu præſentis infortunii: iraſcebatur enim valde qui, moris ipſius gnari, audebant contra facere. Tamen eo mane, cum ſurgeret cubitu, ordinariaſque preces diceret, ad me relatum eſt ſupra nouem millia Anglorum in oppido eſſe. Obſtinaui animum ſpreto infortunio rem ipſi narrare. Sic intrato cubiculo, Domine, inquam, quamlibet ſit hodie Dies feſtus Innocentium, diſſimulare tamen non poſſum quin quæ ad me delata ſunt, referam: hinc ordine recenſui numerum hoſpitum, eumque in horas augeri: omnes armatos eſſe, neque poſſe iam aditu quẽquam prohiberi, metu rerum nouarum. Non fuit ad dicta peruicacior, ſed relictis illico precibus, reſpondit mihi eo die non eſſe ceremonias ſolitas obeundas; equum aſcenderem, & Præfectum Anglorum accederem, vt poſſit ciuitas tanta multitudine exonerari. Suis autem Tribunis, ſi quos haberem obuios, dicerem ad ſe venirent, ſeq; ipſum à meo diſceſſu mox ad portam futurum. Sic feci & tribus quatuorue Anglorũ Primatibus quæ ex vſu videbantur, indicaui. Horũ mandato ſi vnus aliquis ciuitate excederet, alii in vicem eius viginti introibant. Rex poſt me miſit Gieum, nunc Mareſchallum

Franciæ,

Franciæ, eadem ſententia. Venimus in cauponam quã-dam, ibi iam centies & vndecies menſæ fuerant inſtructæ, neque erat nona etiam matutina. Tota domus feruebat hoſpitibus: hi cantabant, illi dormiebant, alii alias ebriorum res gerebant. His conſideratis perſpiciebam nihil eſſe periculi, idque regi nuntiaui. Is adfuit extemplo ad portam, cum digno comitatu; ſecretimque arma capere iuſſit ad trecentos Cataphractos in Tribunorum ſuorum domiciliis, quorum aliquos impoſuit portæ qua Angli intrabant. Deinde in Oſtiarii ad portam eam domum prandium ſuum deferri iuſſit, inuitatis Anglorum Procerum plurimis. Edoardo indicata fuit hæc confuſio, quem puduit ſuorum, petiitque à Rege vt iuberet aditu reliquos arceri. Is reſpondit ſe vero nequaquam hoc facturum, ſed ſi placeret Edoardo, de corporis ſui cuſtodibus mitteret, qui portæ adeſſent, excluderentque aut intromitterent quos vellent. Quod & factum eſt, & plurimi Anglorum exceſſerunt oppido, Regis ipſorummet mandato. Tum deliberatum eſt, vt ad finem negotii tangendum, locus eligeretur vbi Reges conuenirent, vtq; ſpeculatores lecti idoneum inquirerent. Ex parte Galli eo iuimus Bouchagius & ego. Angli nomine adfuerunt Hauartus & Chalangierius, cum fæciali vno. Poſtquam amnis ripas ſtudioſe obitans vndique contemplati fuimus, conſenſimus locum tutiſſimum & commodiſſimum eſſe Picennium, tribus milliaribus Ambiano diſtans, caſtrum firmiſſimum, quod Prætori Ambianenſi paret, licet paullo ante à Carolo igne fuiſſet corruptum. Ciuitas depreſſo ſitu eſt, & tranſit Somia flumen, nuſpiam vadoſum. Qua venturus erat Ludouicus campi erãt patentes, & amæni. Vnde ex altero loco Anglus, prorſus locus amæniſſimus, excepto, quod, vbi quis amni appropinquaret, ad ſagittæ iactus duos collis erat, cinctus paludibus & lamis, via per-

perquam periculosa si mala quis fide agere voluisset. Et hinc ergo paret quod alibi affirmauimus, Anglos in pactis coeundis longe subtilitate & perspicacitate vinci à Gallis; &, quicquid excusentur, certum est crasse omnino eam, qua quid opus est agi, gentem ingruere, contra quod ingenium eius patienter eundum est, neque impetuose eos oppugnandum. Postquam de loco constitit, pontis conficiendi ratio inita est, firmum & satis latum, eum esse oportere, cui rei & à materia & opificibus prospiceretur. In medio pontis quoddam, instar cauearum quibus Leones clauduntur, transuersis trabibus compositum est interstitium; cuius relicta inter ligneos cancros foramina ampliora non erant quam vt brachium quis transmittere posset: Tectum ex tabulis commissis soli pluuiæ arcendæ conueniens inductum; amplitudo tanta vt duodecim ad summum homines assistere possent ex singulis quidem partibus. Ipsum textum quam latus erat pontem vtrimque æquabat, ne hinc illo aut vicissim transiri posset. Super amnem vnus tantum erat linter, duobus nauiculariis rectus, ad trāsmittendos, quibus commeantibus opus esset. Narranda est caussa quampropter construi Rex iussit hoc modo opus, ne transitus pateret altrinsecus, & poterit cautioni esse si qui fortasse post fata nostra simili opus habuerit colloquio. Tempore Caroli Septimi, eo adhuc primæuo Rege, Galliæ Regnum infestum facerant Angli, quorum Rex Henricus Quintus stricta obsidione Rhotomagum premebat. Obsessorum plerique aut subiecti aut amici erant Ducis Burgundiæ, Iohannis, tum rerum potientis. Inter eum Ducem & Aureliani tum Principem ingens erat dissidium, totumque Regnum in partes has fere discesserat, vnde Regis potentia valde erat accisa.

Talis discessio in partes numquam non insignia damna

damna in finem dedit, & ægerrime consopita est: huius discidii ergo iam ante annum Dux Aurelianensis Parisiis occisus erat. Iohannes Burgundus ingentem habebat exercitum, ibatque hinc inde dictam obsidionem Rhotomago abspellere. Id vt expediret facilius, & à Rege esset securus, conclusum fuerat Regem & ipsum conuenire debere Monstrelium, ei rei factus est pons; & in eius medio tale quoque ædificium, verum ostium relictum fuerat minutum, quod alteram ab altera partium discluderet, possent tamen eo conuenire, si vellent.

Sic altero pontis loco progressus est Rex, altero Burgundus, stipati magno numero aulicorum & Cataphractorum, imprimis Burgundus: in ponte conuersari cœptum est, nec prope Ducem præter tres aut quatuor homines erant. His comitatus, siue persuasus ab aliis, siue reuerentia erga Regem, ex sua parte valuas aperuit, idem cum factum esset ex Regia, transiit ad illos; eo vix venerat, cum interemti sunt ipse & comites, vnde infinita post seges malorum prouenit, vt nemo nescit. Hoc ex nostra Historia non erat, itaque nec deducam amplius, sed vt Regem recensere mihi memini ita lectori volui communicare. Is dicto modo interstitium confici iussit, adiiciens, si ostiolum illud non fuisset additum, non fuisse inuitatum Ducem ad transitum, neque ita hoc tam infandum & perniciosum scelus contigisse, cuius causa rescribebatur aliquibus Aurelianensis, anno, vt dictum, occisi, qui bono loco erant apud Carolum Septimum, familiaribus.

CAP.

CAPVT X.

Quo pacto Duo dicti Reges conuenerint, & iureiurando propositas inducias firmarint, nonnullis arbitrantibus Spiritum Sanctum descendisse super tentorium Angli, forma palumbis candidæ.

POstridie quam hæc ita cōposita sunt, bene mane duo Reges prodierunt, Anno Gratiæ M.CCCC.LXXV. vigesimo nono Augusti, Ludouicum præterpropter Octingenti Cataphractis stipabant, ex Angli parte vniuersæ copiæ in acie stabant. Prior venit Gallus. Angli exercitus, licet integer à nobis prospici non valeret, ingens tamen equitum peditumq; multitudo apparebat: collationem si fecisses noster miles vix aliqua pars alterius fuisset censitus. Nec quarta portio Regii nobis exercitus aderat. Definitum erat vt cum quolibet Rege venirent Duodecim homines, qui iam electi erant ad assistendum sepimento, Primores & Virtute præcipui. Ad nos transierant quatuor Angli ad dispiciendum quid pararetur, totidemque de nostris apud illos, eadē instructione. Rex noster, vt dictum, adfuit prior, & iam supra pontem erat, duodecimq; nos pariter cum eo, horū in numero erāt Dux Borbonius Ioannes & frater eius Cardinalis. Placuerat Regi vt eum diem pari cum ipso habitu indutus essem, consueuerat enim à longo tēpore singulis diebus eligere, quem eo cultu vestitum circa se haberet. Angliæ Rex splendido comitatu secundum dictum collem adueniebat, plane Regis instar præ se ferens, cum eo erat Dux Clarentius, frater, Comes Northumberlandiæ, aliiq; Regni Proceres, Cubicularius Regius, Hastinguius vocabulo, Cancellariusq; & cæteri, inter quos soli quatuor aureo pāno induti erāt, vt Edoardus ipse. Rex pileo nigro

nigro holoſerico, grandi lilio variis gemmis textili caput texerat. Erat Princeps excellentiſſimæ formæ, & celſi conſpectus, tamen vt animaduerteres vltra decorem pingueſcere, videramque adhuc formoſiorem: neq; enim memini vmquam abſolutioris ſpeciei hominem vidiſſe, quam erat iſte cum à Comite Warwicio pulſus ad Carolum veniret: Vbi quinq; pedum interuallo ſepimento acceſſiſſet, demto pileo, medium fere pedem genu flexit ad terram. Ludouicus pariter inſigni reuerétia eum excipiebat, iſque iam locum ſuum occupauerat. Cum in amplexus, quos ob interpoſitas trabes poterant, veniſſent, maiore etiam honorificentiæ indicio Ludouicum Anglus veneratus eſt. Noſter cæpto ſermone, Feliciſſimum exoptatiſſimumq; tibi aduentum voueo & gratulor, mi, inquit, agnate. Nec cenſeas in viuis eſſe hominem quem conſpicere coram maiori ſit mihi voluptati, Gratiaſq; ago Deo optimo maximo, qui nos in præſentem locum tam bonæ rei ergo conuenire voluit. His dignum reſponſum Gallico pariter, ſatis luculento, ſermone Edoardus reddidit. Tum exorſus loqui Angliæ Cancellarius, qui Sacri Ordinis erat homo, Epiſcopus Lislæus, orationem incepit à prædictione quadã, (quarum nullo tempore penes Gallos penuria eſt) qua antiquitus teſtatum ſit hoc loco ad Picennium in optabilem pacem Reges Francum Anglumque conuenturos. Poſt explicatæ ſunt litteræ, quas Edoardo Ludouicus miſerat ſuper præſenti negotio, hic Gallum Cancellarius percontatus eſt, taleſne has ſcribi feciſſet, & num ſententia earumdem nunc quoq; ſtaret. Reſpondit Rex, prorſus, pariterque earum quas nomine Edoardi accepiſſet; Igitur allato & diſpanſo ſacro Codice alteras manus Reges ſuperpoſuere, alteris tetigere ſanctam veram Crucem, iureiurandoq; firmarunt bene bonaq; fide pacta, in quæ conuenerant iam, obſeruaturos: hoc erat, inducias nouẽ

anno-

annorum integrorum, comprehensis inibi fœderatis vtrimque, & matrimonium consponsum inter liberos confecturos, vti scripto esset conclusum. Post iuramentum præstitum Ludouicus, cui lingua ad arbitrium parebat, cæpit Anglo dicere, ridibundus, oportere Lutetiam eum proficisci ad exhilarandum animum eius ciuitatis Gynecæo, daturumq; se ei comitem Cardinalem Borbonium, nomine, quem vocant, Confessionarii, hunc enim eum esse qui facile si qua in re per amorem peccaret, eo ipsum sit errore absoluturus.

Edoardus id gratissimum habuit, responditque vultu præhilari; neq; ignotum habebat eum Cardinalem multarum rerum esse. His ita vltro citroq; aliquo tempore disceptatis, Ludouicus, qui ostendebat ad se præsentium moderamen spectare, iussit secedere nos, quotquot aderamus, affirmans solum se cum Anglo loqui velle. Non exspectarunt Angli imperium, sed iniussi idem fecere. Postquam soli paulisper fuissent collocuti, Rex me vocat, ostensoque Edoardum interrogat, an notum haberet. Respondit is, certe habere, enumeratis locis vbi vidisset, quodque aliquando opera mea ipsi adfuissem Calesii, quo tempore cum Burgundo fueram. Tum quæsiuit Noster, si Carolus induciis assentiri negaret, quippe qui tam superbe eas refutasset, quid facere se vellet? Anglus, denuo se rem ei oblaturum, quod si & sic abnueret, faceret vterque sua venia quod videretur. Tum in mentionem Britanni Ludouicus venit, cuius gratia & priora vtique iniecerat, pariterque de eo percontatus est: Edoardus respondit, orare se ne eum bello appeteret, extremis enim rebus suis fideliorem amicum non habuisse. Rex hinc ad alia sermone translato, quam potuit amicissimis verbis colloquio finem dedit, nobisque reuocatis, ex Edoardi familiaribus præsentibus singulis valedicens boni aliquid verbi reliquit. Sic vno, (parum

aberit) momento relicto ſepimento ſeſe reduxere, & equos conſcendere, Ludouicus Ambianum, Edoardus ad ſuas copias iter inſiſtentes. Anglo de aula Noſtri Regis, omnia quæ vſui habebantur præhibita ſunt, vſq; ad faces etiam & candelas. Huic colloquio non adfuit Dux Cloceſtriæ, alter Regis frater, cum aliis ægre hanc compoſitionem ferentibus. poſt tamē mutarunt obſtinationem; dictus enim Dux ad Regem Ambianum vſque venit, vbi inſignibus donis, vaſis, equiſq; excellenter ornatis, mactatus eſt. Rex cum ab hoc colloquio reuerteretur inter equitandum quam longa erat via duabus de rebus mecum verba faciebat. Deprehenderat Regem Angliæ tam paratum Pariſios venire, vt ne tum quidem placere poſſet, adiiciens, excellentiſſimus certe forma eſt Princeps, magnuſque amator mulierum, poſſet aliquam Pariſiis offendere, quæ affectu delinito tantum bonarum rerum obiiceret, vt cupid ne occuparetur eo redeundi; ſane præceſſores ipſius nimium diu tam in ea vrbe quam prouincia Normanniæ fuerunt. Inter nos hactenus conueniet, vt tum mare medium erit, amicum eum fratremque habere cupiam, ſin, nequaquam vlla cum illo placet ſocietas: Hinc dolorem ſuum fatebatur Rex, quod duriorem eumdem offendiſſet in negotiis Ducis Britanniæ, ſuper quibus perlibenter eum ſuæ ſententiæ feciſſet, vt bellum illi inferretur. Cuius cum denuo admoneri fecit per Bouchagium, & Baronem Sancti Petri. Edoardus autem cum vrgeri ſe videret, reſpondit, ſi Britannum impugnari contingeret, ſe denuo ad defendendum eum mare tranſmiſſurum; quo audito de cætero ſilentium indidē altum fuit. Cum Ambianum Rex veniſſet, iam cænæ aſſeſſuro ſuperuenerunt tres vel quatuor Angli familiariū, vt cum eo conuiuarentur, adfuerant enim paci componendæ. Hauartus inter hos loqui orſus, in aurem Regi dixit, ſe effecturum, ſi voluntate Ludouici fieret, vt

Edoar-

Edoardus non grauate ad ipsum Ambianum veniret, forte vel & Lutetiam, vt familiaritate mutua ad tempus aliquod gauderent. Ludouicus, quamlibet neutiquam hæc ei placerent, bono vultu rem suscepit, secedens tamen ad lauandum, sine peculiari aliqua responsione: sed in aurem mihi mox, accidisse quod metuisset, super sua inuitatione. Etiam à cœna indidem sermo habitus est, sed quam cautissime fieri potuit res seposita, caussante Rege magnopere properandum esse contra machinationes Burgundi. Quamlibet autem maximi ponderis essent hæc negotia, & vtrimque summo studio laboraretur ad cautissime omnia exigenda, interuenere tamen res delectabiles, indignæ obliuione, neque mirabile cuiquam accidere debet consideranti magnitudinem malorum quibus recenti etiam memoria Angli Regnum Galliæ adfecerant, Regem tam anxie laborasse vt placide suas prouincias ea gente exoneraret, vtque & deinceps amicis ipsis vti posset, certe ne bellum rapta aliunde occasione inferrent. Postridie colloquii magna Anglorum multitudo Ambianum venit, quorum quidam narrauerunt, Spiritum Sanctum fecisse hanc pacificationem, omnes enim negotia sua prædictionibus instruunt; quippe palumbis alba apicem Regii tentorii insederat eo ipso die, neque quamlibet ingenti strepitu per exercitum dato, potuerat in fugam compelli. Verum, vt alii nonnulli sentiebant; recentes pluuiæ minutim deciderant, quas secutus Solis fuerat calor penetrantior: itaque auis hæc tentorium hoc (omnium excelsissimum) inuolauerat, vt seresceret ab humore: hanc rei rationem mihi dixit nobilis quidam Vasco, Aulicus Edoardi, Ludouicus Bretallius, qui pessime ferebat hanc compositionem; &, quod longo me tempore familiariter nouerat, libere mecum loquebatur, asserens nos ma-

no ludibrio habituros Regem Angliæ. Interrogaui hominem quot conflictibus victoriam reportasset Edoardus. Respondit nouem, quibus ipsemet omnibus interfuerit. Institi ego, quot vero perdidisset: Vno solo, inquit, superatũ memini, eo videlicet quo modo nos ipsum vicissemus: Se quidem ludibrium huius retromissionis pluris æstimare, quam honorem cæteris nouem victoriis meritum. Retulit hunc sermonem ad Regem, qui respondit, nequam nebulonem esse, & libertatem loquendi ipsi demendam. Misit deinde qui ad prandium hominem vocaret, quo cum venisset locupletes vberesque in Gallia manendi conditiones ipsi oblatæ sunt, quas cum omnes recusasset, Rex dono ipsi mille Coronatos largitus est, promittens benefacturum insuper fratribus ipsius qui cis mare colebant: ipse mox secretim ei quædam ingessi vt allaboraret sustinere cæptũ inter ambos Principes amorem. Non erat quod strictius Rex metueret, quam ne elaberetur ipsi fortasse aliquod dicterium, vnde Angli possẽt suspicari ipsos ludibrio haberi. Forte, altero à colloquio die, cũ in suo secretario esset, vix quatuor nostrũ præsentibus, tale quiddam incauto excidit super vino & donis in castra eorum missis: mox conuertens se animaduertit mercatorem quendam Vasconem, in Anglia habitantem, qui venerat precaturus licentiam Vasconicum vinum liberum vectigalibus Regiis transportandi; quæ res erat multum homini, si obtineretur, lucri factura. Rex eo animaduerso extimuit valde, admirans quomodo eo accessissẽt. Rogauit mox hominem quo ex Aquitania oppido esset oriundus, & an vxorem in Anglia duxisset, ibiq; mercaturam faceret. Mercator respondit, ita esse, sed pauperculas suas in Anglia res. Extemplo Rex ipsi adiunxit hominem, priusquam inde decederet, qui Burdigalam deduceret, egoque nomine Regis cum eo sermonem habui; datumque est ei in ciuitate patria locuples

cuples officium, quodque de vino petierat, milleque Franci præsentes numerati vt arcesseret vxorem suam. Eam per fratrem transtulit, ipse cis mare permanens. Sic castigauit & sibi mulctam ipsi Rex imposuit, agnoscens errorem incautæ locutionis.

CAPVT XI.

Quemadmodum Conestablius tentauerit Regi se excusare, factis cum Anglo indutiis; & vt pariter ad nouem annos pax fuerit inita inter Ludouicum & Burgundum.

POstridie colloquii, quo de die iam locutus sum, Conestablius quemdam ex suis, nomine Rapinium, (quẽ postinde Rex promouit, & fideliter priori Domino seruierat) ad Regem misit cum litteris. Eius iussu Ludæus & ego quid vellet cognouimus. Ex altera parte Contæus iam venerat Burgundi contra Conestablium machinas ferens, quarum argumenta supra enarrauimus. Ipse Conestablius iam nesciebat in quam se partem verteret, aut cui crederet, rebus apud animum suum prorsus fere desperatis. Rapinii dicta humilima erant, scire Dominum suum plurima contra ipsum ad Regem esse delata, eum tamen effectu ipso satis intelligere posse, fide debita nũquam Conestablium abscessisse. Vtque Rex Constantiã ipsius re ipsa experiretur certius, proposuit quibusdam occultis artibus effecturum vt Burgundus ad Anglos cum clade expellendos auxilium conferret, si ita videretur: Sermones isti, & nuntii ipsi gestus facile commonstrabant prorsus omni desperato subsidio & effugio, res hominis in extrema hærere linea. Ei respondimus nos bene commodeque cum Anglis pacificasse, neque vllum eorum iam dispendium aut cum iis certamen vltra

quærere. Ludæus vero, quem ſocium huius cognitionis diximus, procedebat vſque eo vt Rapinium percontaretur quo loco pecuniam ſuam præſentem depoſitam haberet Coneſtablius. Obſtupui cum hunc ex homine fideliſſimo & cautiſſimo ſermonem audirem, ne eo ad animum admiſſo fugæ conſuleret Coneſtablius, intelligens quid contra ipſum cuderetur, conſiderato maxime quo in diſcrimine nondum anno elapſo, fuiſſet conſtitutus. Verum in vita mea paucos ego homines
u olet comperi qui elabendi imminentibus malis opportuni-
po- tates agnoſcere quiuerint, & inde ſibi conſulere, vel
rem. hac vel alia ratione. Alii enim rerum ſunt inexpertes, licet coram oculis videre potuerint vicinorum infortunia; quod ſane hominis cætera ſapientis non excuſabile peccatum eſt. Viſas enim & perſpectas expertis res inſignem prudentiam & magnanimitatem dare, negari nequit. Alii nimia ſuorum bonorum aut neceſſitudinum dilectione amittunt momenta negotii. Quarum rerum ergo multi non inepti homines perierunt. Cum retuliſſemus audita Regi, is ſecretarium quemdam vocauit, (ſolis præſentibus Hauarto, Angli aulico, neſciēte quid in Coneſtablium ſtrueretur, Contæos, & nobis duobus, qui Rapinium audiueramus,) & dictauit litteras ad Coneſtablium, indicans quæ iis diebus fuiſſent concluſa, induciarum nomine; ſeque multis magnis negotiis implicatum eſſe, quibus vt ſe euolueret tali omnino capite opus habere quale eſſet ipſius: Hinc ad præſentes Anglos & Contæum conuerſus, non intelligo, inquit, corpus aut hominem totum, ſed illic relicto corpore, vt caput haberemus iſthic. Hæ litteræ Rapinio traditæ ſunt, cui ſermo iſte bene arridebat quem de Capite Domini ipſius Rex dixerat, neq; intelligebet quorſum tā inſolēs ſententia ſpectabat. Anglus tum duas noſtro Regi

gi

gi Epiſtolas ad ſe Coneſtablii miſit, indicauitque omnia quæ per legatos obtulerat; vnde videre licet, quo pacto inter tres præpotentes Principes hæſerit fatū huius hominis; quorum nemo non mortem ipſius cupiebat. Rex Angliæ accepta ſua pecunia iter inſtitit verſus Caleſium, nec ſine feſtinatione: timebat quippe odium Caroli incolarumq;. Et ſane quotidie non pauci de copiis ipſius intercepti peribant. Obſides ſuos, vt conuenerat, reliquit Hauartum, Cheneum, Magiſtrum Magnum militiæ per Angliam, donec mare tranſmiſiſſet. Initio harum rerum memoratum eſt eū Regem nō magnopere hoc bellum cordi habuiſſe: Ex eo enim quo Douuerium Angliæ peruenerant, neque adhuc nauigia inſcendiſſent, ad negotiationem nobiſcum animum applicuit. Quod autem traiiceret, duabus de cauſis faciebat. Vna erat, totam Angliam hoc deſiderare, vt præterito tempore conſueuerāt, & inſtans adhortatio Caroli. Altera, vt ſibi ſeruaret ingentem pecuniæ ſummam, eius, quæ per Angliam vniuerſam ad hoc bellum fuerat collecta. Vti enim & antea dictum eſt, Reges Angliæ extraordinarium aliquod tributum exigendi neq; morem neque poteſtatem habēt, niſi ſi in bellum Gallicum tale quid poſcatur. Aliam machinam rex excogitauerat, ſubditis ſuis placandis. Decē aut duodecim ciues Londinenſes ſecum duxerat, aliarumque ciuitatum prædiuites & luxuriæ adſuetos, qui principes erant ſuæ quique patriæ, fuerantque cumprimis auctores tanti exercitus cogendi, & præſentes ipſi negotio operam dederant. Rex inſignibus tentoriis hoſpitia eorum deſtinauerat, tamen non erat hic modus quo hoc genus hominum foueri conſueuerat, itaque quantocyus rem præſentem faſtidire cæperunt, ſperauerant inſuper intra tertium quartumue diem rem ad prælium venturam, ne opus haberent diu vltra mare obhærere. His timorem qua poterat Edoardus augebat, mentione pacis cōmodæ cōmodè iniecta, eo fine

vt cum in Angliam rediretur hi ipsi adessent sinistris omnibus famigerationibus obliterandis. Nemo enim ab Arturo vsque Angliæ Princeps tantum capiarum & in iis Regni Magnatum simul mare transportauerat. Sic cum summa diligentia reditum machinatus esset & conficeret, ingens pecuniæ in belli vsus exactæ illi summa salua remansit: Itaque & iste ad deliberatum negotii sui finem peruenit. Non erat ingenio hic tali Princeps, vt laborem diuturnum tolerare posset, quali opus habeat Rex Angliæ in Gallia bene rem gerere volens, & defensioni à nostro omnia pulcre præparata fuerant, licet ad omnia quibus tum vndique periculis vrgebatur, cauenda aut amolienda non habuerit satis virium; erant enim nimium multi à quibus hostilia metuebat. Insuper alio grandi desiderio Edoardus tenebatur, nimirum vt Caroli Octaui, qui nunc est Galliæ Rex, nuptiis cum filia sua potiretur; quod ipsum desiderium multa magnis nostri Regis emolumentis ipsum dissimulare compulit. Cum obsidibus demtis omnes iam Angli remeassent, Rex noster in oppidulum quoddam ad fines Hannoniæ, Veruinium se contulit, Auennium enim eiusdem prouinciæ venerat Burgundiæ Cancellarius cum Contæo, aliisque legatorum nomine, habebatque animo Ludouicus pro tempore omnia pacificare. Hæ Anglorum tantæ copiæ eum perculerant, iuuentute enim sua viderat opera eorũ in Regno isto, neque volebat, vt vmquam illi hac redirent. Cancellarius dictus ipsi nuntiauit, suorum aliquos medio itinere inter Veruinium & Auennium certum in locum mitteret, vbi ipsum cum legationis sociis essent offensuri. Rex sese ipsum venturum renuntiauit; & quãlibet multi familiarium secus arbitrarentur, eo profectus est, adsumtis obsidibus Anglis. Burgundica Legatio bene stipata militibus sagittariisque accessit, quam pransum Rex secum duxit, cum nullis motis sermonibus super

præ-

præſentium rerum ſtatu. Inter Anglos tum erat quem pœniteret initæ compoſitionis, & ad feneſtram quandã confabulanti mihi dixit, ſi plures huius cenſus homines cum Burgundo vidiſſent, forte pacem non ita facile conuenturam fuiſſe. Narbonenſis, qui nunc Pueſii titulum habet, percepto hoc ſermõe, &, adeo vos eratis ſimplices, reſpondit, vt arbitrari nõ poſſetis talium hominum copiã non pœnitendam habere tantum principem? Dimiſerat nimirum eos ſolum, vt recrearentur à laboribus eatenus toleratis; ſed vobis tantopere in patriam reuerſio cordi erat, vt ſexcentæ vini cupæ, & ſtipendiũ, quæ vobis Rex donauit, ocyus vos hinc in Angliam ſemouerint. Anglus adhæc ira commotus, Hoc erat, inquit, quod nemo non nobis occinebat, ludibrio vos habituros noſtram æquanimitatem. Et quod veſter Rex nobis ſoluit, hoc ſtipendium vocas? Enimuero certe tributum eſt. Et, ita viuam, repetere hoc genus ſermonum poteritis, vt non pigeat nos redire trans mare. Interrupi ego ſermonem & in jocum conuerti. Sed Anglus minime ita accipiebat, & Regi nonnihil retulit inde, qui mirifice ira motus eſt in Narbonenſem. Cancellario & Legationi non multum operæ dedit eo Rex tempore, ſed definitum eſt vt Veruinium venirent; quod cum feciſſent, eo in loco rex negotium Cancellario Franciæ Petro Dariolo, & Tannegio Caſtellenſi, cum non nemine aliorum commiſit. Vtrimque ad partium emolumentum magno ſtudio laboratum eſt. Regis legati ei retulere Burgundos arrogantes eſſe in ſermone, ſed ab ipſis ita exceptos, vt magnam iactationum partem vltro compreſſerint, recitatis quæ iis dederant reſponſis. Rex nequaquam rem probauit, dicens ſæpe iam velitatum eſſe eo modo, neque iam pacis manſuræ negotium, ſed ſolarum induciarum agi, vetare ſe ne quid tale poſthac reſponderent, ſeſeque ipſum Legatis collocuturum. Sic adeſſe iuſſit

Cancellarium cum ſociis cubiculum ſuum, ſemotis omnibus præter Admiralium, Burboniæ nothum, Buchagium, & me, concluſitque inibi inducias ad nouem annos, quoque ad ſua diſceſſuro. Legati vero petierant à Rege ne publicarentur etiam dum dictæ induciæ, vt iuramenti ratio conſtaret Carolo, qui confirmauerat non ſe eis aſſenſurum niſi Rex Angliæ præſtitutum tempus extra Galliam fuiſſet, ne videretur ab eo factas ratas habuiſſe. Rex Angliæ quem magnopere male habebat Carolum inducias ſuas ſpreuiſſe, comperto alias eumdem cum Gallo tractare, miſit Thomam Montgomerium, ex aulicis ſibi perquam intimum, ad Ludouicum Veruinium cum res adhuc diſceptaretur. Is Legatus à Rege noſtro poſtulauit Edoardi nomine, ne alias cum Burgundo à ſuis inducias iniret, neue illi vellet Sanquintinum reddere; offerens viciſſim ipſi, ſi bellum in eum vellet continuare, tranſmiſſurum ſe denuo mare proximo vere, vt à partibus ſtet Galli, ea conditione, vt damna ipſi ſarcirentur quæ Caleſii eo modo poſſet accipere, negotiatione lanaria impedita, quæ res ad annuos quinquageſies mille Coronatos ſpectaret, vtque Ludouicus ſumtus belli dimidios ferret, dimidiis alteris Edoardum manſuris. Rex gratias ingentes egit Anglo, & legatum ſplēdide donauit. De bello rogauit gratiam ſibi faceret, inducias iam enim concluſas eſſe, nec alias eſſe quam ipſi ambo Reges nouem annorum ſpatio clauſiſſent. Ducem Burgundiæ nihil vltra poſtulare, niſi ſingulares litteras, excuſans omnia quam optime poterat, ad Legati explendam voluntatem; qui in Angliam mox rediit, ſecum abductis obſidibus ſupra nominatis. Ludouico mirifice miræ viſæ ſunt oblationes Edoardi, neque me præter audiit legatum quiſquam eas referentem, periculum autem grande verſari cenſebat in admittenda aut procuranda Angli iterata transfretatione;

ne; Inter Gallos enim & eam nationem ex facili discidia oriri, cum conuersatione mutua vterentur: Sic cum Burgundo noua fœdera quauis occasione iuncturos, & hæc ipsa res desiderium induciarum Burgundicarum animo eius auxit.

CAPVT XII.

Vt Conestablii exitium omnibus modis iuratum à Ludouico & Carolo; vtque is in territorium Caroli se conferens, iussu eius Regi traditus, publiceque supplicio fuerit affectus.

COnfectis indutiis Conestablii negotium in animos Principum rediit. Vt vero tempori in extrahendo parceretur, resumtum est quod Bouuinii fuerat conclusum, recitatumque est nobis antehac. In eam rem litteræ hominis citra & vltra traditæ sunt partibus, interq; agendum Burgundo promissæ sunt ciuitates restitui Sanquintinũ, Hanium, Bohainium, cum omnibus quas de regionibus ipsius Conestablius tenuerat, adiectis insuper eius, quæ vocant, mobilibus, vbicunque terrarum offenderentur: In hæc conclusum est vi in potestatem redigendum quocunque in loco deprehenderetur, & vter prius eum apprehendisset intra octiduum supplicio afficeret, aut alteri traderet. Illico omnis huius transactionis suspicio incessit, quiq; honoratiores circa Conestablium fuerant, deserere eum paullatim cœperunt, vt Genlius, cũ cæteris nobilibus. Cõestablius ipse, cui ignotum non erat Edoardum litteras ipsius Principibus dictis misisse, quodque secretum inter eos fuerat, sic omne renunciasse, vtq; inimici sui in inducias conuenissent, incipie-

incipiebat inſolitæ magnitudinis metu percelli, miſitq; Carolo qui peteret ab eo ſecuritatem veniendi, vt communicaret res magnopere ad ipſum pertinentes. Carolus initio ſimulabat daturum in finem vero & dedit. Iam in diuerſa animum illuſtris hic homo verſauerat, quo fugam inſiſteret, & viderat enim Bouuinii in exitium ſuum coniurantes litteras. Nunc ſpes ſuas vertebat ad nonnullos miniſtrorum ſuorum, qui Lotharingi erant; cum his deliberabat in Germaniam profugere cum magna pecuniæ ſumma, tutiſſima enim via erat, & aliquid poſſeſſionis ad Rhenum redimere, vbi moraretur vſque ad negotii cum altero principum compoſitionem. Alibi tenere ſe intra Hanii munimenta ſecurius arbitrabatur, cui caſtro immenſos ſumtus impenderat, vt tali aliquo infortunio in id ſe recipere poſſet; itaque omnibus neceſſariis inſtruxerat eam arcem, vt nullam noſtra ætas magis munitam inſtructamque viderit. Sed neque homines habebat ex arbitrio ſuo ſecum manſuros, omnes enim familiares nati erant ex alterius dictorum principum territorio; & timor ipſius ita omnem modum exceſſerat; vt nulli ſecreta animi vt opus erat ſatis clare aperire auderet: puto enim alioquin fuiſſe inuenturum bona copia qui nequaquam eum deſtituiſſent. Neque tam timendum erat obſidionem ab ambobus junctim Principibus quam vno ſolo, neutiquam enim diuerſi horum exercitus concordes vel paruo tempore eamdem rem egiſſent

Vltima deliberatio fuit proficiſci ad Burgundum ad Securitatem promiſſam, comitatu viginti ad ſummum equitum. Sic venit Montium Hannoniæ, vbi erat Baro Deſmerieſius, Magnus prouinciæ Balliuus, omnium amicorum ipſi amiciſſimus, ibique commoratus eſt à Carolo exſpectans nuntium. Iam is bellum in Lotharingum inceperat, quod ab ipſo eſſet denuncia-

tum

tum sibi, dum Nouesium obsideret, illataque ingentia damna in ditione Luxemburgensi. Rex quam primum de profectione hominis certior factus est, omnia moliri cæpit, ne aliquo is modo in Caroli amicitiam rediret, itaque festinanter Sanquintinum properauit, collegitque ad Octingentos Cataphractos, quibus eam ciuitatem intraret, edoctus omnium rerum intra agendarum ordinem. Cum oppido appropinquasset, nonnulli obuiam venere, sese ministerio eius offerentes. Tum me iussit intrare; & discingere milites vrbem seruantes: quo facto Regiæ copiæ superuenere, secutusque ipse Ludouicus à ciuibus perbene susceptus est. Quod inerat Conestablii familiarium in Hannoniam discessit. Carolum ipse mox Rex docuit captum esse Sanquintinum, vt spem omnem ei eximeret per receptum in gratiam Conestablium eo potiundi. Is vt hoc intellexit imperauit Demeriesio vt Conestablium Montii custodiret, vt nusquam discederet, ipsique interdictum est hospitio suo egredi. Demeriesius non ausus detrectare mandatum, non adeo tamen stricte eum seruauit, vt non, si voluisset talis homo, fugæ rationes potuisset inuenire. Quid dicemus hoc loco de Fortuna? Huius viri res collocatæ erant mediæ inter regiones inimicorum horum Principum, habebat ipse in potestate munitissima aliquot præsidia, quadringentos cataphractos stipendiis bene solutis animosos, quorum erat Præfectus, quorum nemo non ipsi cliens erat, cum arbitrio eius allegerentur, iamque eis volentibus duodecim annos pro lubitu fuerat vsus. Ipse Prudentia & Fortitudine nulli secundus, expertarum rerum plurium nobilitate omnibus fere præminebat: Pecuniam habebat ingentem: & tamen his præsidiis, nullum extremis rebus consilium aut animum inueniebat! Dicendum sane sit hanc deceptricem Fortunam, auerso eum vultu damnasse: sed potius reor

tam

tam inſperata infortunia nullius Sortis eſſe imputanda imperio, ipſamq; cum nomine toto ſuo nihil præter Poeticum eſſe figmentum, à Deo vero deſertum in has calamitates incidiſſe, conſideratis dictis, aliiſque ſilentio oppreſſis argumentis. Quod ſi hominis eſſet iudicium interferre (quod vix vlli, mihi vero neutiquam faciendũ putem) mea foret opinio optima ratione inde pœnas has dediſſe, quod nullo labori vmquam pepercerit ad alendam propagandamque hoſtilitatem inter Regem & Carolum. In hac enim ſita erat auctoritas ipſius tam alta, cum vniuerſo rerum flore. Nec opus erat ad hoc præſtãdum ſingulari aliquo ingenio, natura enim ab altero alter pleriſque omnibus in rebus diſſidebat. Ille autem imprudens ineptuſque ſit prorſus qui Fortunam aut Caſum in rebus humanis crediderit tantum potuiſſe, vt tantæ ſapientiæ hominem eo redigeret, vti ab ambobus Principibus in exitium eius conſpiraretur, qui nulla in re alia vmquam conſenſere, inſuperque à Tertio Angliæ Rege, qui neptem ipſius vxorem duxerat, quique mirifice diligebat omnes coniugis ſuæ cognatos, ſpeciatimque familiæ Comitum San-Paulinorum. Veriſimile contra eſt, immo perquam certum, Deum gratia ſua eum deſtituiſſe prorſus, vt tam potentibus tribus Principibus ſimul ſe exoſum faceret, neque vnum ſibi reſeruaret amicum, ad quem vel in vnam noctem aliquam tuto poſſet diuertere. Deus enimuero Fortuna hic ipſe erat. Paria autem contigerunt & contingent porro aliis pluribus, qui poſt longos præclaroſque ſucceſſus magnis incidere debent calamitatibus.

Poſtquam in Hannonia cuſtodiri cæpit Coneſtablius, Rex ad Burgundum miſit, vt ſibi traderet hominem, aut ſecundum pacta conuenta cum eo ageret. Reſpondit Carolus, ita facturum, iuſſitque captiuum Peronnam duci & adhiberi ſtrictiſſimas cuſtodias. Iam plu-

pluria oppida in Barrensi & Lotharingiæ Principatu Burgundus occupauerat, & obsidebat tum Nanceium, prorsus bene defensum. Rex grandes copias habebat in Cãpania, vnde timebat Dux aliquid hostile, per pacta enim induciarum nequaquam ei concessum fuerat Lotharingum destruere, qui ad Regem se contulerat. Bouchagius aliique vrgebant apprime Ducem vt staret promissis sigillo suo firmatis, is indies pollicebatur facturum, & octiduum tamen illud iam vltra mensem totum extraxerat; quo tradendum receperat hominem.

Ad vltimum tamen instari sibi adeo enixe videns, metuensque ne in Lotharingiæ negotio à Rege impediretur, (quod perficere magnopere studebat, vt Luxemburgo transitum haberet in Burgundiam, omnibus suis coniunctis prouinciis: hoc enim exiguo principatu adiecto, Hollandia fere prope Lugdunum perpetuo suo territorio poterat venire,) itaque scripsit Cancellario suo & Hymbercortio, (quorum supra sæpe facta est mentio) vtrique Conestablio inimicissimo, Peronnam proficiscerentur, & certo, quem nominabat, die, Conestablium Regis Legatis traderent, vtpote qui absente ipso plenam rerum gerendarum potestatem haberent: Desmeiesio autem cederet his captiuum. Interea atrociter oppugnabat Nanceium Carolus: In ciuitate erant egregii milites, qui eam strenue defendebant. Inter Ducis militares præfectos quidam erat Comes Campobachius natus in Regno Neapolitano, indeque ob Andegauensium studium exsulio eiectus; hic occulta iam cum Lotharingo consilia versabat (qui eius familiæ agnatus, & præsumtione hæres, à morte Regis Renati materni sui aui, erat) promittens extracturum obsidionem, obiectis clam impedimentis.

Hoc nullo negotio in exercitu tum Burgundi summa auctori-

auctoritate homo, quæ erat malitia nebulonis penitus Domino suo infidi, confectum dare poterat; vt post dicetur: & hæc erat præstructio velut capitalium malorum quæ paullo post Duci acciderunt. Mihi opinio est Carolum id egisse vt priusquam Regi Conestablium traderet, Nanceium in sua haberet potestate; deinde vero prorsus non traderet. Ex altera parte euenturum forte erat, vt si habuisset tempori eundem Rex, plura in subsidium Lotharingi fecisset, quam sic fecit: Relatæ enim ad eum fuerant machinæ Campobachii: sed noluit se interponere: neque erat qui cogeret ipsum permittere vastari Lotharingiam, nisi id consilio fecisset, multis argumentis, & habebat prope in armis ingentem exercitum. Burgundus non poterat Nanceio potiri ante eum diem quo tradendum Regiis Conestablium scripserat. Quibus mandatum itaque erat executi rem sunt, instigati insuper magno hominis odio, & Admiralio, Bourbonii Notho, Baronique SanPetrino, Conestablium tradidere, qui Lutetiam illum auexerunt. Recensitum mihi memini à nonnullis tribus post horis missos à Burgundo aduenisse properantissime, qui vetarent tradi, priusquam de capto Nanceio superuenirent alii, sed sero. Lutetiæ Conestablius Iudicio ordinario accusatus est, productis omnibus quas in perniciem suam litteras in partes diuersas Principibus tribus scripserat. Rex Senatum de ferenda sine mora sententia vrgebat, submissis qui omnia, vt vellet, subiicerent. Itaque non longo post tempore supplicio capitali affectus est, & bona eius in fiscum redacta.

CAPVT XIII.

Digreſſio ſuper errore Burgundi, contra fidem datam Coneſtablium Regi tradentis, & quid inde pœnarum veriſimile ſit eumdem dediſſe.

TOtum hoc negotium mihi quidem miræ inuſitatæque actionis videtur, neque vt excuſem delicta Coneſtablii, vel onerem Caroli Regisq; memoriam, quippe vtroque per technas hominis atrociter illuſo; Sed quia nequaquam opus habebat Burgundus, tantæ potentiæ Princeps, cuius familia tum opibus famaque florebat, datam in aduentum fidem tam vecorditer fallere, vt comprehenſum certæ morti traderet, potiſſimum auaritiæ ſuæ nomine. Poſt pudendum hoc factum ſane numquam fortuna priſtina vſus eſt, ſed alia aliis ſuperuenientia infortunia totum deniq; oppreſſerunt. ſic conſideranti quæ meo tempore Deus fecit, neque nunc facere ceſſat, liquere poteſt, nihil illum impunitum velle relinquere, manifeſto omnibus videntibus hæc opera inuſitata ab ipſo eſſe, ſunt enim extra naturam punitiones eius ſubitaneæ, præcipue in eos directæ qui per crudelitatem & violentiam aliquid committunt, quod genus delictorum non cadit in homines conditione humili, ſed Principes & plurium cum auctoritate gubernatores. Multis annis excellenti gloria floruerat domus hæc Burgundica, & à centum vltraq; annis, quos quattuor inibi Principes regnarunt, ſupra omnes Chriſtiani orbis æſtimata fuerat. Cæteræ enim ampliores numquam ſine adflictionibus & infortuniis fuerant, hæc in perpetua proſperitate & felicitate. Primus præcellentium eius principum fuit Philippus Audax, frater Caroli Quinti, Regis Galliarum, quicum vnica hæres Flandriæ nupta erat, cuius ſub ditione mulieris erant etiam Arteſia, Burgundia, Niuernium, Rotelium. Secundus

Iohannes; Tertius Philippus Bonus, qui patrimonio suo contulit Brabantiam, Luxemburgiũ, Limburgum, Hollandiam, Selandiam, Hannoniam, & Namurcum. Quartus erat Carolus, qui ab excessu parẽtis habebatur totius Christiani Orbis ditissimus & æstimatissimus Princeps, qui in thesauris reperit tantum pretiosarum rerum, gẽmas, vasa, tapetia, Libris linteoq; instructissimam supellectilem, vt nec tres lectissimas alias familias tantum opum collaturas fuisse existimem. Pecuniæ præsentis alibi quidem amplius vidi (Philippus enim longo tempore tributorum exigendorum curam remiserat,) nec tamen summa fuit intra trecenta coronatorum millia. adhæc pacem cum omnib. vicinis suis luculentam offendit, non diu tamen duraturam. Non tamen bellorum caussas & initia ipsi omnia inscribere velim, neque enim erant alii plures extra culpam. Subditi ipsius illico à morte Patris auxilium illi voluntarium vltro præstiterunt, & post non magnas disceptationes vniuersæ ipsius ditiones totos decem annos, & pro se quæque, cuius pecuniæ summa etiã trecenta quinquaginta millia Coronatorũ adscẽdit, Burgundię reditib. non adnumeratis. Cum Conestabliũ traderet, vltra trecenta itidẽ millia ei cõferebantur, & totidẽ ipse iam collecta habebat. Mobilia quę appellant, Conestablii, non erant supra pretiũ octoginta, pecunia numerata inuenta septuaginta sex milliũ. Itaq; emolumẽtum ex tam turpi facto plane fuit exiguũ. Ipse tamen pro magno habebat, damno suo ingenti. Nam Deus ipsi cõfecit non metuendum virib. hostem, iuuenili ætate, parum omnium rerum experientẽ, cui adiecit ministrum infidelem ex eo cui plurimum ipse fidebat, cuiq; contra subditos fidissimosq; suos soli credebat. Et non sint hæc eadẽ infortunia, quibus apud priorẽ mundum obiectis Deus consueuerat mutare in aduersa prosperitates hominum? Animus ipsius nequaquam superuentu harum re-

rum frangebatur, ſed ad finem vſque vltimum arbitrabatur ſuam omnem felicitatem à conſilio & virtute ſua dependere: Certe ante obitum vidit ſe maiorem & illuſtriorem omnibus ſuis præceſſoribus. Antequam Coneſtablium, vti dictum eſt, traderet Regiis, iam inſigni diffidentia in ſubditos ſuos erat. Accerſiuerat enim mille Equites Lancearios ex Italia, & indidem multos ad Noueſium ſecum habuerat. Quadringentos inde cataphractos moderabatur Comes Campobachius, homo omni poſſeſſione ſpoliatus. Propter bella enim quæ familia Andegauenſis in Regno Neapolitano geſſerat, cuius cliens erat, inde fuerat in exſilium pulſus, amiſſis ſuis prædiis, fueratq; ſemper in Prouincia, quam vocāt Galliæ partem, Lotharingia, vel apud Renatum Siciliæ Regem, aut Nicolaum, filium Ducis Calabriæ; à cuius morte Burgundus plures ad ſe miniſtros eius receperat, præcipue omnes Italos, interque hos iſtum Comitem, Iacobum Galeotum, virtute, fortitudine, fidelitate & exiſtimatione perilluſtrem virum. Campobachius in Italiam ad colligendum militem miſſus à Carolo habuit quadraginta millia Ducatorum. Ei rei conficiundæ cum Lugdunum tranſiret, adiunxit ſibi Medicum quemdam nomine Simonem de Pauia, per quem indicauit Regi ſi poſtulatis quibuſdam ſuis aſſentiri vellet, ſeſe ad reditum ſuum in manus ipſi Burgundiæ Principem traditurum. Tantumdem apud Pedemontanos dixit Regis Legato Baroni San Praæo. Poſt reditum, copiis eius in Comitatu Marlæenſi degētibus, denuo Regi obtulit, cum in procinctu apud Burgundum ſit futurus, ſtaturum promiſſis, & Carolum vel occiſurum, vel captiuum adducturum: Rei ordinem ita recenſuit. Dux in more habebat ſæpe exercitum ſuum circumequitare aſturcone quodam humili inſidens, paucis ſtipantibus, quo pacto citra periculum interfici aut compre-

hendi poterat. Adhæc alia rẽ facie Ludouico offerebat: Si contingeret aduersa acie consistere ipsum & Carolum, cum Equitatu suo ad Regem palam transiturum, modo postulatis suis assentiretur, Rex vehementer tantam hominis perfidiam abominatus, voluit Carolo liberalem suum animum testatum facere, itaque hæc ei omnia indicauit per Contæum, cuius frequens supra mentio habita est. Sed Burgundus nequaquam hæc volebat credere, sed alio à Rege fine fingi opinabatur, & eo modo amplius etiam Campobachio fidebat. Vnde videre cuicunque licet Deum ipsius confudisse intelligentiam hoc loco, non adhibenti claris Ludouici indiciorum argumentis fidem. Quam autem Italus iste perfidus & malus, tam eiusdem contra gentis fidus atque probus Iacobus Galeotus; qui vitam ad senectam ætatem in existimatione & honore omnium ductam morte tamdem optabili clausit.



PHI-



PHIL. COMINAEI COMMEMORATIONUM RERUM GESTARUM DICTARUMQUE LUDOVICI XI. & Caroli VIII. Regum Franciæ,

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

Quemadmodum Dux Burgundiæ bellum Heluetiis inferens ab iis fuerit profligatus ad fauces montium, prope Gransonium.

CArolus, tota subacta Lotharingia, Sanquintino, Hanio, & Bohainio cum bonis Conestablii à Rege receptis in eo erat vt cum illo pacisceretur. Conuenire colloquio vterque debebant tali ponte confecto, Picennii qualis fuerat, Edoardo & eodem Ludouico congressis; iamque res per legationes citra atque vltra disceptabatur. Itaque Dux exercitum suum reficere cogitabat Nouesiana obsidione & Lotharingiæ debellatione confectum, parte in ciuitates Comitatus Romontani præsidio collocata, iuxta Bernatium & Friburgensium oppida: quibus bellum inferre volebat, quod ipsum impetiissent Nouesium oppugnantem, adfuissentque auferendo Comitatui Phirtensi, vt dictum; nec non Romon-

tanum nonnullis possessionibus spoliassent. Rex colloquium vehementer vrgebat, vtq; egenas has Heluetiorum gentes missas faceret, consulturus potius copiis quiete indigētibus. Heluetii tam propinquum eum cernentes, legatione missa obtulerunt restitutionem eorum quæ Romontano ademissent: Comes vero ipse altrinsecus sollicitabat eum, vt cum exercitu ipse subueniret sibi. Horum prudentius consilium feliciusque vtique futurum, (vt omnes sapientiores consideratis tempore & militum statu, consentiebant) Burgundus contemnebat, concluso bello. Inter Regem & eum conuenit transigere datis litteris, super Lotharingiæ negotio, ad pugnam non venturos. Sic Lotharingia cum copiis labore bellico fere confectis excessit, venitque in Burgundiam, vbi veterum Germaniæ Confœderatorum, quos Suicios vocant, Legati ad ipsum rediere, offerentes prioribus etiam ampliora, vltra restitutionem dictam deserturos omnes confœderationes ipsi aduersas aut displicentes, præcipue Regis Galliarum; ipsi vero sese iuncturos, & adfuturos sex armatorum millibus, facili prorsus stipendio contra eumdem Regem, quoties posceret. Nihil horum admittebat Carolus, iam enim Fortuna vultum ei obuertebat. Confœderationes quas nouas iis in locis vocant, sunt cum ciuitatib. Argentorato & Basilæa, cumq; aliis quas Imperiales vocant, sitis super ripam Rheni, factæ; quæ ciuitates Heluetiis ante fuerant inimicæ, studio Sigismundi Austriæ Ducis, cui auxilio erant cum Heluetiis bellum gerenti. Hæ vrbes fœderi Heluetio accesserunt, ad annos Decem, pace eiusdem tēporis cum Sigismundo cōposita. Id fœdus Regis nostri consilio instinctuq; coitum est, quo tēpore Comitatus Phirtensis Carolo, vt dictū, adētus est, occisusq; Basilææ Petrus Archembautius, regionis nomine Burgundi gubernator. Is Petrus caussa fuit horum infortu-

niorum,

niorum, vnde Duci cætera vniuersa superuenerũt. Principi cuicunq; magnopere dispiciendũ est quib. præfectis credat si quas suis regiones recens iunxerit. Hic enim, cũ opus esset moderate vti potestate, & leniter officio ad conciliandos animos, mutatis habenis pendẽtes, & à prę-teritis principib. male habitos, præesse, omnia contra fecit, violentia & auaritia suorum ipse malorum auctor, quibus tamdem & Principem suum & infinitos bonos viros implicuit. Hęc confœderatio, quam Regem debitã dictum est, ipsi postea ingentia commoda peperit, maioraq; quã pleriq; intelligant: meo quidẽ arbitrio prudentissimarũ rerum vna fuit, quã toto vitæ tẽpore confecit, & vnde plurimum detrimentorum hostes eius acceperunt. Burgundo enim profligato nemo post inuentus est qui auderet se ipsi opponere, aut volenti quid resistere. quod dictum volo de subiectis Regno ipsius, omnes n. cæteri ad huius ventum velificabant. Hinc patet quam fuerit grande opus Austrium conciliatum cum Heluetiis in nouum hoc fedus iungere, quibus tanto tempore hostis fuerat, quamq; bona ratione in hoc sumtus diuersosque labores non paruos rex insumserit. Postquam omnẽ spem pacificationis Carolus Heluetiis præcidit; Legati redierunt suis necessitatem defensionis ingerentes. Iam exercitus ad Vauium Sabaudiæ, Romontio ademtum, accedebat, captis tribus aut quatuor locis, Baroni Charteauguio parentibus, male defensis ab Heluetiorum præsidio; inde Gransonium obsessum profectus est. Ea ciuitas eiusdem Baronis erat, custodita octingentis circiter lectis militibus, quippe adsita Heluetiis, & quam defendendam summa ope concluserant. Ducis copiæ satis amplæ erant, è Longobardia enim quotidie miles accedebat, vt & de Sabaudiæ principatu: hocq; genus, contemtis quos ex suis regionib. probos multosque poterat, enixe conquirebat. Sed mors Conestablii

faciebat erga suos ei diffidentiam, quam aliæ accedentes opiniones hinc inde augebant. Tormenta habebat & multa & firma, magnaq; omniũ per exercitũ rerũ pompa & ostentatio, vt Legatis Italorum & Germanorum magnificum se faceret; supellectilem quoque omnem pretiosiorem gemmarum, vasorum, & aulici instructi, circumducebat. Ingentium facinorum machinas secum versabat, præcipue super Principatu tum Mediolanensi, in quo rebus suis conspiraturos putabat non paucos. Qui Gransonii erant post oppidum aliquot diebus obsessum & conquassatum, deditionem fecere ad lubitum Caroli; ille omnes ad vnum interfecit. Heluetii interea conuenerant, non magno quidem numero, vt ex ipsismet audiui; (neque enim populosa est pro existimatione multorum regio, & tunc quoque quam nunc minus erat. Successo enim tempore maxima incolarum pars militaria studia colendo patrio solo prætulerunt,) confœderatorumque pauci accedebant, opus enim festinatione erat, ob obsessum præsidium; cum iam conuenissent suorum cladem intellexerunt. Carolus contra consiliariorum suorum vota conclusit obuiam iis proficisci ad fauces montium, quibus adhuc obhærebant; singulari suo incommodo. Vbi enim erat cum exercitu, ea loca suadebant præstolari hostem, patentibus spatiis ad rem tormentis gerendam, & iis munienda castra, quæ & alioque Lacu propinquo firmabantur, vt nihil omnino ab iis esset periculi. Miserat centum sagittarios ad tuendum montanorum aditum; dehinc ipse se viæ dedit, obuiosque habuit Heluetios, pleroque exercitu adhuc in campestribus constituto. Primæ eius cohortes vt sequentibus se iungerent cœperunt retrocedere, quod ex postrema acie imbellior plebs militaris conspicata fugere eos censuit, itaque & ipsa fugam iniit. Sic paulatim vniuersæ copiæ campos repetierunt, nonnullis tamen

egregie

ægregie rem gerentibus. Ad finem, cum ad castra sua essent regressi, animum prorsus posuere, & omnes copiæ manifesta fuga ablatę sunt. Sic Germani & castris & tormentis tentoriisque Ducis & militum potiti sunt cum infinita pretiosarum rerum supellectili; nihil enim præter vulgus fugientium hominum seruatum est, omnibus tantis thesauris amissis. Mira res, septem tantum milites periere, reliqui cum ipso Duce fuga euasere. Melius de huius diei fortuna dici possit, Carolum eo omnem existimationem & partam bellis laudem amisisse, quam quod de Anglorum apud Pictauium victoria perhibetur, illa Iohannem Galliarum Regem, captum fusumque, vtraque harum pariter spoliatum fuisse. Hoc est primum insignius infortunium quod contigit in vita sua huic Principi: cæterorum omnium conatuum gloria & emolumentum penes ipsum fuerant. Quid damni ipsi dedit, suum secutum esse obstinatum consilium, spretis fidorum hominum consiliis? Quæ incommoda familiam eius hinc sunt secuta? quibus modis hinc decreuit? quibus porro etiam decrescere, in tempus longinquum poterit? Quot populi principesque hinc ipsi hostes sunt effecti? quorum plerique antehac amicos se ei vel præstabant vel fingebant? Et qua de iniuria bellum hoc exorsus est? Ea fuit plaustrum vnum ouillis pellibus onustum, quod Heluetio cuidam regionem suam transeunti Comes Romontius ademerat? Nisi ipse Deus hunc principem deseruisset, sane erat consultior quam vt tantillam ob rem tanto se periculo committeret, cogitasset enim vtique quam gentem oppugnaret, qualique ea ipsi modo satisfacere voluisset, nulla prorsus gloria vel ex deuicta ei reditura! Tum enim nequaquam ea qua nunc sunt æstimatione erant Heluetii, nemo enim ipsis egentior. Audiui Equitem quendam ipsorum, qui Legatorum ad Carolum priorum vnus fuerat, di-

centem, ſeſe Duci inter cætera pacis componendæ argumenta oſtendiſſe, ex Heluetiis deuictis nullum ad eum commodum peruenire poſſe. Regiones ſteriles incultasque eſſe, nec vllius ſpem captiui opulenti habendam; arbitrari ſeſe calcaria equitum, & capiſtra equorum in exercitu Burgundico maioris pretii eſſe, quam quo ſe redimere poſſent omnes ipſorum captæ regiones. Vt ad prælium reuertamur; Regi quod acciderat extemplo relatum fuit, habebat enim exploratores nuntiosque vndique multos, pleriſque mea manu expeditis; is magnopere gauiſus eſt, nec diſplicebat ei quicquam præter paucitatem interfectorum militum. Erat harundem rerum gratia Lugduni, vbi ex propinquo Regno ſuo conſulere poſſet, Burgundo aliquid mali illaturo. Timebat inſuper, prudentia ſua ſolita', ne vi armisque ſibi Heluetios adiungeret. Sabaudiæ res Carolus vt ſuas ordinabat. Inſubriæ Princeps ipſi erat confœderatus. Renatus Siciliæ Rex quod in Prouincia Galliæ tenebat, ipſi tradere volebat; quæ ſi contigiſſent, habuiſſet ab Occidentis ad Orientale pelagus regiones continuas aliquas in poteſtate, neque noſtri de proprio ſuo Regno potuiſſent exire contra voluntatem eius, qui Sabaudiam, Prouinciam, & Lotharingiam tenuiſſet, niſi maritimo itinere. Cuique horum nuntios mittebat Ludouicus. Ex vna parte erat Princeps Sabaudiæ, ſoror ipſius, Caroli ſtudioſiſſima: Ex altera Renatus Rex, qui ægerrime vel legatos Ludouici ſuſcipiebat, & omnia Burgundo remittebat. Mittebat inſuper ad Fœderatos Germanos, magna tamen cum difficultate, ob vias interceptas, & oportebat per mendicos, & talia genera hominum rem confieri. Ciuitates reſponderunt ſuperbiſſime; Dicatis, inquientes, Regi veſtro, niſi ipſe contra Carolum palam ſtabit, nos pacem bonam conueniemus, & ipſi erimus hoſtes. Hoc ne facerent extreme metuebat; Carolo

se autem hostem obiicere nolebat prorsus, quin formidabat quoq; ne de submissis per diuersa loca exploratoribus aliquid ad eum perueniret.

CAPVT II.

Quomodo post cladem Gransonianam Dux Insubriæ, Rex Siciliæ, Princeps Sabaudiæ, aliique, fœdus cum Carolo initum deseruerint.

EXhinc notandum erit quo pacto post hanc cladem hominum studia mutata fuerint, Ducis ipsius virtute cum confœderatorum voluntate inuersa, vtque Rex noster prudentissime omnia confecerit: Vnde egregium exemplũ inspicere poterunt adolescentiores Principum, qui nullo consilio res aggrediuntur, nullaque habita euentuum ratione, quam in se non habent in consiliis monitisque aliorum experientiam spernunt. Principio Carolus Contæum ad Regem misit cum suauib. humilibusq; verbis, qualia contra naturã & cõsuetudinem eius erant: videre itaq; licet quomodo intra horã vnam velut temporis fuerit conuersus. Rogabat regem vt inducias initas bona fide seruare vellet, excusans se quod ad colloquium non venisset, quod constitutum fuerat prope Aurisiodorum, pollicitus se breui vel eo vel quocunque Regi placuisset, venturum. Peramanter excepta sunt à Ludouico omnia, postulatis velut assensuro. Nondum enim videtur ipsi tempus ad contrarium quid audendum, namque & notam habebat subditorum in Carolum fidem, qua opinione citius omnia esset reparaturus, & cupiebat vltimũ finem harum rerum cernere vt neutri bellantium parti pacis occasionem ex se preberet. Contæus, quibuscunque bonis à rege dictis exceptus esset, non tamen poterat quin per ciuitatem multa l-

dibria audiret, vulgo de plebe hominibus cantiunculas in laudem victoris & victi stultitiam oggannientibus. Dux Insubriæ qui tum erat Galeacius audito quod euenerat, magna lætitia affectus est, quamlibet fœdere victo esset iunctus: fecerat enim hoc mero timore, videns quam per Italiam omnia Caroli rebus fauerent. Hic magna festinatione ad Regem nostrum misit hominem nulla specie, ciuem Mediolanensem, qui tertio quopiam interueniente ad me directus fuit cum litteris dicti Ducis. Retuli rem Regi, is mihi commisit hominem audiendum: non enim optimo in Insubrum animo erat ex quo suam amicitiam cum Burgundi mutauerat, licet ipsius soror esset coniux Reginæ. Expeditio huius nuntii erat intellexisse Galeatium Regem cum Burgundo in colloquium venire decreuisse ad pacem fœdusque inuicem faciendum, quod ipsi neutiquam gratum esset obuenturum. adiiciebatque argumenta complura Regem dehortatura, quorum sane tenue erat pondus. Ad vltimum conclusione sermonis adiecit, si placeret Ludouico non pacificare cum Carolo, præsentes millia centum Ducatos Regi numeraturum. Rex audita nuntii legatione me solo præsente ad se eum accersit, breuique respondet: vides hîc Baronem Argentonium, is mihi postulata tui principis retulit. Refer adhæc domino tuo, me pecunia ipsius non indigere, redire ad me annuos trium amplius annorum ipsius prouentus: Pacem bellumque meo me arbitrio habiturum. Verum vbi pœnitere eum perspexero desertæ meæ & cum Burgundo initæ amicitiæ, per me non stabit quin in pristinum omnia locum reuertantur. Legatus Regi amplissimis actis Gratiis agnouit nullam in eo esse auaritiam tanto fastigio indignam; supplicans placeret publicari fœdus recentatum ad omnes veteris articulos, sibi potestatem factam esse nomine Principis omnia firmandi, & ea

ipsum

ipſum Galeacium rata habitura. Aſſenſus eſt Rex, publicatumque eſt à prandio. Statim Legatus Regius Mediolanum miſſus eſt, vbi idem ingenti ceremoniarum ſolemnitate factum eſt. Hæc vna erat aduerſitatum Burgundi capitalium, & vnius ex illuſtribus hominis ab eo auerſio, qui nondum tribus hebdomadis dierum elapſis amicitiam eius ſumtuoſa miſſa Legatione ſibi confecerat. Rex Siciliæ Renatus animo habebat hæredem inſtituere Carolum, Prouinciamque Galliæ eius poteſtati tradere; vtque poſſeſſionem eius adiret iam miſſus erat Baro Chaſteauguiæus qui nunc eſt, cum aliis, in Pedemontium, mandato, colligeret quem poſſet militem, traditisque viginti in eam rem millibus Coronatorum. Rumore aduerſæ pugnæ allato hi ægre fuga captiuitatem euaſerunt, venitque Breſſæus illuc, qui dictam pecuniam recepit. Sabaudiæ Princeps re primum comperta, Renato Regi eam indicauit, firmans animum eius, & eleuans damnum. Nuntii hi ſunt intercepti, qui erant ex dicta Galliæ Prouincia oriundi, vnde patuit hæc cum Carolo Renati tractatio. Rex noſter extemplo militem ad oras Prouinciæ diſpoſuit, miſitque in Siciliam legatos vt Regem accerſerent, omnia amiciſſima pollicitus; ſecus, ſeſe armis rei proſpecturum. Renatus tantum argumentorum audiit vt ad Ludouicum ipſe veniret Lugdunum, vbi honorificentiſſime & peramanter exceptus eſt. Primo eorum colloquio adfui, dixitque Ioannes Coſſæus, Seneſchallus Prouinciæ, probus homo, nobilisq;, domo Neapolitanus, ad Ludouicum. Ne mireris, Rex, quod Dominus meus, auunculus tuus, Rex Renatus, obtulit inſtitutionem Burgundo in bona Regnumque ſuum. Hoc enim argumentis ipſum induxerunt Conſiliarii tum reliqui, tum cum primis ego, conſiderato quod, qui es ſororis ipſius filius, nepos & cognatus, tantum ipſi iniuriarum intuleris, raptis Barro &

Ande-

Andegauio,torque in omnibus negotiis ipsi damnis illatis. Placuit ea ratione nobis eo cum Burgundo rem vsque deducere vt non posset non in notitiam tuam peruenire, vt ita in memoriam officii tui redigereris, agnosceresque auunculum te habere Siciliæ Regem. Attamen rei efficiendæ nobis numquam fuit sententia. Rex hunc sermonem optime & sollertissime excepit, quem Cossæus ex rei ipsa veritate protulerat, erat enim totius rei penes ipsum auctoritas, Et paucis abinde diebus omnis discordia composita est, traditumque Renato aliquid pecuniæ cum omnibus suis ministris. Rex Gynæceo insuper eum induxit, & secundum ingenium omni exquisita diligentia tractari iussit, spretoque & abolito per omnia fœdere Burgundico cum ipso Duce, amicitia inter hos stricta & perpetua conclusa est. Hoc alterum ingens de paruo incommodo oriundum est infortunium. Sabaudiæ Princeps, soror Regis, longo iam tempore inimico in fratrem animo vbique nota, secretim nuntium misit Baronem Montangium, ad me directum, vt in amicitiam eius rediret. Per hunc caussas secessionis ab ea suæ indicauit, additis quarum rerum gratia Regem formidaret. Mulier erat sapientissima, & vera soror nostri Ludouici, neque prorsus à Ducis fauore resiliebat; videbaturque tempori obsecundare velle, & ad morem Regis, extrahere res, donec quorsum Caroli fortuna euaderet, posset esse certa. Rex præter morem amice compellationem eius excepit, responsumque per me dedit optimum & optabile; poscebatque vt ipsa adesset, remisso nuntio. Hæc tertia erat aduersitas Caroli, hanc quoque amicitiam illi auferre moliens. Per Germaniam vndique subnascebantur qui eidem se aduersarios declararent. Omnes ciuitates Imperiales, vt sunt Noriberga, Francofurtum, aliæque multæ, veteri nouoque fœderi Heluetico accesserunt contra hostem

ipſorum, videbaturque ingens operæpretium facturus quicunque Burgundo nocere poſſet. Spolia caſtrorum eius mirifice ditarunt egenos illos Heluetios, qui primo conſpectu non agnoſcebant quantum opum copiarumque ipſis fortuna eius diei obieciſſet, præcipue de plebe vulgus. Tentorium ſpecioſiſſimum & pretioſiſſimum toto fere mundo, in plura fruſta diſſectum eſt. Fuere qui magno numero ſupellectilem conuiuialem argenteam vili pecunia pro ſtannea venderent. Adamas ipſius, maximorũ orbis Chriſtiani vnus, cum appendente inſigni vnione, ab homine infimæ ſortis repertus, in dactylothecam ſuam remiſſus eſt: mox ſub plauſtrũ quoddã coniectus: vbi tamdem requiſitum floreno cuidam Sacerdoti vendidit. Hic magiſtratui miſit, qui tribus Francis redemit. Inſignes alias opificio & ſpecie gemmas adepti ſunt, inter quas tres fuere totidem fratrum nomine celeberrimæ: vna Flandriæ titulo illuſtris, qua non fuit alibi æſtimatior, cum infinitis bonis aliis, quæ docuerunt agreſtes homines pretium pecuniæ opumque: Victoriæ enim ipſorum & quibus à Galliæ poſt regibus honoribus donisque affecti ſunt, ingentes ipſis pecuniæ copias contulerunt. Quilibet ex Legatis ipſorum Regem noſtrum accedentibus hoc principio magna munera accepit, tam facto quam ſignato argento, quo modo perſuaſum eſt, ne contra ipſum ſentirent. Tum remitterentur marſupiis auro oneratis, ipſi ſerico panno amicti, ſtipendio inſuper promiſſo, (quod & exſolutum eſt, ſed exſpectato prius alterius conflictus euentu) conſtitutisque annuis quadraginta aureorum Rhenenſium millibus, dimidio pretio ciuitatibus exſoluendo, reliquo magiſtratus in iis gerentibus: Neque mentiar ſi dixero à Granſonenſi hoc prælio ad obitum vſque Ludouici in hos ſumtus plus decies centum millibus talium aureorum expenſum eſſe. Hic autem quatuor tantum ciuitates

tates intelligas, Bernam, Lucernam, Friburgum, Tigurum, cum Cantonibus, quos vocant, montanis, quorum vna est Suicium, pagus. Ex hoc pago oriundum noui hominem, qui cum cæteris Legationem obibat, vestitu prorsus tenui, cui ius tamen dicendæ sententiæ non minus erat quam cuilibet cæterorum. Alii Cantones appellantur Solodurium, & Ondreualdia.

CAPVT III.

Quomodo Heluetii prælio profligarint Carolum ad Moratum ciuitatem.

VT ad Carolum reuertamur; is contrahebat militem quacunque poterat; tribus vix dierum hebdomadis elapsis copias habebat non pœnitendas, ex iis qui præcedente conflictu diffugerant. Morabatur Losannæ vbi tu, Viennensium Antistes, consiliis ei aderas decumbenti ex dolore & tristitia contracto morbo, quem augebat pudor amissi tanti exercitus. Et, vti verum fateamur, non existimo eum postinde sani intellectus fuisse, tam quidem quam ante aduersæ pugnæ diem. De potente hoc amploque exercitu scribo quæ auditu comperi ex Principe Tarentino, qui præsente me rem Regi referebat. Hic Princeps anno fere ante venerat ad Carolum cum splendido comitatu, sperans nuptias vnicæ eius filiæ-hæredis. Specie quidem præ se ferebat verum Regis filium, tam corporis quam vestium habitu & stipatorum apparatu. Rexque ipse, Pater eius, Neapolis, operam dederat ne quid cultui eius neglexisse, aut parsimonia prætermisisse videri posset. Carolus hanc rem semper dissimulauerat, & tum Sabaudam maxime, filii ipsius nomine, sustentabat spe eiusdem, vt & alios. Quapropter idem Princeps, Fridericus Arragonius vocabulo,

bulo, eiuſque Conſiliarii expenſarum moræque tædio ad Ludouicum Præfectum quendam Militarem primarium miſerunt; hominem ſollertem & ſapientem, qui peteret licere ipſi data ſecuritatis fide tranſire ditionem Regis ad Patrem profecturo, à quo fuerit accerſitus. Rex facile aſſenſum præbuit. cui videbatur eam rem ad minuendam Caroli auctoritatem magnopere facere. Attamen, priuſquam reuerteretur nuntius, iam plurimi fœderis Germanici conuenerant; & caſtra caſtris Burgundi contulerant. Tarentinus valedixit Carolo veſpere conflictum præcedente, parens mandato Patris ſui: Priori enim prælio interfuerat, vt hominem cordatum decuerat. Etiam fuere qui veſtro conſilio eo inductum dicerent, Viennenſium Antiſtes; audiui enim affirmantem ipſum, cum ad noſtrum Regem veniſſet, & Duci Aſculi, quem Comitem Iulium appellare conſueuerant, pluribuſque aliis, ſuper vtroque prælio ad Italos te ſcripſiſſe quæ euenerint, multis antequam contingerent, diebus. Vt dictum eſt, ad diſceſſum huius Principis iuxta Burgundum caſtra poſuerant pars Fœderatorum Germanorum, qui venerant prælium cum eo commiſſuri, & obſidione Morati depulſuri, quod oppidum erat ditionis Romontanæ. Hi confœderati, vt mihi perhibuerunt qui adfuere, faciebant copias Triginta & vnius millium, militis lecti, & egregie armati. Hi erant vndecim millia contis vtentium, Decem millia haſtatorum, ſclopetariorum itidem decem, & quatuor Equitum. Nondum aderant qui exſpectabantur, neque præter hos pugnæ adfuere, cum hi ſufficerent. Dux Lotharingiæ his acceſſerat paucis comitatus, magno ſuo poſt emolumento, nam Burgundus tum omnia ipſius obtinebat. Eidem Principi optime euenit in aula noſtra faſtidiri, quamuis rem ipſam numquam edoctum arbitrer. Sed quum Potentium hominum aliquis omnia amiſe-

rit,cito tædio fit iis qui eum ſuſtentant. Rex noſter aliquam ei pecuniam donauerat, & Equitatu idoneo per mediam Lotharingiam deduxit ad Germanos, ſuis tum reuocatis. Neq; hic idem nō modo Lotharingiam, Vaudemontii Comitatum, & magnam Barrenſis partem amiſerat, ſed quod reliquũ etiam habuerat tenebat Rex, vt prorſus nihil ei ſupereſſet; quodque peius erat, omnes ſubditi eius iuramento ſe Burgundo addixerant ad ipſos vſque aulicos, vt parum ſubſidii ad recuperandas res ſuas ipſi reliquum eſſet. Tamen vbique iudicium ſibi reſeruat Deus ad tales res decidendas vnius ſuo arbitrio. Poſt diſceſſum itaq; à nobis Lotharingus cum aliquot dies itineri inſumſiſſet, paucis ante prælium horis ad copias Germanorum venit, comitatu, vt dictum, exiguo, magno ſuo exhinc commodo pene tum deſperatis rebus. Mox igitur ad confligendum acies proceſſere, iam enim tribus diebus Carolo Germani aſſederant, loco firmo & munito. Nulla fere opera exercitus Burgundi fuſus fugatuſq; eſt, neq; ſucceſſit res ad inſtar prioris prælii, vbi ſeptem ſoli milites fuerant interfecti, quia equitatu prorſus Heluetii caruerant. Sed hoc ad Moratum prælio quatuor ii millia Equitum habebant, bene inſtructorum, qui longe lateque fuſum militem Caroli perſecuti ſunt. Pari modo pedites peditibus eiuſdem collidebantur. In exercitu Ducis præter Anglos ſubditorumq; ipſius magnum numerum, ingens erat copia Pedemontani & Inſubri, recens collecti & adducti, militis. Et memorabat Regi Tarentinus Princeps non vidiſſe vmquam tam ſpecioſum exercitum; quem numerarat pontem quemdam tranſeuntem ſupra viginti tria millia ſtipendiariorum ſolorum feciſſe, exceptis reliquis, lixiſque & tormentariæ rei aſſiſtentibus. Mihi hæ copiæ ingentes videntur, quamlibet ſint quibus nihil magnum dictu eſt ſolum vt extendant rem, & ſine mente de exercitibus lo-

quan-

quantur. Baro Contæus, qui ſtatim à conflictu ad Regem venit, confeſſus eſt me præſente cecidiſſe ex parte ducis octo hominum millia, ſtipendiariorum quidem; & de plebe non paucos: Et quantum reliquorum reſcire potui ad octodecim ibi millia interiere; quod incredibile non eſt tam ob copiam Equitum, & Germanorum Procerum ſtipatores, quam & cæteros qui in obſidione Morati remanſerant. Dux fugam vſque in Burgundiam tenuit deſolatus miſerque, vt quiuis poterit æſtimare: Ibi præſidium quoddam iniit nomine Riuierium ad recolligendum, vt poterat, militem. Germani non vltra noctis ſuperuentum inſecuti, cum ea ad ſua caſtra ſunt reuerſi. *Locus interpolatus.*

CAPVT IV.

Vt post cladem ad Moratum Carolus capi iusserit Principem Sabaudiæ, vtq; illa custodia exemta & in suam regionem auxilio Regis fuerit remissa.

HOc infortunium ſpe pene omni Carolum exuebat, & ex re nata opinabatur omnes amicitiã ſuam deſerturos, fidẽ facientib. quæ trib. iſtis, inter Granſonienſe & Moratenſe prælium ſeptimanis, acciderant. Hoc timore nonnullorũ ex ſuis ſuaſu per vim adduci iuſſit Principem Sabaudam, cum vno filiorum ipſius, iam Duce eius prouinciæ. Maior natu ſubductus eſt à quibuſdã aulicis; qui enim vi hoc faciebant, faciebant tamen cum formidine, coacti omnia præcipitare. Carolum autem ad hoc mouebat timor ne ad fratrem illa Regẽ cõcederet, cauſſatus omnia hæc mala ſuperueniſſe ſibi, dum ſuccurrere familiæ Sabaudicæ ſtuderet. Sic Rouvrium prope Diuionem caſtrum adducta eſt, nonnullis ibi cuſtodibus ſeruãda. Tamẽ colloquio eius qui volebant admittebantur, interq; alios aderant Baro Chaſteauguiæus, & Mar-

chio Rôtelensis, nunc superstites; inter quos ambos duasque Sabaudæ filias nuptias conficere Carolus studuerat, quæ, licet tum nondum esset, postea tamen sunt peractæ. Filius eius Principis maior, tum Sabaudiæ Dux, Philibertus, Chamberium ductus est ab iis qui eripuerant, vbi tum morabatur Episcopus Geneuensis, & ipse agnatus ei familiæ, homo simplex, qui moderatore vtebatur Equite Rhodio. Rex cum hoc Antistite eiusque Moderatore eo egit vt Ducem Sabaudum, cum minuto quodam fratre, Protonotario nomine, cumque Chamberii Arce, & Mommeliano ipsius potestati traderent; habebat autem iam & seruabat iisdem aliud castrum, in quod omnem pretiosam suam supellectilem Sabauda redegerat. Quamprimum ea Princeps Rouvrium cum comitatu totius sui Gynæcæi & multis ministris esset adducta, videretque colligendo milite oppido quam impeditum Carolum, quique custodirent ipsam nequaquam debito solitoque erga Dominum suum metu cultuque esse, decreuit ad fratrem Regem mittere pacificandi gratia, oratumque vt inde ipsam eximeret. Non minus tamen formidabat magnopere eius potestati succedere, absque eo loco, quo attinebatur, fuisset: odium enim ingens intercesserat inter eam & fratrem. Nuntio in hanc rem vsa est nobili quodam Pedemontano, Riuerolio nomine, magistro Aulæ suæ, qui per homines certos ad me conductus est. Post eum auditum & nuntiato Regi quid peteret, intellexi ipsum velle colloqui hominem, quo facto, respondit Rex, tali casu non posse deesse sorori, remotis præteritis offensionibus: quod si cum ipso in fœdus venire vellet, Gubernatorem Campaniæ missurum, Baronem Chaumontii, tum Carolum Amboesium, qui eam ad te sisteret. Riuelorius propere discedens ad Dominam cum hoc nuntio reuersus est. Illam magnopere hæc exhilararunt, tamen secundum

cundum misit statim à recepto primo, nuntium, petitum fidem Regis, vt liceat ipsi à colloquio eius bona eius venia in Sabaudiam regredi, recuperato filio, alioque minuto, quem diximus, insuperque præsidiis suis, vtque auctoritatem in Sabaudiam ipsius Rex velit tueri. Sibi placere omnibus aliis fœderibus nuntium remittere, & Regis fratris amicitiam amplecti. Ludouicus omnibus postularis assensus est, eaque præstitit: & mox certum hominem ad Chaumontium misit, qui negotium conficeret, quod bene aggressum prospereque est confectum. Chaumontius enim idoneo cum comitatu nullo regionibus vicinis damno dato Rouvrium venit, Sabaudamque cum omnibus eam stipantibus proximo quo potuit loco in potestatem Regis traduxit. Rex cum posteriorem sororis legatum remitteret ipsi, iam Lugduno discesserat, qua in ciuitate totos sex menses fuerat commoratus vt sapienter illæsis induciis Burgundi conatus frangeret. Qui vero eius principis ingenium cognitum habuisset, affirmasset Regem maiore eum bello impetere, dum non impetitum pro lubitu grassari sineret, atque vndique hostis illi secretim excitaret, quam si aperto eum Marte fuisset aggressus. Si enim hoc facientem vidisset Carolus, deseruisset cœpta negotia, & ita ab iis pendentibus periculis se neutiquam implicuisset. Rex recto itinere à Lugduno Ligerim amnem petiit, quo Ruani inscenso Turonum venit. Vbi liberatione sororis comperta, lætatus est animo, misitque diligentia summa qui eam ad ipsum inuitatam deducerent, sumtibus itineris vndique de suo solutis. Cum prope venisset multos obuiam procedere iussit, quos ipse secutus ad Plessensium-ad-Parcam portam eam excepit, vultu perquam hilari dicens; Exoptatissimum nobis aduentum vestrum gratulor, Burgunda Princeps. Illa ex vultu & sermone agnito ioco, cordate respondit, genuinam se sanguinis

& pectoris Gallici esse, paratam per omnia Regi obsequi, quæ imperare ipsi luberet. Rex ad præparatum cubiculum ipsemet ductam regifice tractari iussit. Verum est summopere cupiisse ea exonerari. Mulier erat sagacissima, & inter se nouerant sese ambo optime. tamen plus etiam ipsa discedere desiderabat. Mihi Rex huius negotii curam commiserat: principio vt pecuniam conficerem eius sumtibus exsoluendis, vtque redire posset quo vellet, deinde pannum sericum: Secundo scripto committerem formulam fœderis, mutuæque in futurum concordiæ modum. Rex studebat dimouere eam dictis filiarum coniugiis; verum illa perstabat, caussata puellarum voluntatem, illac obstinatiorum. Et, veritate confessa, non male collocabantur. Rex earum cognita voluntate assensus est; Ipsa octiduum Plessii commorata, iuramentum fecit cum Rege mutuum in perpetuum post constituræ amicitiæ. ei rei datæ receptæque sunt litteræ, & valedictione facta recessit illa ad se, splendide deducta, restitutisque omnibus liberis, præsidiis, & supellectile, macta. Ambo gauisi sunt ab inuicem discedere, & ex eo per vniuersam vitam germanum in modum omnia sibi mutuæ dilectionis officia præstiterunt.

CAPVT V.

Vt Dux Burgundiæ aliquot septimanis solitariam vitam egerit, vtque interea Lotharingus recuperarit ciuitatem suam Nanceium.

VT constet Historiæ series, nunc ad Carolum reuertendum erit. Is à clade Moratensi. (anno M.CCCC LXXVI.) ad oras Burgundiæ recesserat in præsidium quoddam Riuieriũ nomine, vbi amplius sesquimensem com-

commoratus est denuo militem cogitans colligere. Nec tamen solita industria rem gerebat, sed solitarii instar vitam agebat, obstinato suo animo potius obsequens quã cuicunq; consilio, vt in exitum intelligetur. Dolor enim quem prioris ad Gransonium pugnæ clades dederat, tam anxiam ei mentem faciebat, tamque conturbabat spiritum, vt ægritudine grauem incideret, quæ tantum potuit, vt, (cum alioqui naturalis in eo calor & bilis tam essent potentes vti vinum numquam biberet, sed matutino tempore refrigerantia potu ciboque sumere medicamenta assueuisset) immutata velut natura vti pharmacis cogeretur calorem augentibus, merumque vinum biberet. Hinc quo sanguinem ipsi ad cor reducerent cucurbitas stuppis ardentibus plenas, pectori superduxerunt medici. Quæ omnia tibi, Viennensium Antistes, melius nota sunt, qui tum affuisti, nihil reliqui faciens vt leuares eum morbo; tuo etiam consilio, quam immiserat, barbam demi passus est. Meo arbitrio ab hac ægritudine numquam pristinum intelligentiæ vsum recuperauit, sed tristitia imminuit mentis acumen & usum. Et hæ sunt affectiones eorum qui post talia infortunia contemnunt quærere vera remedia, præcipueque Principes, suo ingenio superbi. His enim talibusque casibus primum sit ad Dei auxilium refugium, reminiscenti peccata sua, & agnitis eis ad impetrandam veniam supplicanti. In huius quippe potestate siti sunt exitus talium rerum, in cuius iudicio omnes sunt rei, ipse solus nulli errori subditus. Ab hoc proximum sit remedium alloqui ex amicis suis præcipuos, iisque audacter mala sua proponere, nullo pudore vetante doloris ingenium secreto fidoque pectori manifestare, hinc enim cor affectum sentit mali leuamen, & robur readsciscit, redeunt-

que ſpiritibus vires, conſilio hominis beneuoli audito. Quod ſi neque hoc erit, remedium capiemus ab exercitiis & labore corporis, palam enim aut ſecretim certe diſcutiendi ſunt dolores adhibitis idoneis, licet quandoque grauioribus, ſubſidiis, cum humanitus omnes patiamur quæ nolumus. Minime vero omnium hac via erit eundum quam Carolum inſtitiſſe memoramus, vt abdat ſe quiſpiam fugiatque contubernium humanum, ſed triſtitia omni modo pulſa, curæ ſenſibus gubernandæ erunt, nulla morum auſteritate admiſſa. Iſte quippe cum terribilem ſe omnibus faceret ſuis, nemo audebat accedere, & conſilio operaque laboranti ſuccurrere, ſed omnes ſinebant eum ſuo ingenio viuere, timentes infortunium interpellanti paratum. Hoc ſeſquimenſe, quem cum paucis tranſigebat, non iniuria tantis duobus conflictibus inferiorem ſe dolens, cum vndique ipſi noui hoſtes conſurgerent, amicique decederent, ſubditi eſſent diſiecti & turbati, aut in Dominum maligna quæque dicerent, contemtu eius ex re præſente aucto, (vti moris eſt talibus aduerſitatibus,) plura oppidula Lotharingiæ capta & ſpoliata ſunt, vt Vaudemontium, Spinalium, aliaque, & ex omni latere cœperunt agmina concurrere ad conculcandum iacentem; inertiſſimo quoque & improbiſſimo audaciſſimum & fortiſſimum gerente: quæ res animum addidit Duci eius regionis vt collecto, quem poterat, milite & iuncta oppidana paganaque plebe, caſtra ad Nanceium poneret. Minutas circum ciuitates fere omnes tenebat, Carolo tamen adhuc Ponsmuſſonius parebat, quatro milliari à Nanceio. In obſeſſo hoc erat probus vir ex Croiorum familia, Bevræus titulo, cuius miles vndique conuena. Inter cæteros Anglus quidam, Cohinus nomine, humili domo, ſed præualens viribus & fortitudine ibi morabatur, quem ex præſidio Guinæi in miniſterium Caroli

cum

cum aliis traduxeram. Hic Cohinus præfectus erat tre-
centorum Anglorum cohorti; hi quamlibet non admo-
dum premerentur ab obſidente tormentis, aliisve in-
commodis, moleſte tamen ferebant Carolum tantum
extrahere ſuccurſum, & certe inepte prorſus faciebat
tam diu ſine ope eos relinquens. Vbi enim ſedebat, pro-
cul locus erat Lotharingia, minusque inde nihilo pote-
rat obſeſſis prodeſſe. cum vtique ſapientius egiſſet in tu-
endis quæ poſſidebat, quam Heluetiorum rebus impu-
gnandis, ſtolido vindictæ ardore. Sed obſtinatio animi
maximis eum damnis inuoluit, quodque ſolo ſuo arbi-
trio omnia ageret, conſiliis omnium aliorum contemtis.
Sic quocunque modo ſollicitaretur ad ſuccurrendum
Nanceio, ducebat tempus tamen abſque omni vrgente
neceſsitate Riuierii ſedens tot dies: quod ſi conſilium
ei adfuiſſet, facile obſidione Lotharingum pepuliſſet.
Paucos enim is milites habebat; & plurimum Carolo
ſeruata Lotharingia contuliſſet, per eam enim de infe-
rioribus ſuis prouinciis potuiſſet pro lubitu tranſire in
Burgundiam. Sed deſeruerat eum cum conſilio perſpi-
caciaque ſolitis ipſa etiam fere ratio. Dum obſeſsi præ-
ſtolantur auxilium, Cohinus, quem dixi, Anglorum
præſidiariorum præfectus, tormento interemtus eſt; in-
genti damno Ducis Burgundiæ rerum. Vnius enim ſæpe
hominis virtus Principis alicuius ab infortunio ſtatum
conſeruat, quamlibet is neque familia illuſtri ſit oriun-
dus neque abundet diuitiis, modo virtute & intelligen-
tia polleat. Hoc interfecto Angli extemplo cæperunt
deſperato auxilio alienare animos, & loqui maligne,
vtpote ignotam habentes Lotharingi imbecillitatem, &
grandia remedia reparandi exercitus penes Carolum.
Sed propter non paruum tempus quo extra Inſulam
ſuam ea gens bellum non geſſerat vllum, non intellige-
bant obſidionum rationes; itaque ad vltimum de dedi-

tione verba fecerunt; dixeruntque ciuitatis Gubernatori Breuæo, nisi rem componeret cum hoste, ipsos sua sponte transacturos. Licet iste probus homo esset, virtute tamen non erat singulari, idcirco ad preces & argumenta descendit persuasurus videlicet militi quæ imperanda fuerant. Mihi certe sic videtur, si audacter præsentique animo respondisset meliore rem loco exitum fuisse sortituram: Forte & Dei aliud fuerat consilium; si enim tertium vltra diem officio stetissent, superuentu auxiliorum soluta fuisset obsessio: Sed exceptis militum corporibus & bonis, ciuitas, assensu Gubernatoris, Anglorum postulatu, Lotharingi reddita est in potestatem. Postridie Burgundus appulit pro tempore præsenti bene instructus, Luxemburgo enim copiæ illi quædam subuenerant, collectæ per omnes prouincias ipsius; Et Lotharingum quidem imbecilliorem facile submouit; rediit tamen illico ad obstinatos mores suos, & Nanceium denuo obsedit, vtilius rebus suis consulturus si omisisset. Sed Deus insolitis animos Principum voluntatibus auertit, quorum mutare res decreuit. Sane si consilio vti Carolus voluisset, circa Nanceium minutis oppidis præsidia imposuisset, eaque ciuitatem breui facile ratione recuperasset, pessime enim victualibus instructa erat, & nimia multitudine hominum sese ipsam euertisset, sicque suum etiam exercitum commode refecisset, Verum ipse aliter rem aggressus est.

CAPVT VI.

De scelerata perfidia Comitis Campobachii, & quemadmodum impedierit Nobilem quendam hominem eam Carolo reuelaturum, antequam suspenderetur. Vtque idem Carolus spreuerit Regis Ludouici paris argumenti commonefactiones.

Interea

INterea dum Nanceium Carolus obſidet (infeliciſſimo euentu ipſi, ſubditisque ipſius & pluribus aliis ad quos tum res eius etiam non pertinebant.) multi ex familiaribus in eum cœpere dira machinari, iamque vndique hoſtes conſurgebant. Præ cæteris Nicolaus Comes Campobachius, Neapolitano ex Regno, vnde in exſilium fuerat eiectus, quem poſt Nicolai Calabriæ Ducis obitum in cuius miniſterio fuerat, ob ſtudium familiæ Andegauenſis, Burgundus ad ſe receperat, cum non paucis Aulicorum idem agebat. Hic comes pauperrimus erat, vti alibi quoque dixi, tam à pecunia quam poſſeſſionibus. Huic, cum ſuſcepiſſet primum, quadraginta millibus Coronatorum datis Carolus commiſerat in Italia cogere quadringentos Lancearios Equites, quorum poſt ipſe foret Tribunus: Inde non deſiit homo ſceleratus mortem Domino ſuo moliri; quo propoſito ad eum vſque diem non deſtiterat. Videns vero Ducem rebus aduerſis conuulſum, Lotharingo eiuſque Præfectis Militiæ, tum Regiis per Campaniam Officiis aſſitis exercitui Burgundico, conſilia ſua de nouo communicauit. Lotharingo promiſit eo rem redacturum ne Nanceii obſidio procederet, impedimenta enim neceſſariarum rerum tam ad tormenta quam alio pertinentium iniecturum: quod facile ſibi eſſe, cum principale per copias munus obiret, & apud Carolum ſumma eſſet auctoritate. Noſtris etiam altiora ſpondebat; viuum capturum, aut occiſurum Dominum videlicet ſuum, cui rei conficiundæ pretium poſtulabat opimum quempiam Comitatum, ſtipendium Lanceariorum ſuorum ordinarium, & viginti millia Coronatorum præſentia. Dum hæc negotiatio verſatur, nonnulli de Lotharinga nobilitate moliti ſunt obſeſſam vrbem intrare: nonnulli propoſitum tenuerunt, quidam intercepti ſunt. Capto-

Captorum in numero fuit Cifronius,qui Campobachii cum Lotharingo nundinationes omnes duxerat. Carolus imperauit hunc è veſtigio ſuſpendi,affirmans ex quo Princeps aliquis obſeſsione incepta tormentis aliquam ciuitatem concuſſerit,qui eam voluerit intrare,iure belli mortis ſupplicium commeritum. Quo tamen iure in noſtris nos bellis non vtimur, licet crudeliora Italis Hiſpanisque geramus,quorum in regionibus hæc conſuetudo ſeruatur. Quicquid huius ſit,Carolo placuit Cifronium ſuſpendi. Hic cum perſpiceret effugium nullum eſſe,ſeque ad certam mortem duci, nuntiari Duci iuſsit,ſi placeat ipſum audire, indicaturum rem ad ſalutem eius pertinentem. Nonnulli ſermonem hunc Carolo retulerunt, quibus forte fortuna Campobachius factus eſt obuiam,cum iam prope principale cubiculum eſſent.Forte fortuna dixi, cum poſsit tamen vt Cifronii captiuitate comperta, dedita opera ſe obiecerit ſceleroſus homo ab eo venientibus,metu facinoris euulgandi,quod vtique, vt gnarus totius, indicaturus erat Cifronius.Dux reſpondit, non alia cauſſa hæc fieri,quam vt moras moriendi captiuus necteret, iuberent ipſis indicari ſi quid tale noſſet. Campobachius affirmare effatum Caroli,qui cum Secretario quodam ſoli aderant;& ſcelus hominis totius exercitus ſupremam à principe Curam habebat.Cifronius reſpondit non poſſe ſe præterquam Duci ipſi quod ſciret edicere. Quo audito denuo Carolus mandauit vt ſuſpenderetur. Quod cum exſequi quibus incumbebat vellent, iamque ad mortem duceretur,plures miſer conteſtatus eſt pro ſe intercederent apud Dominum ipſorum, indicaturum ſe certo rem, cuius notitia Regno integro occupato Carolo futura eſſet vtilior.Non pauci,qui nouerant Cifronium, moti ſunt miſeratione & perrexerunt vt Carolo indicium facerent,vt audirentur eius promiſſa: Sed impurus ille

ille nebulo ad oſtium cubiculi lignei, in quo hoſpitabatur Carolus, conſtiterat, ſeruaturus ne quis intraret; vetuitque valuis accedere qui volebant, dicens: Principis mandatum eſt vt illico homo ſuſpendatur, miſſuſque nuntius vrgebat apparitorem ad ſuſpendendum eum. Sic Cifronius cum ſuo ſibi indicio ſuſpendio interemtus eſt: quæ res crudelitatis notam inſignem inuſſit Carolo. Meliusque vtique fuiſſet & humanius ſupplicis audiſſe promiſſa. Quod ſi feciſſet forte nunc quoq; & ipſe viuis intereſſet, & res ſuas meliore loco collocaſſet, conſideratis quæ in hoc Regno ſunt inſecuta. Enimuero credibile eſt Deum hæc aliter diſpoſuiſſe poſt improbum & illiberale facinus Ducis paullo ante tempore in tradendo contra datam fidem Coneſtablio patratum; cuius hiſtoriam ſupra his Commemorationibus inſeruimus, non enim contentus ipſum hoſti dedidiſſe, omnes illius inſuper litteras, documenta irrefragabilia ſecuturæ necis, ſimul tranſmiſit. Quamquam enim iuſtam habebat cauſſam eius hominis capitali odio proſequendi, mortemque procurandi, multis rationibus, longis recenſeri, poterat tamen omnia conficere citra, quam mox violaret, dandam fidem; & omnes eæ rationes quas in hanc rem producere poſſim non ſufficient excuſandæ læſæ promiſſionis; & honoris inſuper-habiti, cum contra vtrumque ceperit Carolus & vendiderit per auaritiam Coneſtablium, non ſolum vt recuperaret eo modo Sanquintinum, & bona ipſius nanciſceretur, verum etiam ob aliter vix capiendum Nanceium, cum prima eam vice obſediſſet: Nam poſt multas tergiuerſationes tamdem Coneſtablium tradidit metu exercitus quem in Campania Rex habebat, qui facile illam obſidionem ſoluiſſet. Et Rex minabatur ipſi tale quid per legatos vrgens quod conuenerat, vt prior qui Coneſtablio potiretur intra octiduum traderet ſocio, aut interficeret. Carolus

autem

autem eum terminum multis iam diebus transierat, & sola ambitio potiundi Nanceii adegit eo homini tradendo, vt superius declaratum est. Pariter itaque prorsus vt in eodem loco crimen hoc contra iustitiȩ tenorem commiserat, postquam obsidione denuo eam ciuitatē cinxit, & inauditum suspendio damnauit Cifronium, instar hominis iam perditis sensibus, inibidem quoque per scelus eius cui maxime confidebat circumuentus & morti traditus est; nec iniuste quidem si consideres quæ de Conestablio & Nanceio modo scripsimus. Sed huius rei indicium penes Deum esto, neq; ego me interpono, solū hæc illustrādi propositi mei enarrans, simul vt moneam quēlibet probum Principem, ne vmquam illiberali & fastigio suo indigno tali facinori assentiatur, quocunque etiam modo consiliarii nonnulli suadeant. Sæpe sane fit vt adulantes ii consilia ad ea flectant, quæ placitura Principi vident, aut quia non ausint ipsis contradicere; sed his considerandum erit patrata re; omnino displicituram ei qui fecerit, ob oculos ponenti vltionem diuinam & hominum raro non sequentem. Et mihi hoc genus Consiliantium quo longius à Principe absit, hoc eum securius viuere facere videtur. Audiuistis iam quo pacto Deus rerum humanarum Gubernator Campobachium hunc constituerit vindicem Conestablii cōtra fidem datam à Carolo ad necem traditi, eodem in loco, pari prorsus negotio, adeoq; longe etiam crudeliori euentu. Vt n. contra sponsionem & Fidem tradidit eum vt occideretur, sic eius cui omnium maxime credebat perfidia proditus est, quem ipse senem & egenum, & nullius in tutela viuentem, susceperat, annuisque per manum eius centum millibus Ducatorum militibus suis stipendium præstabat, exceptis aliis officiis & honoribus ei collatis. Cum nundinationem istam ordiretur, in Italiam proficiscens, acceperat Campobachius à Carolo qua-

quadraginta millia Ducatorum ad conſcribendum militem, inde ad exſequendum ſceleſtum propoſitum duobus ſe locis applicuit, Primo ad Simonem quemdam Pauienſem, Lugdunum, deinde in Sabaudia ad alios, de quibus dictum eſt ſupra. Cum rediiſſet, milites eius nonnullis oppidulis in Comitatu Marlenſi, qui eſt ad Laudunum, illocati ſunt, vbi machinas ſuas redorſus eſt, oblatione omnium, quæ poſſidebat, locorum; vel, ſi contingeret Regem in aciem contra ſuum Dominum prodire, futurum certum aliquod inter eos indicium, quo percepto ipſe contra Carolum ſe pro Rege verteret cum omnibus ſuis copiis. Hoc alterum nequaquam nimiopere Regi placuit. Ad hæc offerebat quamprimum caſtra poneret Carolus capturum aut occiſurum ſe eum, cum circumequitaret exercitum viſitatum. Certe extremo hoc minime fefelliſſet, Carolus enim in more habebat quamprimum equo deſcendiſſet, quo loco hoſpitaturus eſſet, corpore armaturam demere reliquam, ſeruato autem ſolo thorace, aſturconem quemdam adſcendere decem ad ſummum ſagittariis comitantibus, iiſque peditibus; nonnumquam ex cubiculariis duo aut tres nobiles eum ſequebantur, & ita totum circum equitare exercitum, vt videret an caſtra ſatis eſſent obmunita: eoque pacto non difficulter Campobachius decem Equitib. ſolis executus fuiſſet propoſitũ. Rex perſpectis cõtinuis machinis quib. ſcelus ſuum idẽ vrgebat, cũ res per inducias alioqui tractaretur, neq; ſcire poſſet quo fine hæ oblationes fierent, decreuit Carolo oſtendere Liberalis & Regii animi teſtimonium, & per Contæum, cuius ſupra ſæpius mentio facta eſt, indicauit ipſi omnem Comitis ordine machinationem. Id factum eſt me præſente, neque dubium habeo Contæum Domino ſuo omnia optima fide retuliſſe. Carolus vero in contrariam ſententiam

cuncta

cunctaaccepit, dicens, si vera essent, à Rege minimi fuisse renuntiata. Et hoc factum est diu ante secundam Nanceii obsidionem, putoque Carolum Campobachium numquam hoc nomine compellasse; non enim mutauit vmquam propositum.

CAPVT VII.

Quo pacto Dux Lotharingiæ stipatus bono Germanorum Numero, San-Nicolaum, dum Nanceium obsidetur: Et Rex Lusitaniæ qui erat in Gallia, in castra ad Burgundum visitandum, venerint.

VT ad principale nostræ Historiæ institutum regrediamur, sciendum est Nanceium hyeme iam adulta paucis copiis à Carolo fuisse obsessum: eæ copiæ non solum numero, sed armis etiam & stipendio non soluto parum idoneæ erant rei præsenti, & plurimi Procerum contra Ducem occulta consilia moliebantur; generatimque vniuersis displicebant actiones eius, vt solet humanum ingenium mutari cum fortuna, vti iam ante etiam narratum est. Nemo tamen in ipsum Principem eiusve dignitatem audebat aut cogitabat aliquid præter scelerosum illum Campobachium, neque infideles erant ipsi subditi. His in angustiis Burgundo constituto cum veterioris fœderis Heluetiis egit Lotharingus, vt militem concederent conflicturo ipsi ad Nanceium. Omnes eius ciuitates eo animos inclinauerant, neque restabat quicquam nisi vt pecunia conficeretur. Rex per Legatos eum confirmabat, ad Heluetios missos, vtque aliquid nummorum Germanis obiiceret quadraginta millia Francorum ipsi suffecit; adhæc Baro Cranius Præfectus Campaniæ in Barrensi territorio erat cum octingentis circiter Lancearis Equitibus, & Sagittariis non paucis,

sub

ſub ducibus eximiis. Tantum ergo ſubſidio Regis effecit Lotharingus vt ingens Germanorum numerus tam peditum quam Equitum ſignis ſuis ſuccederet, partim ſtipendia ab ipſis Ciuitatibus habituri: præterea multi cum eo erant de nobilitate Gallica, & dictæ Regis copiæ apud Barrenſes neminem quidem lædebant, rei tamen exitum non fruſtra ſpeculabantur. Eo exercitu Lotharingus prope Nanceium ad SanNicolaum venit, caſtra Burgundo vicina metatus. Iam nonum circiter menſem in Gallia erat Rex Luſitaniæ, cui fœdus cum noſtro erat aduerſus Hiſpanum, qui nunc rerum ibi potitur. Is Princeps venerat ſpe à Ludouico impetrandi ingentis exercitus ad bellum Caſtiliæ inferendum, per Biscayam aut Nauarræ regnum. Habebat enim multa oppida in Caſtilia ad limites Luſitaniæ quarum quædam etiam vicina erant nobis, vt Caſtrum Burgenſe, & alia non pauca. Quod ſi Ludouicus ei adfuiſſet, vt aliquando voluit, vtique ad deſtinatum finem res ſuas exegiſſet. Sed Rex noſter voluntatem ei aſſiſtendi paullatim amiſit, ſuſtinuitque diu Luſitanum ſpe meliorum temporum, inter quam annus integer elapſus eſt. Eo pendente tempore deteriores factæ ſunt res huius Principis in Caſtilia, cum enim ad nos proficiſceretur plerique omnes Regni eius Proceres ipſi ſtudebant, qui, videntes tam diu morantem, ſenſim ſententiam deſeruerunt, donec in tranſactionem venere cum Ferdinando Rege, & Iſabella Regina. Ludouicus excuſabat ſe de promiſſo conſponſoque auxilio belli vicinia quod in Lotharingia gerebatur, oſtendens metuendum ſibi, ſi Caroli res refloreſcerent, ne odium vetus nouo in ſe bello exoneraret. Itaque miſer hic Luſitaniæ Rex, homo probiſſimus & iuſtiſſimus, ſumſit animum ad agnatum ſuum Burgundum ſe conferendi, & eum cum Rege noſtro in ſtabilem per omnia Concordiam redigendi, vt ita Ludouici ſubſidio ſua reciperet;

 ciperet;

ciperet: Pudebat enim ipsum infecta re in Lusitaniam aut Castiliam reuerti. Valde enim facile se huic itineri dederat, & contra sententiam plerorumque consiliariorum. Sic ad Carolum profectus est, hyeme iam prouecta, appulitque in castra eius ad Nanceium. Hinc orsus est proponere Duci quæ ex Rege nostro audierat ei pacificationi conficiendæ: offendit autem res adeo difficiles esse, vt per omnia fere dissentirent Principes dicti. Itaque apud agnatum suum vix integro biduo moratus Lutetiam redire studuit vnde aduenerat. Burgundus rogauit vt aliquantisper etiam subsisteret secum, dum proficisceretur PontMussonium, ad transitum illic vetandum Lotharingo, quem cum Germanorum copiis aduentare, iamque SanNicolai esse non ignorabat. Abnuit hoc Lusitanus, caussatus non esse instructum ad talem expeditionem, & sic Lutetiam rediit; vbi diu præterea commoratus ad finem suspicionem cepit Regem id moliri vt captum ipsum mitteret hosti in Castiliam, itaque duobus solis comitibus mutato habitu statuit Romam proficisci, & includere se cuidam Monasterio. Eo habitu profugiens captus est à quodam Robineto Brussio, Normanno natione. Rex noster ea re contristatus est, & pudorem ipsi indignitas rei mouit, quare non paucas naues ad oras Normanniæ instrui iussit, Georgio Legerio dato mandato iis reducendi hospitem suum in Lusitaniam, quod & is confecit. Caussam belli in Regem Castiliæ ipsi dabat sororis filia, neptis sua, nuptæ Henrico Castiliæ Regi, vltimum defuncto. Huic huius sorori erat speciosissima filia, & nunc quoque est, in Lusitania cælebs, degens, quam Regina Isabella, dicti Henrici soror, deturbabat hæreditate Regni Castiliæ, affirmans ex adultero à matre conceptam. Multi eiusdem opinionis erant, caussantes Henricum ineptum procreandæ soboli

fuisse,

fuiſſe, quodam argumento, quod narrari non attinet. Vt vt id fuerit, non obſtante eam puellam ſub velamine matrimonii natam eſſe, Regnum tamen Caſtiliæ manſit penes Iſabellam regemque Arragonium & Siciliæ, maritum eius, nunc quoque id obtinentem. Rex autem Luſitaniæ ſtudebat dictam puellam, neptem ſuam, matrimonio iungere Ludouici noſtri filio, Carolo Octauo, nunc Galliæ Regi, quæ & præcipua cauſſa fuit aduentus eius in hoc regnum. Ea res ipſi magno conſtitit, obiit enim vix modo in Luſitaniam reuerſus. Quapropter, vt initio etiam horum librorum diximus, Principi magnopere conſiderandum eſt qualibus Legatis res ſuas expediendas committat: Si enim hi qui nomine huius Regis ad noſtrum ante venerant, hoc fœdus confecturi, (quibus præſens adfui, vt vnus eorum quos rei Ludouicus præfecerat) ſapientia ea fuiſſent, vt huius Regni negotia vſumque prius didiciſſent quam Domino ſuo profectionem ſuaſiſſent, damna iș ingentia vtique vitauiſſet.

CAPVT VIII.

Quo pacto Dux Burgundiæ nolens monitis Procerum ſuorum parere, fuſus, fugatus, vitaq; exſutus fuerit in conflictu cum Lotharingo ad Nanceium.

OMittere poteram hanc hiſtoriolam, niſi ſtuduiſſem ſimul cum ea oſtendere multa prius deliberanda eſſe Principi quam ſe poteſtati alterius ſubmittat, neq; facile ipſimet proficiſcendum ad ſollicitanda auxilia. Luſitanus ergo vix vnius diei itinere caſtra Caroli reliquerat, cum Lotharingus & Germanorum copiæ mouerunt San Nicolao, ad confligendum cum Burgundo. Eodem die iiſdem obuiam venit Campobachius, vt fine

ſceleris potiretur, transfugiens à Carolo cum octoginta Cataphractorum ala, nihil aliud dolens quam quod peius nihil in Dominum ſuum deſignare eouſque potuiſſet. Qui Nanceii obſidebantur proditoris conſiliorum omnium conſcii erant, quare animis ad toleranda omnia firmabantur: Præterea per foſſas intrauit miles quidam, auxilia adeſſe nuntians: ſine his vtique in eo res erant ipſorum, vt iam de deditione cogitarent; quod ſi abſque perfidia Campobachii fuiſſet, iam tenuiſſet vrbem Carolus. Deo vero placuit hoc conficere negotium. Carolus, aduentu hoſtis intellecto, concilium ſuorum aliquantiſper habuit, citra quidem morem ſuum, nam plerumque ſuo arbitrio res gerebat; plures inibi ſuaſerunt vt Ponmuſſonium ſe reciperet, quod propinquum eſſet oppidum, & minuta alia circa Nanceium præſidiis muniret, affirmantes Germanos quamprimum neceſſaria victui obſeſſo oppido intuliſſent, abituros, neque rem pecuniariam Lotharingo longo tempore tam promtam futuram, vt alias copias colligere poſſet. Nanceii autem refectionem tam locupletem minime futuram, vt hyeme vix dimidia elapſa in eaſdem, quibus modo eſſent, anguſtias denuo redigi non poſſent obſeſſi: Interea ſpacium ipſi futurum ad augendas copias: audiui enim ex iis qui adfuerunt totis Burgundi caſtris vix quatuor millia militum fuiſſe, in quibus non vltra mille ducentos conflictui idoneos. Pecuniæ quidem ſatis erat Duci, nam in caſtro Luxemburgenſi, quod non longe aberat, quatercentum & quinquaginta Coronatorum millia depoſuerat. Sed Deus noluit ei ad ſequendum ſapiens hoc conſilium fauere, neque vt poſſet tot hoſtes agnoſcere quibus vndique verſum cinctus erat: itaque peſſimum factu elegit, ſuaſuque ſtolidorum hominum fortunam pugnæ tentare decreuit, contemto indicio manifeſti periculi ab ingenti numero Germanorum qui

cum

cum hoste erant, Regisque copiis prope castra habentibus. sic in prælium cum paucis & perculsis militibus processit. Campobachio, quamprimum ad exercitum Lotharingi appropinquauit, Germani nuntio misso indicarunt vt recederet, neminem enim proditorem ipsos pro militiæ socio habituros, sic Condæum, in vicinia castrum, se retulit, vbi transitus erat; quem palis plaustrisque vt potuit obmuniit sperans pulso Burgundo vel ipsum vel militum eius nonnullos in potestatem suam ibi venturos, quod posterius & factum est. Non erat hoc principale perfidi hominis consilium quod cum Lotharingo iniuerat, verum paullo ante transfugium suum, aliis indidem collocutus est, cumque iis conclusit (quoniam videret Ducis vel occidendi vel in potestatem redigendi occasionem non esse) ad hostem transeundum, cum ingrueret confligendi necessitas: Non enim prius volebat vt eo maior terror totum Caroli exercitum percelleret: Hoc vero pro certo habebat eumdem profligatum minime effugiturum, seseque fidos sibi quindecim circiter homines penes eum relicturum, quorum aliqui fugam ordirentur, visis ingruere Germanis, alii non flecterent à Carolo oculos fugiente, vt eum interficerent: ita rem minime posse secus cadere, Mihi noti erant duo tresve eorum qui ad occidendum Principem remanserant. Post sceleratissimas has proditiones conclusas in castra rediit, & mox transiit ad Lotharingum cum videret accedere Germanos, ab iis autem cum propudio reiectus, Condæum se retulit, vti dictum est. Germani aduentabat cumque his magnus Equitum nostratium, eodem missorum, numerus. Plures alii in insidias se contulerunt prope pugnæ locum, vt visa Burgundi fuga captiuum aliquem opulentum exciperent, aliamve aliquam prædam. Ita quilibet videt in quod se infortunium miser coniecerit, contemtis consi-

liis, Carolus. Cum aduersæ acies constitissent, Burgunda, quæ iam bis profligata fuerat, pessime insuper instructa & animata, nullo negotio in fugam extemplo propulsa est. Maior numerus cladem euasit, cæteri interfecti sunt, aut capti: inter illos cecidit in acie ipse Dux: modum cædis narrare nolo, quoniam ipse non adfui; sed ea mihi recensita est ab iis qui ex equo deiectum viderunt, neque succurrere potuerunt, capti quippe ab hoste ipsi. In horum conspectu interemtus non est; Sed à superueniente ingenti agmine militum, qui cæsum in turba dispoliarunt, non agnitum. Hoc prælium factum est quinto Ianuarii mensis die, vigiliis Trium Regum sacro, anno Chriàiano. M. CCCC. LXXVI.

CAPVT IX.

Digreßio de quibusdam Caroli virtutibus, & de tempore quo familia eius floruit.

OFfendi postea Mediolani annulum, quem sæpe à collo ipsius pendentem notaram; inerat ei gemma affabre auro clausa, insignibus domus Burgundæ insculpta, Vendiderat eum duobus ducatis in ea ciuitate quidam. Collo ipsi detraxerat malefidus quispiam ex cubiculariis. Vidi ipsum sæpius indui atque exsui vestimentis, cum summa honorificentia ab illustribus hominibus; sed suprema hac fati hora reliquerant eum omnes honorum delationes, ipseque cum tota domo sua pessum procubuit, vt dixi, in vicem eius quod per auaritiam paullo ante ad mortem tradiderat Conestablium. Deus ipsi condonet peccata. Mihi conspectus est magnificus honoratissimusque Princeps, & tantæ æstimationis, tamque vicinis venerabilis suo tempore illo, quam

quam nullus alius toto Christiano orbe , si non & vlterius. Qua de caussa potissimum iram diuinam incurrerit,eam ego puto , quod omnes honores atque opes dignitatesque quibus dotatus erat in vita sua , autumaret de suo sibi ingenio prouenire suæque virtuti accepta ferret omnia, non rescribens quicquam Deo , cui omnia debebat. Profecto autem virtutum erat neque paucarum neque obscurarum. Nemo vmquam eo Princeps animosior fuit magnam alere illustrium hominum copiam,idque ordinatim & sub regulis egregiis. Beneficia eius ideo ingentia non erant quod ad omnes inde aliquid peruenire volebat. Non fuit qui liberalius promtiusque audiret ministros subditosque suos. Quo ego ei tempori adfui minime crudelis erat; sed sub mortem talis est factus, indicio propinqui interitus: In vestitu arrogans, vt in aliis plerisque rebus , fere vltra modum. Insigni honore afficiebat Legatos , & peregrinos: In aula eius hi vtrique splendidissime habebantur. Gloriæ incredibili desiderio feruebat,cuius gratia præter omnes alias res pleraque bella incepit: maxime cupiebat similis esse priscis Regibus & Ducibus, de quibus vndique multa narrantur postquam rebus humanis exemti sunt. Audacia & fortitudine suorum temporum nullo erat Principe inferior. Sed in vanum ceciderunt & abolitæ sunt omnes eius cogitationes, & in ignominiam ipsius cõuersum quicquid egregium animo suo proposuerat, qui enim bello superiores sunt,semper inde decus honoremq; referunt. Non posim decidere vtri Deus plus iracundiæ exhibuerit hoc casu,ipsine principi,qui subita morte raptus est in acie citra morbum vllum aut languorem, an subditis eius, qui exinde numquam quiete potiti sunt,sed perpetuis bellorum fluctib. dilati,quibus neque ipsi resistendo fuerunt hactenus,ciuilibus turbis omnia inuoluentibus,pertinacissimo partium

tium odio. Quodq; difficillimum his exantlatu obtigit, peregrini fuere milites, quib. defendendi dati sunt, paullo ante hostes ipsorum, videlicet Germani. In effectu ipso post hanc mortem Principis sui non habuerunt hominem bene ipsis cupienté, quacunq; gentium se ad auxilia arcessenda verterent: quod si penitius eorum opera inspexisses, dixisses vtique non minus sensibus fuisse turbatos, quam Princeps eorum fuerit paullo ante quam fato concederet: omnia enim bona consilia contemserunt, nocituraq; velut de industria inquisiuerunt, & hucusque eo in periculo versantur, vt curata plaga vnam, aliam grauiorem vix videantur effugituri, vel in priorem certe ruinam relapsuri. Mea est ea opinio quam & aliis nonnullis non displicere animaduerti, Deum nimirum dare Principem vt decreuerit castigare subditos, Principumque in subditos, & horum in illum animos ita disponere, vti ipsi lubet deprimere vtrosque aut extollere: Idem egisse arbitror cum Burgunda hac familia. A diuturna enim & illustri prosperitate ingentibusque diuitiis sub tribus magnis Principibus, sapientibus quoque & probis, Carolum præcedentibus (qui floruere per centum & viginti annos consiliis & virtute) dedit ei hunc ipsum, de quo modo loquimur, Ducem, qui difficilimis perpetuisque bellis, sumtibusque & laboribus eos implicatos distinuit, fere tam hyemalibus quam æstiuis temporibus, idque eousque vt plerique potentium opulentorumque & validorum hominum succubuerint vel morte vel captiuitate, aliisve bellorum malis attriti. Maximæ clades initium à Nouesiana obsidione duxerunt continuatæ per tria aduersa prælia ad mortem vsque Principis, adeo vt vltimo hoc conflictu exstincta sit omnis reliqua regionum ipsius vis & fortitudo, interfectis, destructis, captisve vniuersis qui poterant familiã eam vel defendere, vel honorem amplitudinemque

eius

eius tueri. Sic, vt dictum est, hæc clades æquari poterit tempori florentis Burgundicæ Gloriæ. Namque vt dixi vidisse eam existimatione & opulentia præpotentem, ita idem de subditis eius possim affirmare: Arbitror enim mihi visam cognitamque maiorem Europæ partem; nullam autem vnquam prouinciam vidi, quamlibet spatio regionis ampliorem, tam copiosam diuitiis, locupletem pecunia, magnificam ædificiis, effusam in sumtus & expensas, arrogantem in pompas, & omnia Luxus instrumenta, quam huic Principi subditæ meo tempore fuerunt. Quod si cuipiam videbitur, posteriori fortasse dictis annis, æquo maiora me loqui, testes appello qui præsentes mecum omnia videre, vtique in meam sententiam testimonium daturos. Deo vero Omnipotenti omnium Domino visum est tam splendidum sumtuosumque ædificium vno ictu vniuersum proruere, cui innixi fuerunt & ei innutriti sunt tot illustres homines; quod longe lateque tantopere ab omnibus cultum est, tot victoriis rebusq; gestis conspicuum, vt nullum circum comparabile habuerit. Centum viginti annis, vt memoratum est, perstitit per Gratiam Dei hæc in honore familia, cuius auxilia & fauorem ambierunt Reges Franciæ, Angliæ, & Hispaniæ; vt fidem faciat Regis nostri vita, qui in adolescentia sua, Carolo Septimo patre suo adhuc superstite, venit ad Philippum Bonum, ab eo optime receptus & sex integris annis habitus. Ex Anglia ibidem vidi duos fratres Regis Edoardi, Duces Clarentium & Clocestrium, quorum iste se postea Regem Richardum appellauit; & ex altera parte Regis Henrici, qui erat ex Lanclastrensi domo, totam eius in Aula Burgundica, vel paucis certe demtis, familiam. Vndique cultam honoratamque conspexi Burgundi felicitatem: paullo vero post euersa omnia, suprema infimis mutata, domum ipsam cum

ſubditis tam deſolatam & afflictam, vt nulla tam vicinis ex omnibus fuerit. Hæc ſimiliaque opera fecit Deus, etiam prius quam nos crearemur, & faciet dubio procul etiam nobis mortuis. Ita enim ſtatuo, itaque ſtatuendum ab omnib. iudico & proſperitates eximias, & inſignitas aduerſitates Principum, ex voluntate diuinæ prouidentiæ proficiſci.

CAPVT X.

Vt Regi indicata fuerit ſuprema clades Ducis Burgundiæ, vtque ipſe à morte eius comperta rebus ſuis conſuluerit.

AD deducendam narrationis ſeriem; Rex, qui ordinarios nuncios, quorum antea non exſtabat mentio, toto regno diſpoſuerat, cladis Burgundicæ indicium illico habuit: Sic in ſingulas horas exſpectabat rerum exitum ob ante adepta documenta aduenientium Germanorum, cum cæteris inde pendentibus, & erant plurimi auidis auribus rumoribus id genus inhiantes, vt primus quiſque Regi inde quid adferret, donabat enim lubenter ſolens quippiam magnorum euentuum indicibus, neque nulla tabellariorum habita ratione, vt & geſtiret ſermones in anteceſſum ſerere, dictitans: Tantum præmii à me feret primus euentuum horum nuntius. Baro Buchagius & ego principes ipſi attulimus Moratenſem pugnam, iunctimque narrauimus, itaque ſinguli ducentas, quas vocant, argenti marcas ſumus indepti. Ludæus, qui extra Pleſſæum cubabat, Equitis veredarii primus aduentum cognouit qui ad Nanceium vltimi conflictus hiſtoriam adferret. Ab eo popoſcit litteras, non auſo recuſare, quia nouerat bona apud Principem auctoritate hominem eſſe. Venit igitur Ludæus

ſummo

ſummo mane, vix aurora conſpicua, excitatum qui proximi Regio cubiculo dormiebant: apertis ianuis receptæ ſunt litteræ quas ſcribebant Cranius aliique, neminis tamen primæ relationem mortui Ducis habebant, effugiſſe, & viſum euadere aſſeuerantes. Rex ad primum rei indicium tantopere exhilaratus eſt, vt vix geſtibus tegeret inuſitatum animi motum. Dubitabat ex altera parte, ſi à Germanis eſſet captus, ne cum iis tranſigeret, grandi aliqua pecunia promiſſa, quam corrogare ex facili poſſet; neque non metus erat ne fuſis copiis ipſe ſalutem fuga tenuiſſet: Tertium conſultabat capienda ſibi eſſent Burgundiæ præſidia, quibus obtinendis faciles vias videbat, nobilitate militiaque fere omni tribus aduerſis præliis peſſumdata. In hanc rem decreuerat (ſententia me præter paucis vt arbitror, percepta,) ſi adhuc ſupereſſet Carolus, exercitum ſuum, qui in Barrenſi & Campaniæ oris erat, extemplo Burgundiæ immittere, & regionem occupare, occaſione tantæ formidinis: quod ſi ſuccederet, docere Ducem eo ſe id animo facere vt ſaluum ſuum ipſi Principatum ſeruaret, ne à Germanis vaſtaretur, quippe Burgundia ſub Fidelitate Regni Franciæ conſtituta; eam ſe nullo modo pati potuiſſe vt Germanorum in poteſtatem redigeretur, ſic omnia ipſi reſtituturum. Et hoc citra dubium eo caſu confeciſſet, quod multos non facile credituros exiſtimo, ignaros nempe cauſſæ, quapropter id egiſſet. Verum omne hoc conſilium comperta morte Principis mutatum eſt, Receptis, quas dixi, litteris, nondum mortui nuntium afferentibus, Turonum Rex miſit, omnes militum præfectos, cum aliis illuſtrioribus viris accerſitum, iiſque oſtendit litteras. Pro ſe quiſque inſignis lætitiæ ſigna præ ſe ferebat; qui vero attentius rem adſpexiſſet, vtique animaduertiſſet plures inuitis animis id agere;

agere; & ſane, vtcunque geſtus fingerent, maluiſſent res Ducis alio loco eſſe: Cauſſam ſuſpicor habuiſſe in meticuloſitate Ludouici priſtina, quem ſuſpicabantur exoneratum inimicis non pauca mutaturum, præcipue præfecturas & officia. Non pauci præterea huic numero inerant qui in Egregii Publici, quod vocabant motibus, aliisque Viennenſium Ducis, contra ipſum ſteterant. Poſt paullum cum his altercatum, ad Sacra iuit; inde iuſſit menſas poni in ſuo cubiculo, omnibus ad prandium præſentibus retentis. Aderant Cancellarius, & Conſiliarii alii, ad quos non ceſſabat de his rebus loqui. Memini me aliosque geſtibus prandentium obſeruandis diligentes fuiſſe, quoque cum appetitu cibum ſinguli ſumerent; curioſe diſpexiſſe. Profecto autem, neſcio lætitiane an mœrore, nemo vel vnus, quantum ſolebat, veſcebatur, non pudore quidem aut reuerentia Regis, cùm nemo non in eodem loco ſæpius ei adfuiſſet. Menſis remotis Rex recedens nonnullis poſſeſſiones Burgundi diſpertitus eſt, ſiquidem de morte eius conſtiturum eſſet. Miſitque Admiralium Galliæ, Nothum Borbonium, & me cum poteſtate ad rem neceſſariam, receptum in fidem, quicunq; eam ſubire vellent, iuſſitque illico diſcederemus, & omnes obuiorum tabellariorum litteras reſignaremus, ad intelligendum vtrum interiiſſet Carolus, an ſupereſſet. Ita ſumma feſtinatione diſceſſimus, non obſtante immani gelu, quo toto vitæ tempore ego quidem atrocius non ſenſi. Nec dimidiæ diei itinere proceſſeramus cum habuimus obuium tabellarium, à quo acceptis litteris lectis cognouimus Ducem inter mortuos repertum agnitumque à Baptiſta Columnio, Romano, vno ex Cubiculariis, medicoque Luſitano, Lupo; qui Cranio certo adſeuerabat eſſe Domini id Ducis ſui cadauer; Cranius ſine mora rem Regi nuntiabat.

CAPVT

CAPVT XI.

Vt post mortem Ducis Rex Abbeuillam occuparit, quodq; responsum ei dederint Atrebatenses.

COmpertis nos istis omnibus ad suburbia vsque Abbeuillæ processimus, primiq; iis regionibus in partes ipsius cladis mortisq; Caroli nuntium intulimus. Offendimus ciuitatis eius incolas iam cum Barone Torcio. quem à longo tempore vnice amabant, in eamdem rem tractare adorsos. Milites, quiq; nomine Caroli cum potestate fuerant, nobiscum in colloquium venere per tabellarium quemdam, à nobis præmissum, & quadringentos lancearios eo fine dimisere. At vero plebs vrbana, illico vt hos mœnibus vidit exiisse, Torcio portas aperuere, quæ res ingenti detrimento militum præfectis aliisque Magistratu fungentibus fuit. Erant enim horum septem aut octo quibus nos pecuniam & reditus à Rege annuos, eius mandatu talium arbitri, pollicitati fueramus: hinc ista ratione nihil ad eos venit, ab aliis videlicet tradita ciuitate. Abbeuilla erat vna earum vrbium, quas Carolus Septimus, in compositione Atrebatensi tradiderat, quæ vniuersæ, mare hærede non exstante, redire debebant ad Regem, quare neque mirum est tam facile nos receptos. Hinc Durlanum nos contulimus, misimusque Atrebates sollicitatum; quorum ciuitas princeps est Artesiæ; vetus patrimonium Flandriæ Comitum, quæ consueuerat defectu virilis ad fœmineam quoque successionem pertinere. Rauestenius & Cordæus, qui intus eam vrbem erant, collocutum nobis obtulere in Montem S. Eligii, Abbatiam mœnibus propinquam, cumque his Magistratus ciuitatis. Conclusum est vt ego irem cum nonnullis comitibus, suspicabamur enim nequaquam facturos

quæ

quæ nobis placerent, itaque noluit Ammiralius eo proficiſci. Poſtquam condictum locum veni, non diu morati adfuere Cordæus & Raueſtenius, multis egregiis viris comitati, cum nonnullis, quos dixi, ciuitatis magiſtratibus. Horum nomine aderat & verba faciebat Iohannes Vaquerius, ciuitati tum ſtipendio conductus, poſt primus Præſes Curiæ Pariſienſis. A nobis poſtulatum eſt Regi vt vrbs aperiretur, qui eam ſibi adſcriberet, vt fiſco cum vniuerſo territorio debitam: quod ſi detrectarent, metuendum ne vi adigerentur, ob occiſum Ducem, prouinciamque omni præſidio ſpoliatam tribus iſtis aduerſis præliis. Per Vaquerium nobis reſponſum eſt, Comitatum Arteſiæ ſpectare ad Dominam Burgundiæ, filiam Ducis Caroli, ad eam recta ſerie deuenire per Margeritam Comitem Flandriæ, qui cum Flandria Domina fuerit etiam Arteſiæ, Burgundiæ, Niuernii, & Rotelii: Quæ Comes fuerit nupta Philippo Burgundo Primo, cui pater erat Rex Iohannes, fratri natu maiori Caroli Quinti Regis: ipſos ſupplicare Regi, vellet inducias cum Duce quondam Carolo initas illæſas ſeruare: Colloquium vltra hæc diu non durauit, hanc ipſam enim reſponſionem capturos præopinati fueramus; Sed præcipua itineris mei in ea loca cauſſa erat priuata cum nonnullis tractatio, quos in partes Regis traducere volebam. Quoſdam conueni, qui ſtatim inde facti ſunt fideles Ludouico clientes. Totas has prouincias valde attonitas offendimus, neque abſque ratione; octo enim diebus non puto totidem potuiſſe cataphractos cogere, cæteræ vniuerſæ militiæ tam equeſtris quam pedeſtris non puto ſummam ſupra quingentos exſcendiſſe, iique Namurci & Hanoniæ in oris hærebant, elapſi vltimæ cladi, qua Dux oppetierat. Priſtini mores & modi loquendi ipſis valde erant mutati, iam enim humiliter & demiſſis verbis fari didicerant,

rant,

rant. Ego quidem onerare eos meis litteris nolim velut præterito tempore æquo arrogantius ſeſe habuiſſent, Tamen verum eſt,cum ante apud eos eſſem de Rege omnia ſecus ſermocinari conſueuiſſe, tantum fiduciæ in ſuo robore ponebant. Homines vero ſemper æque ſapientes,ſi qui ſint, moderari per omnia verbis deceat, ne ſecundis rebus altiora efferant, quam quæ mutare non nolint aduerſis. Redeunti mihi ad Admiralium vt acta recenſerem, nunciatum eſt aduentare ipſum Regem;qui comperta morte Ducis,itineri ſe illico commiſerat. Diſcripſerat tam ſuo quam Præfectorum ſuorum nomine plures litteras, quibus vndique in commeatum eius copiæ excierentur, iis ſperabat dictas prouincias ſibi ſubditurum.

CAPVT XII.

Digreſſio,quodammodo extra narrandorum ſeriem, ſuper lætitia Regis videntis ſe liberatum plurima parte inimicorum ſuorum:Deque errore quem commiſit idem in ſubdendis ſua poteſtati Burgundi prouinciis.

MAgnopere lætabatur Ludouicus res ita ſuas ſuccedere videns, vt quos oderat omnium victor eſſet. Alios ipſe erat vltus, vt Coneſtablium,Ducem Nemorſium,cæteros.Dux Viennæ,frater, fato functus, cuius ipſe ſucceſſor erat.Familia Andegauenſis vniuerſa occiderat,vt Renatus Siciliæ rex,Iohannes & Nicolaus,Duces Calabriæ,cum agnato ipſorum,Principe Mainio,poſt Prouinciæ Comite.Comes Armeniacus cæſus fuerat ad Leſtoriũ,quorũ omniũ hæreditatẽ Ludouicus creuerat. Verũ nullius ipſi aduerſarii amolitio iucundior fuit quã Burgundiæ potẽtiſſimi Ducis,quæ domus cæteris omnibus

bus amplior & fortior iam ingenti bello Caroli Septimi parentis eius tempore Gallias totis triginta duabus annis, nullis induciis interiectis, concuſſerat, adiuta inſuper Anglorum ſubſidiis; tum quod prouinciæ huius confines erant Regiis, aptis omnino incolis ad mala inferenda Regi & Regno; itaque merito vnius huius Principis iunctis omnibus cæterorum ipſi interitus acceptior accidit, perſpicienti dehinc vitam ſuam totam intus circaque Gallias metuendis hoſtibus carituram, altaque pace res ſuas fruituras. Cum Anglis pacem, vt dictum eſt, pepigerat, quam continuam ſeruare omni ope & conſilio laborabat. Verum, cum iam extra omnem ita metum eſſet, non permiſit ipſi Deus tamen quibus debebat modis ad finem ſuorum deſideriorum peruenire. Qua ipſa inſuper re oſtendit probauitque Numen atrociter Burgundiæ domum, tam quoad Principum perſonas, quam ſubditos, eorumque bona, punire decreuiſſe. Omnia enim bella quibus poſtinde implicati ſunt, nequaquam ſuperueniſſent iis, ſi noſter Rex eo modo res exegiſſet, quo conueniebat felici exitu potituras, vt ſuæ Coronæ iungeret prouincias, quæ ad eam nullo iure pertinebant. Id quod faceſſendum erat cuiuſdam matrimonii interuentu, aut amicitiæ fauoriſque veri titulo, quod facile confectum fuiſſet ob afflictiones vltimas quibus animos & robur plerique omnes amiſerant. Ea ratione infinitis miſeriis omnes exemiſſet, Regnum ſuum luculentiſſimis acceſſionibus auxiſſet, & longa pace omnia, vt poterat, inſigni felicitate induiſſet. Sic ceſſauiſſent etiam continuæ exercituum tranſcurſiones, qui à longo tempore iam vniuerſum Regnum perequitabant, ſæpe abſque digna cauſſa, inſignium malorum auctores. Viuo adhuc Carolo ſæpe mecum collocutum memini de eo quod facturus eſſet, ſi fato fungeretur; ſemper

ſemper tum prudentiſſime conſultans, ſcilicet conaturum ſe eo caſu natu maiori filio, nunc Regi noſtro, dare coniugem filiam Burgundi, Principem poſt Auſtriæ, quod ſi ea ei rei aſſentiri detrectaret, quia longe ætate eſſet iunior ſponſa ſponſus, id acturum vt eidem puellæ quidam ex Proceribus Galliarum iungeretur, vt ipſam cum prouinciis tantis amicam retineret, reciperetque citra bellum quæ ſua illîc teneri dicebat: qua in ſententia ſcio eum adhuc fuiſſe octiduo vno ante compertam Caroli perniciem. Hoc ſapiens conſilium vt primum Burgundi mortem intellexit, mutare cępit, cum Admiralium, me Comite, dictis modis in prouincias defuncti demitteret. Parum tamen indidem verborum fecit, licet nonnullis poſſeſſiones & prouentus polliceretur.

CAPVT XIII.

Vt Hanium, Bohainium, Sanquintinum, & Perona Regi fuerint deditæ: vtq; ille Tonſorem ſuum Oliuerium miſerit ſollicitatum Gandauenſes.

CVm itineri ſe nos ſequens Rex commiſiſſet, accepti nuntii vndique concurrebant. Bohanium & Hanii caſtrum ipſi dedita ſunt. Sanquintinum cepit ſe ipſum, vicinumque ſuum Mouyum cum præſidio intromiſere. Peronæ quoque certa erat recuperatio Gulielmo Biſchio eius præfecto: & tam ex noſtra quam aliorum relatione Cordæus acceſſurus partibus ſperabatur. Gandauum miſerat Tonſorem ſuum Oliuerium, pago propinquo quodam ei ciuitati oriundum. Sic in plures alios alias ciuitates dimiſerat, vnde omnia fauſta exſpectabat; tamen acceptis verbis plures quam factis ſperatis ipſius res promouebant. Cum Peronam

accessisset ad eum reuersus sum, quo tum venere Bischius aliique ciuitatem arbitrio ipsius committentes, valde quidem exhilarato. Bischius eum diem ibi cōmoratus est. Prandebam cum Rege, vt consueueram, morem enim habebat septē aut octo aliquos semper mensæ suæ admouendi, sæpe etiam plures. A Prandio secedens auditis nobis minime contentus fuit tam parum nos effecisse, adiiciens misisse Oliuerium Gandauum, qui eam ciuitatem sibi subderet, Robinetumque Dodenfortium ad Sanaudomarum, qui essent apti homines clauibus vrbium acceptis sua illis præsidia immittere, nominabatque alios insuper, pariter insignium vrbium domitores; exprobrauitque mihi eamdem sententiam per Ludæum & alios. Non erat meum contra niti, aut oppugnare cōsilia eius, dixi tamen valde me dubitare Oliuerium dictosque cæteros tantas vrbes tam facile intraturos. Quod eo me modo exciperet Rex à mutata ipsi sententia proficiscebatur, quodque ob primum felicis fortunæ aspectum crederet illico omnia se potestati ipsius deditura; in quam cum propenderet ex se, impellebatur à nonnullis quoque consiliariorum ad penitus subruendam hanc familiam, prouinciasque in plureis partes diribendas; iamque nominabat palam quibus donare vellet Comitatus, vt Namurcum, Hannoniam, viciniores regno suo. Alias grandes portiones, vt Brabantiam & Holandiam, decreuerat augendis suis rebus dare Germanis quibusdam Proceribus, amicis suis futuris, auxilioque ad destinata efficienda, affuturis. Placebat ipsi sæpius ista mihi oggerere, quoniam suaseram ipsi aliquando alios modos, quos modo memoraui, vt videlicet scirem quibus de caussis meam sententiam repudiaret, quæ sane vtilior afflicto huic Regno fuisset, quod eousque multa exantlauerat à potentissima familia Burgundiæ, tantarum prouinciarum

tum domina. Si ex vulgi hominum more vſuque loqueremur, certe Regis propoſitum bonis rationibus nitebatur, quo ad Conſcientiam autem, mihi alia omnia videbantur; Tamen tam perſpicax Regis prudensque animus erat, vt nemo Conſiliantium neſciret longe illum acutius rerum ſuarum momenta conſiderare & expendere, quam quemuis omnium noſtrorum. Neq; dubium eſt fuiſſe vnum de ſollertiſſimis acutiſſimisque Principib. ſuorum temporum. Sed in grandibus his negotiis certum eſt Deum diſponere Regum Principumq; corda, (quæ manu ſua continet) ad ita exigenda opera, vt quæ futura ipſe decreuit, ſuccedant. Nulla enim difficultate ſi placuiſſet Numini conſiliis priſtinis Regem acquieſcere, bella quæ ſecuta ſunt mox & nunc quoq; non ceſſant, fuiſſent cauta. Sed ex neutra adhuc parte apud eum digni eramus diuinitus accipere longam illam & præclaram pacem, quæ nobis præparabatur, vnde originem duxiſſe arbitror errorem hunc Ludouici, minime vero ex deficiente ipſius perſpicacia, quæ ſumma certe erat, vt diximus. Narrare hæc longius placuit vt conſtare poſſit, principio, vbi tam magna negotia aggredimur, conſultandum allaborandumque enixe eſſe, vt meliorem viarum teneamus: quod fiet vbi Deo nos commiſerimus, precibus inſtantes vt ipſi placeat nobis qua progrediendum ſit, monſtrare: Inde enim veniunt omnia, vt ſcriptis vſuque rerum docemur. Non eſt animus vituperare Regem noſtrum, errorem in hoc eius negotio proferendo, poteſt enim vt alii me cordatiores & prudentiores eadem cum illo via proceſſiſſent, vt faciebant tum quoque, certum tamen eſt nihil ſuper tanta re neque tum, neque alias, conſultatum aut diſceptatum fuiſſe. Hiſtoricorum mos eſt ad laudem eorum quorum res commentantur, ſtilum dirigere, omittuntque, & ignorant

ſæpe, veritati declarandæ neceſſaria ; Ego vero concluſi animo nihil ſcribere quod verum non ſit , quodque ipſe non viderim, aut ex illuſtribus viris , quibus fides negari non poſſit, acceperim , ſine habita laudum ratione. Quippe neque credibile eſt vllum ita prudentem eſſe Principem vt interdum non fallatur ; & ſæpe quidem, ſi longæuus fuerit. Vnde inuenientur in rebus eorum aliqui errores , vbi veritatis regula tenebitur. Maximi Senatus, & Conſeſſus , qui vmquam rebus præfuerunt , quique nunc ſupereſſe poſſunt, errarunt , & nunc quoque errant, vt notum eſt omnibus , & quotidie commonſtrat experientia. Ab hac ad Peronam manſione poſtridie concluſit Rex ciuitatem intrare, quippe traditam iam ſuæ poteſtati. Cum iam procedere vellet ſevocatum me miſit in Pictones, & ad collimitia Britanniæ , ſecretim adiiciens, ſi conatus Oliuerii non ſuccederet , & Cordæus ad nos non tranſiret, Arteſiam ferro flammaque populaturum qua aſſita eſſet Liſio amni , ſtatimque Turonas reditu- rum. Commendabam tum ipſi quoſdam , qui meo ſuaſu ad eum tranſiiſſent , quo nomine ipſis beneficia & reditus ab ipſo promiſiſſem : Poſtulauit horum ſcripta nomina , ſoluitque à me ſponſa, ſic quo iuſſus eram proficiſcor. Cum iam equum adſcenderem prope me erat Ludæus, aliquibus in rebus homo Regi valde acceptus, quique priuatæ ſuæ vtilitati qua poſſet conſuleret, neque timeret eo nomine fallere quem poſſet; pariter ex facili credulus, vnde ſæpe deciperetur deceptor. Cum Rege à teneris fuerat educatus, eique norat obſecundare egregie, alioqui gratioſus & amabilis omnibus : Is mihi hæc verba velut per ludum dixit , ſapientiſſima ſane: Tu nunc hinc abis , eo tempore quo rebus tuis adeſſe debebas , aut nullo poſt poteris , propter ingentia bona quæ incidunt velut Regis noſtri manibus ,
vnde

vnde quos amat, locupletare & augere mirifice valebit. Ad me, ego iam concepi animo Præfecturam Flandriæ, vbi totum me aureum fecero: cum plurimo risu hæc efferebat; mihi vero ridiculi nihil obuersabatur, qui suspicabar à Rege hæc venire; itaque respondi, optare me summopere hæc euenire, & spem habere Regem mei nequaquam obliturum. Eques quidam Hannoniæ istic me accesserat, ante dimidiam horam fere, de pluribus aliis nuntium ferens, ad quos scripseram, vt in Regis partes decedere vellent. Hic mihi sanguine iunctus est, viuitque nunc etiam, quapropter eum nominare supersedeo, simulque eos, qui nuntio vtebantur. Tribus verbis mihi obtulerat traditionem principarum Hannoniæ ciuitatum, cumque à Rege discederem rem ei indicaui: Misit illico accersitum; cum audiisset, non ait, vel hunc vel cæteros à me nominatos, esse tales homines, qualibus ipse opus haberet. Hic hoc, ille alio nomine ipsi displicebat, videbaturque oblationes eorum nihili esse, seseque absque eorum subsidio omnia obtenturum. Sic discessi; quo facto, Ludæo dictum hominem audiendum cætera commisit, qui mirifice ægre id habuit, statimque vnde venerat rediit, negotiatione vlteriore præcisa. Cum Ludæo enim nullo genere caussave convenisset. Venerat enim sui emolumenti gratia, vtque fructus ad se tractationis rediret, cum à Ludæo principio statim rogatus est, quid soluturæ ipsi essent ciuitates, si res earum agendas reciperet. Iterum huius oblationis contemtum Regi diuinitus superuenisse existimo. Vidi enim eo eum postea statu, vt nihil non honoris & præmiorum his collaturus fuisset, si potuisset quoquo modo recipere. Sed frustra. Deus enim nolebat per omnia desideria eius implere, dictas scilicet ob caussas, vel quod & nollet eum Hannoniæ, Imperio fidem

debenti, principem esse, tam quod nullo iure eam prouinciam occuparet, tum ob fœdera antiquissima, quæ sunt mutua Imperatoribus & Galliarum Regibus. Rex ipse hæc non ignorasse demonstrauit postea, cum enim Cameracum, & Bossium teneret, illam ciuitatem, vt Imperialem, suo iuri, hanc autem Hannoniæ dominio restituit. Quamuis ipse his rebus non adfuerim, omnia tamen comperi, vt acta sunt; facili ratione cum à prima ætate citra & vltra omnia cognita haberem, adhæc ex ore eorum audiui qui vtrinque tractationi præfuerunt.

CAPVT XV.

Quo pacto Oliuerius, Tonsor Regis, à Gandauensibus non impetratis quæ sperabat, inuenit qua ratione præsidium Ludouici Tornaco induceret.

OLiuerius tonsor, vt dictum est, Gandauum fuerat profectus. Ei datæ erant litteræ ad Filiam Caroli, Principem Burgundiæ, adiecta instructione compellandæ inducendæque vt Regis se potestati committere vellet. Hoc non erat principale legationis argumentum, nouerat enim ægre obtenturum se vt solus cum ea colloquio admitteretur, quod si maxime id posset, nescire tamen quibus ad rem posset eam persuasionib. inducere. Hoc autem præcipue agebat vt turbis quibusdã grandibus vrbem occulte conciret, non ignarus eo valde inclinem esse, & sub Principibus Philippo Caroloque timore magno fuisse coercitam, etiam nonnullis spoliatam priuilegiis ob bellum quod cum Philippo gestum, pax fuerat secuta; neque minus à successore Carolo, vnum indidem ipsis fuerat ademtum, pertinens ad Electionem

ctionem Prætoris, cum primum cum poteſtate is vrbem intraſſet, læſus antea à ciuibus, vt ſupra memoratum eſt, meritoque hîc non repetitur. Hæ cauſſæ audaciam dabant Oliuerio mandati exſequendi: Sic allocutus eſt nonnullos quos putabat non inuitos aſſenſuros ſuis molitionibus, offerens à Rege reſtitutionem priuilegiorum, cum aliis præmiis: iſta non in Curia publice, ſed clam, vti dixi, agebat; priuſquam enim populum, aut Senatum conueniret, experiri voluit quid cum adoleſcente Principe poſſet tranſigere; tamen emanauit inde ad ipſum aliquid. Cum paucos aliquos dies in ciuitate fuiſſet, præceptum eſt, vt veniret expoſitum ad quæ veniſſet. Id fecit in conſpectu Principis, ſplendidiore ipſe habitu amictus quam conditio viuendi ferebat: Cum litteras in fidem mandatorum daret; in ſella ſua conſederat Puella, iuxta aſſidentibus Epiſcopo Leodienſi & Duce Cliuiæ, præſente magna Procerum vulgique multitudine. Princeps legit litteras, legatusque iuſſus eſt mandata exponere. Reſpondit, nulla habere alia, niſi vt puellæ priuatim colloqueretur. Negarunt hoc moris eſſe illi, præcipue tantæ dignitatis virgine iam nubili. Perſiſtenti in ſententia, nemini niſi illi ſoli, quæ iuſſa eſſent, dicturum, minæ additæ ſunt; poſſe cogi talem hominem, ſi quid obſtinatius tergiuerſaretur. Mea ſententia, cum traderet Regias litteras nondum perpenſum habebat quid eſſet dicturus, & alioquin non erat hoc præcipuum ei, vt dixi, mandatorum. Sic tum diſceſſit orator nullo addito verbo. Nonnulli de concilio irridebant hominem tam ob abiectum opificium, quam actorum ineptias, præcipue ciuitatis incolæ, prope quam ex pago quodam erat oriundus; itaque ludibrio habitus propere ſe proripuit, cum intellexiſſet, niſi faceret præcepta

in eo esse vt in flumen proiiceretur, quod ego facile equidem crediderim. Volebat appellari bellus hic legatus Comes Meullancius, ab oppidulo quodam minuto, Lutetiæ proximo, cuius præfecturam à Rege habebat. Sic profugit Tornacum, quæ ciuitas neutri parti addicta erat, Regi tamen fauebat impense. Quodammodo enim ad eum spectabat, cui & quotannis sex millia librarum Parisiensium soluebat, de cætero libera tota, patens omnibus aduentoribus, pulcra de cætero & bene munita, vt nemini earum regionum ignotum. Ecclesiastici ordinis homines & ciues omnes suas possessiones redditusque habent in Hannonia & Flandria, quibus vtrisque vicina est; quapropter etiam consueuerant iam inde à discidiis Caroli Septimi Regis & Philippi Ducis. Burgundiæ principibus annua præstare sena librarum millia. Tum vero cum Oliuerius intraret, præstabat nihil, sed summo optabilique otio ciuitas florebat. Quamlibet munus, quod isti homini erat commissum, supra potestatem eius esset, non tamen tantum ipse vituperabilis fuerit, quam qui id iniunxerant. Conatus cadebant quorsum conueniebat: ipse virtutem & prudentiam in sua opera monstrauit. Sciens enim Tornacum tam vtrique regioni assitum esse, vt non posset magis; aptamque idcirco inferendis incommodis, modo posset aliquid militia Regia quæ in propinquo erat, introducere; cui rei nullo genere assensum dedissent incolæ, ad eum diem nullo facto exstante, quo partium alteri sese iunxissent; Id moliens secretim Baroni Mouyo, cuius filius Baliuus erat Tornacensium, sed in ciuitate non viuebat, indicauit, cum cohorte sua, quam Sanquintini habebat iunctis nonnullis de vicinia cataphractis aliis, accederet. Is hora condicta impigre ad portam venit, vbi Oliuerium triginta aut quadraginta hominibus stipatum offendit, animosum ad mixtim vi & persuasione aperiendos clatros

troſ claustrorum; ſic miles regius ingreſſus eſt, vulgi quidem non ingratiis, at vero Magiſtratuum, quorum captos ſex ſeptemve Lutetiam miſit, qui inde non ſunt dimiſſi ad mortem vſque Ludouici. Ab his aliæ cohortes ingreſſæ ſunt Tornacum qui poſtea incredibilibus damnis omnem circa regionem affecerunt, pagis plurimis populatis incenſiſque, cum bono numero ſuburbanorum ſeceſſuum, amœnorum & pulcre conſtructorum, vnde plus detrimenti ad ciues quam cæteros rediit. Eouſque hæc acta ſunt, donec Flandri liberato carcere Principe Geldriæ, à Carolo cuſtodito, oppugnatum adeſſent, ſed non diu morati in fugam adacti ſunt, amiſſis multis, inter quos cecidit Dux ipſe Geldriæ, cum vltimis ad ſuſtinendam aciem dilabentem ſeſe intuliſſet, deſertus ab iis quos ſecuturos ſperauerat, vt poſt amplius dicetur. Hactenus Regis res miniſterio huius hominis promotæ ſunt, illataque incommoda hoſtibus. Prudentiorum & Cordatiorum aliquis forte tantam rem non effeciſſet. Satis vero iam de à tam ſapienti Rege tam homini humili commiſſo negotio ſumus locuti, qui ſane ei expediundo nequaquam fuit. Vnde videri poſſit Deum nonnihil confudiſſe intelligentiam Ludouici hoc in opere. Siquidem enim, vt memoratum eſt, non putaſſet prorſus ſine diſcrimine confici omnia poſſe, & remiſiſſet nonnihil iracundiæ vindictæque cupiditatis, qua in familiam Burgundicam feruebat, dubio procul ipſe ſucceſſoreſque eius ex eo tempore omnes has Prouincias obtinerent.

CAPVT XV.

De Legatis quos Caroli filia, Princeps Burgundiæ, ad Regem misit, vtque per Cordæum Atrebates, Hedinum, Bolonia, in potestatem Ludouici peruenerint.

POst receptam Peronam, (Gulielmum Bischium tradidisse memorauimus, qui homo obscuris natalibus Molinoengiberti in Niuernia natus, à Carolo locupletatus & dignitatibus admotus, præfecturam dicti oppidi habebat, quod habitatio ipsius, Cleria nomine, in vicinia esset, quam arcem pulcram & munitam idem Bischius indidem acquisiuerat) Rex, inibi legatis operam dedit, à Principe Burgunda missis. Ei legationi inerant quotquot illustres potentesque viri supererant, quorum consiliis res patria nitebatur. Id non nimis circumspecte factum est, tot simul eius census venisse, sed afflictiones eorum tantæ erant, tamque immanis pauor omnia occupauerat, vt nec quid dicere nec quid agerent, satis perpendere possent. Nomina præcipuorum indidem fuere, Cancellarius Gulielmus Hugonetus, summæ auctoritatis prudentiæque vir, insigni apud Carolum loco, locuplesque & præpotens: Hymbercortius, cuius frequens supra mentio habita est, quo non memini sollertiorem & rebus magnis gerundis dexteriorem vidisse: Baro Verius, Præpollens inter Selandiæ Proceres, Grutarius, aliique tam Ecclesiastici ordinis, quam ciuitatum primores, flos nobilitatis totis prouinciis reliquæ. Rex priusquam colloquio tam singulos quam vniuersos admitteret, diligenter operam dedit vt pro se quemque suarum partium faceret; qui, vt afflicti metuentesque, humilibus verbis responderunt. Ii tamen, quorum possessiones erant in locis quo Rex non venturus sperabatur, neutiquam

quam vlla in re ipsi voluerunt se addicere, excepto eo, si coniugium inter Filium Regis & Dominam Burgundiæ conueniret. Cancellarius & Hymbercortius, qui in præmagna auctoritate & dignitate ætatem exegerant, studentes eas continuare, quorumque bona ad fines Regii territorii sita erant, alter videlicet in Burgundiæ ducatu, alter in Picardia iuxta Ambianum, auscultabant oblationibus consentientes quodammodo in ei obediendum, modo dictum coniugium confieret, tum se cum suis omnibus in potestate eius futuros. Hæc via quamquam & Regis rebus fuisset vtilissima, displicebat tamen ipsi, & grauabatur legatorum constantia, quod ad postulationem suam non illico se partibus iunxissent, nihil tamen iis molestus erat, quippe in destinatis rebus opera ipsorum, qua posset, vsurus. Iam Cordæus Ludouico occulte non absentiebat, cuius consilio monituque, vt Atrebatensium cum summa potestate præfecti, poposcit à Legatis iniungerent Cordæo sibi vt partem Vrbis quæ Ciuitas dicitur, traderet: Tum enim inter oppidum & ciuitatem Atrebatensium erant fossæ murique; & oppidum ciuitate fortius, quod nunc contra est hanc illud munitionibus superante. Post longam disceptationem, Rege demonstrante optimum hoc factu esse, & eo promtius in pacem conueniri posse, si id gratificarentur, consensum est à Legatis, præcipue Cancellario & Hymbercortio, qui misere litteras Cordæo, iuramentum ipsi remittentes, & vt Regi ciuitatem traderet, poscentes. Id is cupide fecit; Rex vt primum ingressus est vallum terra struxit contra portas, aliaque oppidi loca. Hac conuentione Cordæus ciuitatẽ reliquit eductis secum militibus, quos &, qua cuique luberet, dimisit. Iste Cordæus æstimans remissam sibi fidem, qua obstrictus erat Burgundiæ Prin-

Principi, cum consensissent missioni eius Legati, iuramentum Regi præstare deliberauit, eiusque ministerio succedere, præcipue cum nomen & maiores eius vltra Somiam, ad Bellouacum essent oriundi: nomen ei erat Philippus Creuecoerius, secundusque ipse frater Domimini Creuecœrii, & possessiones eius, quas Burgunda familia, Philippo Caroloque regnantibus, occupauerat, vltra Somiam, sine controuersia ex pactis Atrebati initis ad Regem redibant; nam tota ea regio ad mares tantum hæredes Burgundiæ spectabat. Sic superstite inde sola filia Caroli Philippus iste fiebat rursum, vti loquimur, homo Regis. Itaque neque iniqui quicquam aut inhonesti commisit Ludouico se & quæ illius habebat, restituens, nisi qua nouo iuramento Principi puellæ teneretur. Sane diuersos rumores vtrinque agitatos scio, neque nunc extinctos, quorum cum dubia sit fides, ipse Veritati rem relinquo. Vnum scio educatum, locupletatum, honoribusque magnis admotum fuisse à Carolo, matremque ipsius ex parte Burgundi filiam educasse; ipsum Gubernatorem fuisse Picardiæ, Seneschallum Pontii, Præfectum Contræi, Moderatorem Peronnæ, Mondidirii & Royæ, Hedini & Boloniæ quo tempore Carolus occubuit: quas omnes dignitates nunc quoque sub isto obtinet ad modum à Ludouico Rege præscriptum. Cum Atrebati quæ diximus Rex egisset inde discessit, castraque ponere voluit ad Hedinum, quo secum duxit Cordæum, cuius in potestate ante triduum ea ciuitas fuerat. Inerant adhuc de militibus ipsius qui Principi suæ oppidum seruaturos aiebant, caussati iuramentum ei præstitisse, & tormentis aliquot diebus se defenderunt. Audiebant Gubernatoris sui verba, & reapse vno animo erant obsessi & obsidentes; denique & hoc præsidium Regi cessit. Qui inde ad Boloniam mouit, qua

pari

pari ratione receptus eſt, niſi quod vno die amplius tolerarunt obſidionem. Tamen totum hoc ſimulamen periculoſum erat, modo fuiſſent præſentes copiæ, quod Regem optime intellexiſſe ex ipſomet poſtea audiui; Boloniæ enim fuere qui omnia pulcre animaduerterent, laborantes interim de recipiendis auxiliis, ſi qua eorum potiri potuiſſent, rem ſerio geſturi. Dum ad Boloniam Rex commoratur, quod vltra ſextum diem tempus non fuit, Atrebatenſes illuſos ſe arbitrabantur, ita erant vndique incluſi magnis copiis, & tormentis plurimis, enixeque ſtudebant defendendis ſuis rebus militem colligere vel adſciſcere, indicato periculo proximis ciuitatibus, vt ſunt Inſulæ & Duacum. Duaci erant pauci quidam Equites, interque eos Baro Vergius, aliique quorum nomina oblitus ſum, ex iis qui vltimæ cladi ad Nanceium ſupererant; hi concluſere intrare dictam vrbem, ſi poſſent, ad ſummum equites trecenti, tam boni quam nihili, pedites ſexcenti. Duacenſes qui eo etiamnum tempore nonnihil æquo faſtuoſiores erant, vrgebant eos vt claro meridie, volentes nolentesque proficiſcerentur, quæ inſignita ipſorum ſtultitia fuit, vnde ingens etiam infortunium venit. Plani enim inter eam vrbem & Atrebatum campi ſunt, totis quinque, quibus diſtant, miliaribus: quod ſi in noctem vſque exſpectaſſent, deſtinato vtique fine potiti fuiſſent. Sic vero cum itineri ſe commiſiſſent, qui Regis nomine alteram Vrbis partem tenebant, Ludæus ſcilicet, Iohannes Fuæus, & copiæ Mareſchalli de Loheac, aduentum eorum edocti, concluſerunt ocyus obuiam proficiſci, & aleæ omnia exponere prius quam oppido præſidium immittere, conſtabat enim ægre ſuam partem, hoc aduerſariæ præſidio addito, defenſuros. Conatus præſenti periculo non carebat, audacia tamen ſumma res effecta eſt, victique ſunt

Duaco

Duaco venientes, cæsique aut capti fere omnes: Inter captos fuit & Vergius. Postridie Rex adfuit, qui magna cum sua lætitia hanc hostium cladem didicit; captiuosque omnes in suam potestatem recepit; peditum plerosque interfici iussit, eo modo formidinem incussurus paucissimis qui in iis locis superenerant aduersariorum militibus. Vergium longo tempore in custodia habuit, qui nullo pacto induci potuit vt iuramento se Regi addiceret, quamlibet stricto carcere & arctissime custodiretur. Ad finem tamen matris suæ consilium secutus post annum integrum voluntati Regis obsecundauit, sapienter sane. Rex tum ipsi omnes suas possessiones restituit cum iis, quas sui iuris esse contendebat, reditus ipsi constituens ad decem Francorum millia aucto insuper dignitatibus officiisque. Qui huic cladi perpauci superfuerunt, Atrebatum tamen peruenere. Rex accita tormenta & multa & grandia quatere vrbem iussit, fossæ vero & mœnia resistendo non erant: Vehementissima fuit oppugnatio, obsessique pauefacti, non enim quicquam idonei militis inerat. Cordæo in vrbe erant multi qui fauerent, præterea, ciuitate tradita, oppidum elabi non poterat: itaque, compositione facta, Regi sese dedidere. Conuenta pacta satis male seruata sunt, vnde culpæ pars in Ludæum recidit, pluribus ciuium interemtis, cum aliis bonis viris præsentibus ipso & Gulielmo Cerisæo, magnopere hac perfidia locupletatis, ex ipso enim Ludæo, audiui viginti millia Coronatorum eo tempore in censum suum redegisse, non adnumerata alia pretiosa supellectile. Incolæ mutua regi dedere sexaginta millia, quod sane ex præsenti eorum conditione nimium quantum pecuniæ erat: puto tamen ipsis post fuisse restitutam. Cameracenses enim, qui quadraginta millia summæ conficiundæ contulerant, certo

rece-

recepere tantumdem, itaque Atrebatensibus conclusere idem.

CAPVT XVI.

Vt Gandauenses, qui imperium mortuo Carolo in Principem sibi suam vsurparant, Legati venerint ad Regem, vice trium Statuum, Burgundicarum Prouinciarum.

CVm Atrebatum obsideretur, Princeps Burgundiæ agebat Gandaui in potestate subditorum suorum, expers omnis fere consilii, & inconsultis hominibus credita, ingenti suo damno, partium autem Regiarum emolumento. Non enim consueuit quicquam perdi, quod alteri nou accedat. Gandauenses comperta cæde Caroli videbantur sibi omni discrimine suo elapsi, captisque omnibus suis magistratibus (viginti sex numero erant) vniuersos aut plerosque certe necarunt, sub colore hominis præcedenti die decollati; qui licet supplicium meritus fuisset, ipsorum tamen potestatis non fuisse aiebant in eum animaduertendi: Potestatem enim magistratuum obitu Caroli exspirasse, à quo in fastigium illud eleuati fuissent. Pariter non paucos honestorum ciuium occiderunt, vt quisque magno fauore apud Ducem fuerat, quos inter fuere qui mea præsentia dimouerant Carolum à proposito ciuitatis maximam partem euertendæ, quod, iam effectui dandum, conceperat. Adhæc coegerunt Principem puellam priuilegia omnia ipsorum, quæ pace Gandauensi à Philippo, & post ab eodem Carolo ademta fuerant, de nouo confirmare. Ea priuilegia in id solum vtilia iis erant vt Principibus suis aduersarentur; & alioquin princeps eorum desiderium erat, quo natura quoque fere-

ferebantur, eos quibus parebant; omnibus detrimentis adficere, neque vllos amant Duces suos nisi dum puerilibus adhuc annis sunt, cum potestatem ætate imperandi nanciscuntur, odisse cumprimis soliti. Ita hanc quoque Puellam tractauere, custodia perquam sollicita tuentes, quoadusque annos pueriles egressa est. Sic facile est perspectu, nisi prætulissent seditionum & turbarum studium publicæ vtilitati, cum Caroli fatum percepissent, nulla difficultate potuisse prouincias tueri, & Atrebatum præsidio munire, forte & Peronam; sed consuetudo & ingenio ad tumultus ciuiles eos auferebant, vt nullius alterius rei curam animo admitterent. Tamen ad Regem Atrebatum obsidentem legatos quosdam misere vice trium statuum prouinciarum Puellæ Burgundæ subditarum. Erant enim horum nomine Gandaui lecti quidam homines: sed incolæ omnia suo arbitratu faciebant, quoniam Principem in sua sibi potestate habebant. Rex eos admisit; inter cætera dicebant res à se propositas, quarum finis erat pax, ex voluntate Principis descendere, quæ decretum haberet omnibus negotiis consilio Trium Statuum stare, rogantes vellet Rex omittere bellum, iam in Burgundia & Artesia cœptum, constituendumque diem quo conuenientes vtrinque pacificarent. Interea suspendenda omni belli negotia. Rex iam pro victore res gerebat, sperabatq; indices meliora omnia futura; Constabat illi plurimos strenuorum & bellicarum rerum sollertium hominum confectos aut exterminatos, alios defecisse à partibus principis, præcipue Cordæum, quem maximi æstimabat, non sine causa, Longo enim tempore armata virtute non confecisset, quod consilio occulto eius paucis diebus, vt dictum est, patratum videbat, itaque postulata Gandauensium parui faciebat. Præterea edoctus erat, noueratque pulcre id eorum ingenium esse vt tantum forent turbaturi

par-

partium ſuarum primores, ne conſilio vllo vtili bellum aduerſum ipſum valeret adminiſtrari. Nemo enim Sapientum hominum, quique auctoritatem apud Principes præteritos habuiſſet, conſultationibus adſciſcebatur, vbi prouinciarum negotia agerentur, ſed hos tales perſequebantur & mortis metu infeſtabant; præcipue miris modis oderant Burgundos, quod eorum conſiliis elapſis temporibus omnia fuiſſent moderata. Adhæc Regi ignotum non erat, qui talibus in rebus vltra omnes Regni ſui Proceres perſpicax erat, quo pacto à Gandauenſibus ſemper Principes habiti fuiſſent, quodque omnes deſiderarent videre acciſos viribus, ne qua petulantiæ ſolitæ ipſorum obſtare poſſent; quare decreuit quæ diſſenſio inter eos orta eſſet, eam fouere & producere. Cum quibus n. negotium ipſi futurum erat, meræ erant beſtiæ, de plebis vrbanæ fæce, minus nihilo gnari ſubtilium tractationum, quarum ſolertiſſimus Rex erat, itaque id ſolum animi habebat, quod victoriæ ſuæ & aduerſariorum deſtructioni commodum eſſe videbat. Sic Legatorum id dictum amplexus eſt, quo aſſeuerabant Principem decreuiſſe nihil ſine Trium Statuum auctoritate agere: affirmans eos male edoctos eſſe tam de puellæ quam nonnullorum aliorum voluntate: Se enim pro comperto habere certorum hominum conſiliis eam omnia exſequi, qui nequaquam pacificare ſtuderent, ipſos autem legatos ingratiis Principis hæc proferre. Hoc ſermone homines mirifice conturbati ſunt, vt inadſueti talium negotiorum adminiſtrationi; itaque commotis animis reſpōderunt, ſe certos eorum eſſe quæ dixiſſent, prolaturosque vbi opus eſſet ſcriptis mandata Principis. Regii reſponderunt ipſis contra proponi litteras poſſe cum lubeat Regi, ea manuſcriptas, cui credere neceſſe habeant, quibus doceatur Puellam decreuiſſe non niſi quatuor virorum conſilio negotia ſua committere.

tere. Reposuerunt denuo contrarii veritatem ipsis indubitatam esse. Tum Rex ostendi ipsis iussit litteras à Cancellario & Hymbercortio allatas cum alia vice Peronnæ fuerant, quarum pars ipsius Principis manu scripta erat, pars à vidua Caroli, sorore Regis Edoardi, tertia ab Rauestenio, fratre Ducis Cliuensis, agnato puellæ, sic istæ litteræ trium autographa, tamen sententiam solius Principis habebant, ita factæ ad maiorem argumenti fidem. Id erat vti crederetur Cancellario & Hymbercortio; insuperque Princeps affirmabat sibi consilium esse omnia sua negotia quattuor hominibus committere, videlicet, nouercæ, Rauestenio, Cancellario, & Hymbercortio: à Rege autem petere vt quod cum ipsa acturus esset, ageret per hos eosdem, itaque his crederet solis, neque alii cuipiam quid communicaret. Gandauenses aliique legatorum visis his litteris mirifice consternati sunt, quem pauorem ipsis augere nouerant, Regis nomine negotio agendo præstituti. Ad extremum Epistola ipsis tradita est, neque aliud Legationi toti idoneum responsum, nec magnopere tale quid curantes, habuerunt; non enim voluebant aliud animo, quam suarum discordiarum momenta, vt omnia innouarent, non videntes quæ vltra erant, neque adeo Atrebati amissionem propius ipsis accedere animum debere. Sic, vti dictum est, erant homines nullis negotiis maioris ponderis assueti, vulgi ciuilis pars plerique. Recta inde Gandauum profecti sunt, vbi Principem offendere cum Duce Cliuensi, homine annis affecto puellæ à matre cognato. Hic educatus fuerat in Aula Burgundica, sex millibus aureorum Rhenensium quotannis auctus, quapropter nonnumquam præter ius cognationis vt stipendiarius eo veniebat. Episcopus Leodiensis, cum aliis Proceribus ibidem morabantur vt Principi adessent, priuatisque quique de caussis. Episcopus quidem venerat vt suam regionem liberaret

Schleidanus hæc inconsultissime omisit.

raret

taret annua solutione triginta millium florenorum, quibus Carolo post bella superiora tenebatur, quæ quidem bella omnia pro hoc homine gesta fuerant; quare nihil eum vrgebat ad hoc negotium conficiendum, sed consultius detrimenta Leodiensium quæsisset: Nihil enim ipse præter Ecclesiasticos reditus & parum aliquid accessionis (pro opulentia quidam prouinciæ) capiebat. Erat hic Episcopus frater Ducum Burboniorum Iohannis & Petri nunc quoque superstitum, homo hilari ingenio, iucundoque, parum tamen intelligens commodi damnique sui; qua simplicitate adiunxerat sibi Gulielmum de Marca, potentem validumque militiæ, sed crudelem & æqui contemtorem hominem, eatenus inimicum ipsi & Burgundæ familiæ, fauore Leodiensium: huic in gratiam Episcopi Princeps puella quindecim millia Rhenensium Florenorum donauerat, vt ad sua bona redire posset: sed non diu post ille tergum & Episcopo & Burgundæ obuertit, contemto etiam quod ab illo adoptationis spem haberet, conatus adiutorio Regis vi filium suum, pulso isto, Antistitio intrudere. Post prælio commisso pulsum Gulielmus Episcopum sua manu interemit, abiicique in amnem cadauer iussit, vbi tribus diebus obhæsit. Cliuensis spe quoque inter filium suum natu maximum & Burgundam frequens aderat, quod confieri posse non paucis rationibus sperabat, neque abnuam succedere rem potuisse, si ad placitum Gratiamque virginis iuuenis fuisset aptus; erat enim sanguine familiaris, Principatum suum inde habebat, fide obligatus, educatusque in aula eadem fuerat. Sed potest vt impedierint omnia persona ipsa hominis, perspecti à conuersatione mores, & ingenium familiaritate cognitum.

CAPVT XVII.

Vt Gandauenses à Legatorum suorum reuersione interemerint Cancellarium Hugonettum, & Hymbercortium, contra voluntatem Principis; vtque ipsi cum sociis Belgis fuerint ad Tornacum prælio victi, occiso Duce Geldriæ, militiæ ipsorum Præfecto.

LEgatis Gandauum reuersis concilium conuocatum est, Princepsque suæ sedi imposita, & dicti Proceres circa ipsam constituti, vt relationis series audiretur. Sic orsi sunt recensere quid mandatorum ab puella habuissent, sermonem præcipue ad id dirigentes quod effectum volebant: ipsis, cum Regi proposuissent Principem decreuisse trium Statuum consilio omnia agere, responsum esse, Regem contraria omnia certo scire; cum in sententia persisterent, fuisse litteras Principis manu scriptat, illatas. Puella, his auditis in iracundiam mota confestim contradixit, vt secura litteras suas non esse visas. Tum qui verba faciebat, Gandauensium aut Bruxellensium Quæstor, puto, sinu Epistolam extulit coram vniuerso concilio, illique eam tradidit. Hic euidenter contestabatur malitiam suam extremam ausus tanta impudentia adulescentulæ Principi pudorem facere, cui tam inciuili modo nequaquam erat obuiandum: vt enim quoquomodo errasset, non erat tamen istius asini publicitus eam velut castigare. Non opus est quæri, an confusa fuerit, omnibus enim singulisque contrarium affirmauerat. Vidua Caroli & Rauestenius, Cancellarius & Hymbercortius aderant præsentes. Cliuensis aliique de matrimonio dicto bonæ spei responsa semper receperant, hi omnes ira incensi sunt, & discordiæ dissensionumque vbique semina sparsa, adeo vt palã proferret quod quisq; hactenus animo texerat. Cliuensis hucusque crediderat Hymbercortium conficiendo

ciendo coniugio sibi operam daturum, is tum pro decepto se habere, visisq; litteris animum ab eo auertere. Episcopus Leodiensis neque ipse ante eumdem amabat ob Leodii res actas, cuius loci Gubernator fuerat Hymbercortius, & odio pari habebatur à Comite ipsius illo egregio Gulielmo Marcano. Comes SanPaulinus filius Conestablii, oderat & hunc & Cancellarium, quippe qui parentem tradiderant Peronnæ Regis satellitibus, vt supra prolixe narratum est. Gandauenses extreme iisdem male cupiebant, nulla quidem in re offensi, sed propter solam summam auctoritatem qua florentem vtrumque hactenus viderant; & sane fuerat eorum dignitas maxima, si qua hoc toto tempore aliorum penes quosuis Principes; suoque quisq; Domino strenuissime & fidelissime inseruierat. His mane actis, ingruente nocte hi duo viri à Gandensibus capti sunt licet præmoniti ambo de periculo imminente fuissent, sed malo infortunio vrgente nescio cur discedere nescierunt, vt accidit sæpe pari casu aliis. Mihi credibile est inimicos ipsorum, quos modo nominaui, consilio huic captioni adfuisse. Cum iis custodiæ datus est Gulielmus Clunicius, Episcopus Therouanensis, post in Cathedra Pictauorum mortuus, tresque vno isti carceri inclusi. Gandauenses, quod in consultis in suis vindictis non consueuerunt, nonnihil ordine iuris seruato agere voluerunt: itaque ex Senatu selegere qui captiuos examinarent, inter eos fuit vnus de familia Marcana, capitalis Hymbercortio hostis. Principio interrogati sunt, quamobrem per Cordæum Regi tradi fecerint Atrebatum? Sed quæstionem hanc parum morati sunt, licet alterius culpæ eos insimulare vix possent, Sed furiæ eos nō tenebant hactenus suæ, Non enim magnopere principio ipsis dolori erat Principem tali ciuitate imminutam cernere, neque sensus neque intellectus eorum eo pertingebant, vt

quid succedente tempore inde ad ipsos detrimenti venire valeret, perspicerent. Solis duobus articulis res constitere. Prior erat de quibusdam muneribus donisque quæ recepisse dicebantur, præcipue obtenta quadam à Gandauensibus sententia iuris, quam contra alium quendam in ipsorum emolumentum Cancellarius tulerat, vnde à Gandauensibus hi duo doni quid susceperant. Huic toti de corrupto iudicio obiectioni optime responderunt, præcipue super eo quod venditi iuris Gandauensibus, accepta ab ipsis pecunia, incessebantur; affirmantes non auro aut fauori litigantium quicquam dedisse, sed quia iure nisa fuerit caussa, secundum eos decidisse. Dona quidem nec poposcisse, & oblata non temere contemnenda fuisse arbitratos. Posterior pars accusationis, quam & vrsere pertinacius, fuit; contra iura, statum, & priuilegia Ciuitatis pluribus modis tempore dignitatis suæ apud Principem, quoque eius in gubernando vices gessissent, egisse; quicunque autem homo tale quid vel semel in Gandauenses committeret, extremo supplicio affici promeruisse. In hac re nullo omnino fundamento contra captiuos nitebantur, non enim erant ipsorum subditi, aut ciuitatis inquilini, Et sic nullo modo rumpere priuilegia eorum potuerant: quod si Carolus aut pater eius nonnulla ipsis indidem ademerant, id factum fuerat per transactionem cum ipsis, post plura discidia & bella: cætera autem quæ relicta ipsis fuerant, ampliora sane & plura quam quibus commodo sui vti scirent, egregie fuere obseruata. Non obstantibus his aliisque prælustrium horum hominum excusationibus, istorum duorum articulorum ergo (nam principalis, de quo principio huius sermonis diximus, mentio nulla fiebat) Iuridici Gandauenses condemnarunt eos morti in Curia Ciuitatis præsentes, insimulatos fractorum priuilegiorum, quod-

que

que accepta pecunia ſecundum ipſosmet Gandauenſes litem deciderant, vt memoratum eſt. Audita crudeli hac ſententia, ſtupefacti ſunt, vt credibile eſt, mirifice ambo, non enim vllum videbant effugium cum in poteſtate ipſorum eſſent. Appellauerunt tamen Regem in Tribunali ſuo Pariſienſi, ſperantes vel dilaturos hoc pacto mortem imminentem, vt interea ab amicis quædam inferri vitæ ſeruandæ poſſent. Ante vltimam ſententiam miſere eos torſerant, nullo ordine Iuris, & intra ſeptimum diem omnia peracta ſunt. Lata autem illa, & appellationem contemſerunt, neque vltra tertiam horam ſpacium morituris dedere, Saluti Animæ, rerumque familiarium diſpoſitioni conſulendi; His elapſis in forum ſuper tabulatum ligneum ei rei ſtructum ipſos extraxerunt. Princeps Burgundiæ, poſt Auſtriæ, edocta hanc condemnationem, in Curiam ſe contulit, rogatum ſupplicatumque pro ſuis miniſtris fidelibus, ſed nihil profectum eſt, Itaque & in forum profecta, vbi iam in loco ſupplicii eos conſpicata eſt: Erat amicta lugubri habitu, caput nullo ornatu vili mitella tecta, quomodo ſe veſtierat ad humilitate ſua inducendos commiſerationi ciues. Eo in loco populo ſupplicauit lacrymis oculos manans, capillos ſpargens, parcerent ſuis hominibus, ſibique eos reſtituerent. Magna plebis pars ſciſcebat puellæ morem gerendum, & ſupplicio eximendos; alii contraſentiebant, iamque contos mutuo ſibi obuertebant, vt pugnaturi: tamdem crudelior pars vicit, inclamatumque eſt ad carnifices, expedirent iuſſa: ſic confeſtim ambo capitibus truncati ſunt, ſuoque cum pullo miſerabilis habitu Princeps, dolens atque eiulans domum reuerſa eſt: erant enim duo hi principes eorum quibus omnia

ſua vota credebat. Gandauenſes confecto hac facinore ſecreuerunt ab ipſa Raueſtenium & Nouercam, quod & horum in litteris nomina exſtarent, omnemque auctoritatem ſibi ſumſere regendæ adoleſcentulæ afflictæque Principis. Hoc quidem nomine iure ſe poterat appellare, non ſolum propter amiſſionem tantarum ciuitatum, quæ acciderat, quas nulla vi poterat recipere, tam forti poſſidendæ viro obuenerant, ſolam ſpem in gratia atque amicitiæ oblatione reliquam habens, ſed & quod ſe videret in poteſtate conſtitutam verorum & veterum familiæ ſuæ perduellium. Quod quidem miſeræ ſummum infortunium erat, licet in factis ipſorum generatim, quæ quidem publicum egregium cernerent, plus eſſet ſemper ſtoliditatis quam malitiæ, vt ſunt principes inter eos manuarii opifices, craſſarum operarum & ingeniorum homines, ignari prorſus gubernandarum rerum & conſiliorum omnino vtilium expertes. Malitia quidem horumdem duabus præcipue rebus vertitur. Priore loco ſemper ſtudent Principum ſuorum potentiam imminuere. Altero, cum contingit malo aliquo errore aut culpa infortunio proximos eſſe, vbi ſe vident imbecilliores auertendo eſſe, nemo vmquam populus humilius ſe demiſit, neque paratior ad ingentibus donis pacem expetendam fuit, & iſto optime norunt iis ſe hominibus applicare, quorum ope non fruſtra negotium confici poſſe ſperant; quo in genere ipſis meliores nullos vmquam cuiuſpiam ciuitatis incolas expertus ſum. Cum itaque vi principis gubernationem occupaſſent, occiſis, quos diximus, Proceribus, expulerunt quos viſum fuit; cœperuntque omnibus officiis & functionibus imponere homines ipſorum propoſito aptos. Speciatim ſpoliarunt atque eiecerunt omnes qui domui Burgundæ inſeruierant, nullo habito cenſu aut reſpectu meritorum,

ritorum, capitali capta inimicitia in omnes natione Burgundos, quos extorres & omnibus rebus exutos non minus ſtudebant Regis ſeruitio intrudere, quam is eoſdem recipere. Ab Rege autem, donis, promiſſionibus ſollertibusque allectationibus omnes recipiebantur & ambiebantur, etiam vi, qua per prouincias iſtas magna pollebat. Vt abhinc inciperent nouas res cuſtodia exemerunt Ducem Geldriæ, qui à Carolo longo iam tempore fuerat ſeruatus, vti dictum eſt ſupra, hunc Imperatorem fecerunt exercitui quem de ſuis intra ipſos hominibus ſcilicet ex Brugenſi, Gandauenſi & Yprenſi territoriis, confecerant, miſeruntque Tornacum ad incendenda vaſtandaque ſuburbia, exigua nullaque eorum vtilitate, cum Carolus Geldriam totam ei homini eripuiſſet. Huic quidem, vt & ipſis, ducenti milites, aut præſentia decem millia Francorum ad alendos illos qui Atrebati fuerant cum Rex eam ciuitatem obſidere inciperet, modo tempori veniſſent, plus commodi attuliſſent decem talibus exercitibus, licet ad quindecim millia eſſent, ſtipendiis bene inſuper ſolutis. Hæ enim copiæ nihil poterant efficere, quam vt pauca ædificia peſſumdarent, idque in loco cuius indemnitatis aut deſtructionis Regi nulla cura erat, vt ex quo neque cenſus neque auxilia ad eum venirent; ſed Gandauenſium non erat eouſque intellectu rerum aſcendere. Dux Geldriæ cum ad Tornacum veniſſet, ad ſuburbia vſque igne graſſatus eſt. In vrbe erant trecenti circiter cataphracti, qui exſpectato diſceſſu populatorum, in vltimam aciem erupere; quo facto plebs illico fugam iniit. Dux, ſtrenuus fortisque homo, obuerſus viam facere copiis ſuis voluit reuertendi: eum reliquere prope omnes, deiectuſque equo & interemtus eſt cum bono vulgi numero. Regiorum pauci erant, Flandri vero omnes receſſere, licet vna tantum acies fuiſſet profligata. Princeps Bur-

gunda, vt dicebatur, magnopere gauisa est hoc euentu cum omnibus qui ipsam diligebant, pro certo enim fama ferebat Gandauenses Geldrum vi ipsi fuisse connubio iuncturos: non enim bona cum puellæ gratia id vmquam effecissent pluribus de caussis, quas superioribus libris recensuimus.

CAPVT XVIII.

Digressio super eo quod discidia & bella permittuntur fieri à Deo ad castigandos malos Principes & populos, cum plurimis egregiis consiliis & exemplis auctori in tempore suo obseruatis, ad instruendos Principes.

NOn possum expendendo assequi qua gratia Deus tantopere seruauerit hanc Vrbem, vnde tanta malorum seges, parum vero boni tam ad vsum publicum, quam prouinciæ eius, in qua sita est, priuatum, etiam minus emolumento Principum, prodiit vmquam: Non est hæc comparanda Brugis, vbi ingens negotiationis & mercaturæ gratia externorum hominum multitudo versatur, vbique plus fere mercium distrahitur quam vlla alia in Europæ ciuitate, damno irrecuperabili si destrueretur. Ad extremum visum est mihi non esse in vniuersi hoc corpore à Deo creatum quippiam, tam hominum quam brutorum censu habito, cui non contrarium aliquid, ad continenda omnia in metu & humilitate, idem constituerit. Sic Gandauum istud optimo loco situm est, sunt enim hæ Christiani totius Orbis maxime in luxum procliues prouinciæ, quocunque modo Voluptuarius aliquis homo eum quærere voluerit. Sunt incolæ tamē boni Christiani, & Deus colitur ab iis, honore debito. Neq; est familia hæc Burgundica sola cui Deus talē aliquem stimulū astituerit: pariter n. Regno Galliæ apposuit Anglos, Anglis Scotos, Hispanis Lusitanos:

Non dicam iam de Granatensi regno, hi enim sunt Christianæ legi hostes, id tamen Hispanis mirifice magnos tumultus hactenus dedit. Principibus Italis, quorum plerique absque iuris titulo res suas possident, nisi si quis cœlitus iis datus est, quæ res tamen diuinari potest, non sciri, crudeliter & violenter subditis suis ad exigenda tributa, Deus Respublicas afflixit, vt sunt Venetiarum, Florentiæ, Genuæ, Senarum, Pisarum, Lucensium, aliæque, quæ multis in rebus contraria omnia dictis principibus agunt, Principesque contra aduersus illas moliuntur, singulis accurate cauentibus, ne qua re vicinus increscat. Iam priuatim magis vt loquar, Arragoniæ oppposita est familia Andegauensis, Sforciis vsurpantibus Dominium Vicecomitum Mediolanensium, Domum Aurelianensem. Et licet particulatim hi sint minus metuendi, iuncti tamen Regi etiam Galliæ inuidiam & timorem faciunt. Venetis aduersantur Principes Itali, & vltra hos Florentini: Florentinis Senenses & Pisani, vicini ipsis, & remotiores Genuenses. Genuensis malæ cum primis administrationes, & in alios aliorum perfidia, discissique sunt intra ciuitatem factionibus, vt Forgesiorum, Adorniorum, Doriarum, & aliis, quæ omnia omnibus nota merito non deducuntur hoc loco. In Germaniis sunt ex antiquo discordes familia Austria & Bauarica, & rursum Bauarica intestinis inter se odiis dissidens. Austria pariter in sese, & contra Heluetios, quos Suiceros vocant, hostili odio ardens. Suicerorum initio non fuit præter vnum pagum, cognominem genti, nec sexcentorum hominum potentem, vnde in tantum ea gens multiplicata est, vt omnium Austriæ familiæ ciuitatum optimæ apud eos sint, nimirum Tigurum & Friburgum; hi insignibus præliis sæpe hostibus superiores euaserunt, in quibus & Ducum Austriorum nonnulli

Locus dubius.

nulli ceciderunt. Plures aliæ dissensiones per easdem sunt Germanias, vt Cliuenses oppugnant Geldros, Geldriæ Principes Iuliacenses. Balthici maris accolæ ciuitates, ad Septentriones sitæ, aduersarios habent Reges Daniæ; & vt de iis prouinciis generatim loquamur, tantum iisdem insunt munitorum præsidiorum, tantum populi procliuis ed malefaciendum, furtim palamque aliena rapienda, violenterque omnia agenda & ferenda, exiguis de caussis, vt prorsus sit res relatu mirifica. Vnus quippe homo inibi, vno seruitio stipatus ausit ingenti populosæque alicui ciuitati bellum indicere, aut cuiuis potenti Principi hostem se declarare, modo sit portus ipsi quidam scelerum secessus in montanam quampiam arcem; quam cum viginti aut triginta vbi equitibus insederit, suo arbitratu late omnia populabitur. Hoc genus latrociniorum à Principibus Germaniæ raro castigatum est, vti enim necessitate incidente malunt opera bellicosorum hominum; Sed ciuitates, cum eos indipisci possunt atrociter in eos animaduertere solent, adeo vt sæpe obsederint & destruxerint id genus castella, quapropter, aliisque securitatis suæ caussis, ordinarium militem solent eædem vrbes alere. Sic videre licet hos quoque Principes & ciuitates mutuis odiis infestos viuere, alterosq; ab alteris in officio contineri. necessariumq; esse vt ita sit conciliatum, vti & vbiq; per mundum hominũ alibi. Non locutus sum hactenus præterquam de Europa, non n. didici negotia cæterarũ duarum partium, Asiæ nimirum atq; Africæ; sed auditu tamen percipimus æque eas odiis bellisq; mutuis feruere; etiam crudelius atq; turpius; nouimus enim plura loca in iis esse vbi alterum alter vendant Christianis, quod declarant Lusitani, qui mancipia inde infinita compararunt, & nunc quoq; adipiscuntur. Sed quod ad hoc, non habemus quod Saracenis magnopere exprobremus, cũ

inter

inter Christianos loca sint, vbi paria prorsus fiant: tamen ea sunt sub Imperio Turcico, aut ei proximi situ, vt nonnullis in Græciæ partibus. Poterit ita videri cuipiam necessario ordinatas esse has dissensiones per mundum humanũ, & hos stimulos oppositasq; inuicem res, de quibus hactenus loquor, à Deo distributas in omnis conditionis mortales, cuiq; etiã fere priuatim homini necessarias esse: quod quidem viro illiterato mihi, & nõ vltra præscriptum sapientum sensuro prorsus persuasum est : Præcipue vero ob brutam nonnullorum principum vecordiã, aliorumque malitiam effrenem, qui intellectu condigno experientiaque illustri præditi, neutro vti volunt nisi in malam partem. Princeps enim vel & homo alius cuiuscunque conditionis, tenens auctoritatem & potentiam vbi degit, supraque alios; si litteratus est quod vidit aut legit vel meliorem ipsum vel deteriorem faciet. Mali enim peiores multo per scientiam fiunt, & boni indidem emendantur. Credibile tamen est scientiam potius meliorem facere hominem, quam peiorem; licet enim amplius nihil habeat quam agniti mali pudorem, vel hic tamen aliquando suffecerit ad distinendum eum à maleficio, vel saltim ne tam frequenter tale quid committat. Sic, quamlibet bonus quis non sit, fingere tamen volet nolle cuipiam iniqui quid inferre, Cuius rei per experientiam inter magnates viros multa exempla vidi, scientiam nimirum eos compescuisse à malis multis conatibus, vt & timorem vltionis diuinæ, cuius gnariores vtique etiam sunt quam indocti homines, qui nec videre nec lectu quid vtile compertum habent. Hoc ergo dicere volo, eos qui se ipsos non cognoscunt, & minus sapientes sunt damno inconsultæ educationis, iuuante nonnihil naturali ingenio, non habere intellectum gnarum quousq; se extẽdat à Deo ipsis in subditos commissa potestas. Non n. vel legerunt tale quid vel à

scien-

ſcientibus didicerunt,paucis etiã comitati qui id ipſimet norint;quod ſi & ſint qui norint,tamen neque hi edicere idem volunt,metu amittendæ gratiæ. Quippe ſi quis inde aliquid monere Principes voluerit,nemo illius ſententiæ accedet,vtque res cadat optime,habebitur monitor ipſe pro fatuo,ſin ſecus,periculum ipſi ſua faceſſet fidelitas.Concludendum igitur nec intellectum noſtrum, nec rationem naturalem, nec timorem , nec amorem cuiuſpiam hominum nos ſeruare & diſtinere ne violenter mutuo in nos multa faciamus, neve alieni quid retineamus,aut auferamus omni modo cuilibet quæ poſſumus. Magnates & Proceres ſi qua caſtra vrbesve à Parentibus vicinisve ſuis habent,nullius dictarum rationũ ergo ea easve reſtituere poſcentibus, quod ſi ſemel ſub colore aliquo poſſeſſionẽ taliũ ſibi firmarint,omnes aſſeclæ ipſorum ſententiis accedunt,præcipue vt quiſq; proximus eſt,cupitq; familiaris perſiſtere.De iis non loquor qui ſub aliorũ poteſtate,aut alioquin infirmi virib. ſunt; his n.imminet potentior qui quandoq; litigantib.ſecundum æquitatem ius dicit, præſertim ſi bona quis cauſſã nitatur,eamq; recte norit proſequi nõ parcens ſumtibus, & rebus ſuis adeſſe ſagaciter ſciens : talis quis proceſſũ temporis ſuum vtique ius obtinebit , ſi Senatus, hoc eſt Princeps in ſua auctoritate,ſub quo viuit,ipſi non aduerſatur.Sic veroſimile videtur Deum coactum velut plura velit facere miracula caſtigãdis nobis variis prorſus afflictionibus & verberibus ob noſtram brutam malitiam,quæ vndiq; patet.at vbi principum inſcitia atque beſtialis vecordia interuenerit, ea demum ingentia & metuenda damna dabit. Horum n. malitia per dominiũ omne ipſorum diuiditur.Igitur ſi quis taliũ potens multiſq; militũ copiis ſuccinctus eſt,(ad quos alẽdos ingentibus pecuniis opus habet,vt & in alias arbitrii ſui res,extra boni publici neceſſitatem,neq; de his ſtultis iniuriis-

que

que impensis vult quicquam remittere, nemine non id agẽte vt ipsi cõplaceat, cum à monitis præter indignationem ad bonos viros nihil redeat, ipso Principe tamen ad consuetũ morẽ viuente) quis succurrere reb. laborantib. præter Deum poterit? Non loquitur iam cum hominib. amplius cœleste Numen, neq; supersunt Prophetæ, qui ore eius moneant; Fides n. & Relligio ipsius satis vbique clara & perspicua est, vt qui eam velit intelligere nulla contra excusatione vti valeat, præcipue qui ætatem habeat, & ingenio non careat: Quo igitur pacto elabentur homines potentes qui principatus suos eo redegerũt, vt vi inde exigere quicquid opũ velint, possint? Cur stricto omnia imperio continent, neque sciunt præcipere quicquã nisi sub metu mortis? Alii sæuiũt sub vmbra iustitiæ, huiusq; præsides viros ad arbitriũ paratos habent, qui de leuissimo quoque morte dignum facinus facere norunt. Hos si deficiet materies, inuenient rationes quibus dissimulent audire querelas partium, assertiones testium, vt quem velint vt volunt comprehendant, condemnentque, vti vocant, in expensas, exspectantes si qui superueniat litem ei intendens, quem iam tenent ipsi, spoliatumque cupiunt. Si hac via satis secure procedere non possunt, neque ad cupitum finem peruenire, habent alias, & certiores. Caussantur oppido quam necessariũ esse præstari exemplũ, casusq; suos ita figurant, vt inde quod velint facile conficiatur. Aliis, qui beneficio quodam ipsis obligati sunt, & quoquomodo potentiores, de facto, vt loquũtur, rẽ decidunt, sollemnib. velut his sub formulis. Tu detrectas imperium nostrum, contra iuramentũ mihi præstitum agis; sic violenter bonis exsuunt quem volunt si possunt, (certe vt possint ipsi nihil non tentant) magnisq; eius vitam perplexitatib. inuoluunt. Quem vicinum tantummodo, non subditum, habent, si potens & pugnax erit, sinunt eum res suas agere; si debilis aut timi-

timidus, nesciet quorsum se vertat. Caussabuntur eum fauisse hostib. ipsorum, aut copias suas in territoriū eius diuertere & inde ali volent, aut litigia redimient, aliasve inuenient destruendo occasiones; vel vicinum alium in ipsum concitabunt, cui auxilia præstabunt. Ex familiaribus suis dignitatib. exuent eos qui possessoribus ipsorum bene adfuerint, vt nouos homines omnibus intrudant, quippe illis æquo longius viuentibus. Turbabunt Ecclesiastici Ordinis viros, redituum caussa, si nulla alia ea tamē de caussa vt inde aliquē locupletare possint, secundum sæpe libidinem eorum qui nihil tale promeriti sunt, nisi forte occultis & non adeo honestissimis ministeriis, vnde aliquando magnæ opes proueniunt. Nobilitatem exercebunt tributis exigendis sub colore bellorum absque fine, quæ bella ipsi vt lubet suscipiunt sine consilio & auctoritate Procerum, quosq; alios consulere ante oportebat; hi n. sunt quibus necesse est bona & corpora sua talibus impendere, quapropter nequaquā absque præscitu eorū tale quid erat aggrediundum. Populo, vulgoque hominum subditorum sæpe nihil relinquunt, licet longe quam fas sit pendant plura; neq; vllo modo petulantiam in eos militum suorum cohibent, qui vbiq; quod volunt faciunt, nullo pretio soluto, ferentes agentesque omnia, infinitis flagitiis, nemini nostrum ignotis. Hi nullatenus ordinario viuendi modo cōtenti, neq; eo quod suppeditatur labore miserorum incolarū, vnde stipendia sua legitime habent, contra ius fasq; nullis non iniuriis afficiunt, verberib. adigentes ad victum aliunde accersendum: quod si quis coniugem aut filiam specie bona habeat, vix vlla pudicitiam eius sollertia tueri poterit. Nec tamen, pecunia cum adsit, difficile sit his rebus moderamine iusto subuenire; miles singulis bimestribus suum capiat stipendium, ne excusare possit flagitia prætextu non solutorum tempori nummorum;

qui

qui ſane anno euoluto non poſſunt non adeſſe Principi Hoc noſtri Regni cauſſa dictum volo, hoc enim indidem laborat affligiturque amplius omnibus cæteris, quos ego Principatus nouerim, neque poterit ſubueniri ei niſi à Rege admodum Sapiente. Cæteræ prouinciæ finitimæ ſua alia ſingulæ habent tormenta. Sed, vt ad propoſitum reuertar; eſtne ſub cœlo hoc Princeps aut Rex alius qui poſſit vltra conſtitutum atque debitum exigere tributum à ſubditis ſuis, niſi conſentiant illi, citra violentiam & tyrannidem? Reſponderi poterit: eſſe cum incidant tempora, quibus nequeant exſpectari concilia, in magno videlicet morâ periculo. Incipiendis ordiendiſque bellis nequaquam quicquam præcipitandum eſt, ſatis enim ſemper erit ſpatii, & ſi tale quid Principes conſenſu ſubditorum aggredientur, & plus vtique habebunt ſolidi roboris, & metuentur ab inimicis amplius. Quod defenſio ſi ſola incumbat, non poteſt non de longinquo videri hæc tempeſtas, præcipue ſi ab extraneis moueatur: quo caſu boni ſubditi nulli rei parcent: neque poterit tam inopinato incidere quippiam, vt nequeant conſuli pauci aliqui Procerum, qui teſtimonium perhibeant, nihil ſine vrgente cauſſa ſuſceptũ eſſe, neque id agi fas eſt, vt ſemina ſerantur bellorum fictis rationibus ad libidinem Principum, aut exigendæ pecuniæ ergo. Noui optime omnino argento opus ad defendendos limites circumcirca, licet belli nulla præſens ſit fama, ne imparati damna patiamur; omnia tamen moderate agenda erunt, quibus adſit Sapientis Principis conſulta circumſpectio. Hic enim ſi ſapit probuſque eſt ſcit quis ſit Deus, quis mundus, & quid vtriuſque reſpectu ſibi faciendum atque omittendum. Sic, quantum ego iudicare poſſum, omnes Principatus mihi notos, vbi & Reſpublica optimo loco habeatur, minuſque fiat populo iniuriæ; & minus vaſtetur præ-

diorum ob discrimina bellorum, excellit Angliæ Regnum; cuius moribus omne infortunium in eos recidit qui bella ipsa faciunt. Noster Rex inter omnes Mundi minimum caussæ habet vtendi his verbis: Mihi priuilegium est à subditis meis exigendi quæ volo. Nec ipse enim id habet, nec alius quispiam, neque ei honorificum aliquid faciunt qui hæc de eo talia loquuntur, studio existimationem augendi, cum odiũ metumque eius apud vicinos proferant, qui nullo pacto sub imperio eius hoc audito esse velint. Sed si vel Rex ipse idem noster, vel qui maiestatem eius locupletare volunt, ita dicerent: Mihi sunt subiecti tam probi fidelesque, vt nihil petenti negare velint, maiorque mei penes eos reuerentia quam cuiquam est aliorum apud suos Principum; Hi patientissime sub meo moderamine ferunt omnia mala & quam ocyssime acceptorum damnorum obliuiscuntur; eo ego sermone existimem non mediocriter laudes eius propagari posse, & sane vero nitor: non si per violentiam iactetur opus esse vt suum sibi pro lubitu quiduis exigendi priuilegium Rex conseruet. Sic certe nolebat loqui Carolus Quintus; neque audire memini à meis quid tale Regibus; sæpe autem à ministris, qui bene eo modo mereri sibi de Dominis suis videbantur, cum meo arbitrio contra res caderet; ipsi tamen officio suo belle fungi se censebant, neque quid dicerent nouerant. Quod si secundum experientiam de probitate Gallorum dicendum sit, proponamus modo nostri temporis apud Turones Trium Regni Statuum post obitum Ludouici huius Vndecimi, anni millesimi quadringentesimi octuagesimi Tertii conuentum. Tum censeri poterat damnosa hæc conuentio, nonnullique sine virtute, natalibus, atque auctoritate homines iactare audebant, quod etiam post sæpe iteratum est, crimen habere læsæ maiestatis

cogi Status, cum inde minueretur Regia dignitas: sed hi ipsi illi sunt qui lædunt tam Deum quam Regem cum Republica; sermonesque hoc genus proficui sunt iis qui dignitatibus funguntur & in æstimatione hominum sunt citra merita ipsorum, indigni omni tali honore, impotentes nisi adulari occulte Principibus, nullius bonæ rei gnari, timidi talium conciliorum, ne videlicet virtutes ipsorum palam fiant, vnde decrescat simulatæ laudis ambitio. Tum censebant omnes Regnum hoc magnopere attenuatum esse, tam quo ad viros egregios, quam sumtus, & alia necessaria. Viginti enim ipsos ac vltra annos horrendis omnia tributis exhausta videbantur, quorum tamen in annum summa tricies centum millia Francorum non excesserat. Carolus quidem Septimus numquam vltra Decies Octies centena millia redegerat: Ludouicus vero filius eius quo anno mortuus est quadragies septies, exceptis rei tormẽtariæ sumtibus, aliisq; talibus, recepit. Certe miseranda res erat scire aut videre tantam populi paupertatem. Sed contra hoc boni inerat Domino nostro Ludouico, quod nihil reponeret velut in thesauros. Vt suscipiebat omnia, omnia expendebat; ingentibus ædificiis muniebat vrbes Regni, supra omnes præcessores suos. Infinita Ecclesiis conferebat, vt & aliquando melius fuerit pauciora dedisse: adimebantur enim pauperibus multa & addebantur iis qui non indigebant, vt exacte inquirentibus nullibi perfectum quid in rebus humanis inuenietur. Verum in Regno tam paupere atque tam variis modis afflicto, vllane mortem huius principis seditio, aut dissensio in Regem vel in populo, secuta est? Qui parere debebant, numquid arma ceperunt in adolescentem Regem? Quæsitusne est alius? Volueruntne quicquam demere eius potentiæ aut fræno iniecto effusiorem moderari, vlloue pacto minorem esse

recentem veteribus Principem? Profecto nequaquam. Et quo pacto etiam tale quid effecissent? Fuerint sane gloriosi homines qui affirmarint. Tamen contrarium omnes huic interrogationi fecerunt. Omnes enim ad eum venerunt tam Proceres Regni,& Nobilitas,quam ciuitatum incolæ. Vniuersi in eo agnouere Regem suũ, iuramentum illi præstitere: Principes Primatesque genua terræ inflexere, supplices petitiones suas offerentes, conciliumque duodecim virorum constituerunt, secundum quorum relationem Rex mandaret quæ fieri vellet, qui tum agebat tertium decimum ætatis annum. Dicto apud Turonas conuentu nonnulla proposita sunt pro rebus præsentibus monita & petita, coram Rege eiusque Consistorio, sed magna humilitate, ad Egregium Regni, ita tamen vt simul cuncta Regis eiusque Consilii arbitrio rescriberentur. Quæ postulanda putabantur, oblata sunt ipsi, quæque scripto offerebantur Statibus, Regi futura necessaria, nullo contra verbo dicto concessa sunt; pecuniæ quidem summa ad vicies quinquies centena Francorum millia exscendente; sane non nimis pro re præsente exigua, si cum hominibus inciuilioribus res fuisset. Supplicarunt iidem Status vt post biennium denuo coire liceret, quod si Regi non sufficerent sumtus, præstituros vltra quæ vellet: si quo vero modo bello impeteretur, aut alia ratione molestus ipsi esse quis vellet, vteretur bonis virisq; ipsorum qua vsus posceret, nulla exceptione affuturis. Suntne hi igitur tales subditi contra quales priuilegiũ Rex suum iactare velit exigendi pro lubitu omnia, qui nihil non vltro offerunt? Nonne coram Deo & hominibus æquum iustumque sit potius hac ratione pecuniam accipere, quam violenter, aut malis artibus? Nec est Princeps, vt dictum, qui exigere possit nisi per consensum præstitutorum, modo non tyrannice & contra

iura diuina atque humana poteſtate ſua vti velit; Verum ſatis ex aduerſo eſt belluarum, non capientium quid in his rebus ſequi aut fugere debeant. Pariter multi ſunt populi Principibus ſuis non vti decet parentes, quos deſerant in rebus vrgentibus: quod ſi eo deuenerit aliquis eorum, vt opus habeat auxilio, contemto eo & conuitiis proſciſſo differuntur ſeditionibus, perfidi in præſtita iuramenta, infideleſque impie; Principum Regumque nomine hic etiam Gubernatores Præſideſque intelligo ipſorum, qui mandatis officiis vulgo præſunt. Maxima plerumque mala de maxime potentibus deſcendunt, imbecilles enim patientia contenti ſunt. Et tam fœminas hoc loco quam viros loquor, vbi eæ nimirum rerum potiuntur, aut fauore coniugum aut rerum ſuarum propriarum adminiſtratione, vel & cum per eas poſſeſſiones veniunt. Quod ſi de inferioribus in humana vita etiam ſtatibus ſermocinari velim, longa nimium fuerit oratio, quapropter & maioribus rem conſiderandis abſoluo. Per hos enim maxime Dei potentia & iuſtitia cognoſcuntur. Vt enim pauperi obſcuroque homini infinita mala accidant, nemo tamen vel vnum indidem contemplabitur, omnia enim miſeriis eius & paupertati reſcribuntur, vel quod male ſuis rebus proſpexerit; adeo vt ſi quis huius cenſus ſubmerſus flumine aut fracto collo peſſum iuerit, accidiſſe ei putatur, quia ſolus fuerit, neque eſt qui inde quid dictum audire patienter poſſit.

Cum vero grandem aliquam ciuitatem fulmen tangit, non ita cenſetur: neque tamen tanti & hinc ſermones oriuntur quam vbi Princeps quiſpiam concutitur. Dicendum itaque erit cur ira Dei vehementiorem ſe exſerat contra hos, quam humilium quemque; ſcilicet pauperibus debilibuſque vndique aſſunt qui eos caſtigent cum merentur, etiam ſæpius cum

minus nihilo, vel ob exemplum aliis præstituendum, vel facultatum inuolandarum gratia, vel & erroribus Cognitorum; non raro tamen ob bene promeritam noxiam. Verum cùm peccant & delinquunt Principes, eorum Coniuges, Gubernatores, Consiliarii Prouinciarum & Ciuitatum Magistratus improbi & Dominis in parentes, quis erit qui cognoscere de criminibus possit? Vt cognoscatur, quis Iudici rem deferet? Quis erit vice Iudicis, qui examinatam puniat? De malis improbisque, non de bonis probisque loquor, quorum illi abundant, isti vix vspiam sunt. Et quæ sunt caussæ, obquas potentes isti mortalium peccant, omni hoc noxiarum genere, quarum partem minimam dixi, cætera prudens vitandæ prolixitati prætergrediens? Omnes ex vna oriuntur origine, Iustitiæ nimirum & potentiæ Diuinæ contemtu. Et hæc est Fidei in Deum defectio in his: in ignorantibus autem intelligentiæ & Fidei quidem simul, huius tamen principali loco; vnde mihi videntur procedere omnia, quæ vitam humanam differunt, infortunia, præcipue in quibus oppressi queri possunt de iniuriis & violentia alterius sua damna oriri. Homo enim tam diues quam egenus, si bona veraque in Deum fiducia viuat, credens re ipsa talia esse apud Inferos post hanc vitam tormenta, sciens pariter alterius iniuria quicquam occupasse vel & à maioribus occupatum se teneretur, (quocunque eæ possessiones nomine censeantur, sint Regna, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Castra, prata, pecuniæ, prædia cuiuscunque generis) certo simul apud animum suum constituens, non posse æterna salute potiri nisi suo cuique reddito atque restituto, non erit credibile siue ille Princeps siue Dux, Fœmina aut Vir quocumque titulo fuerit in communi sub Sole vita, eum tam excordem atque a-

mentem futurum vt sui vel subditi vel æqualis contra ius quid velit retinere, aut quempiam innoxium indebitumque morti tradere, carcere detinere, alteri demere quod detur alteri, vel inhonesti quippiam ad voluptatem suam siue in muliebrem sexum ob libidinem, siue in masculum quauis alia de caussa, committere. Per fidem nemo tam erit stolidus, aut certe nemo talem possit credere. Nam si firma persuasione hæc quispiam quæ Deus & Ecclesia docent & præcipiunt sub pœnis æternæ damnationis, crediderit, non ignarus quam omnino breuis sit vita, quamque horrenda Inferorum tormenta nullo termino aut pausa præstituta, non sane faciet quæ vulgo fiunt.

Concludimus igitur bona ratione à Fidei in Deum defectione omnia mala prouenire. Vt exemplo res illustretur; Si Rex Princepsue quis carceri indatur, ita vt timorem habeat in eo moriendi; habebitur is tam cari in mundo quippiam, quod oblaturus non sit, vt inde prodire liceat? Certe tam sua quam subditorum suorum omnia bona offundet, vt videre licet in Iohanne Rege Galliæ capto à Principe Walliæ in prælio Pictauiensi; qui tricies centena millia Francorum soluit, tota Aquitania decessit, certo eo eius quæ possidebat, cum non paucis aliis vrbibus, præsidiis, pagis, tertia ipsa Regni parte, tantaque reliquum paupertate inuoluit, vt longo tempore ærea fuerit, paruo argenti clauiculo signante, moneta procudenda.

Omnia hæc & ipse Anglo & filius eius Carolus Sapiens tradidere, vt carcere homo extraheretur: quod si non fecissent, neutiquam tamen occidissent captiuum Angli, sed ad summã omnem mali custodia seruassent: quod si vero & occidissent, non fuisset tamen vllo modo supplicium comparabile vel centesima-millesima

parte iis quæ apud Inferos feruntur. Qua igitur de caussa omnia quæ dixi tradebat hostibus ille, sobole sua bonis spoliata, subditis Regni fere nudatis, nisi quod videret & crederet non alia ratione posse libertati restitui? Sed forte ea committens propter quæ hæc ipsi liberis subditisque mala euenere, non habebat firmam fidem & fiduciam in Deum, peccans contra mandata eius, & peccando eum offendens. Quod si ad liberandum se detentione parui temporis, hic Princeps, tanta bona hostibus suis largitus est, quis omniũ Deum timere putandus erit, qui nolit ad redimendum seipsum de pænis inferorum sempiternis, vicino alicui suo ciuitatem vi iniuriaue vsurpatam restituere? Præcedentium quodam loco interrogaui quis concepturus sit caussas potentium, quis eas Iudicibus delaturus, quis ipse Iudex futurus sit delinquentium? Concepturus vtique eas est clamor & planctus miserorum qui opprimuntur & iniurias patiuntur, absque vlla commiseratione eas inferentium, querimoniæ pupillorum & viduarum miserabiles, quorum quarumque parentes & coniuges occidi fecerint, generatimque omnium quorum bonis aut corporibus affligendis fuerint. Hæc erit accusationis conceptio & formula per infinitos eiulatus, lacrymasque & lamenta, offerens Deo quæ miseri perpetiuntur, Hic erit verus Iudex, qui potest vt non differat pænas iniquorum in alteram vitam, verum & hic eos vlciscatur. Vnde patet puniendos eosdem quod nihil voluerint credere, neque veram firmamq; fidem mandatis Dei adhibuerint. Oportet ergo hinc Deum talia miracula & documenta suæ facere potentiæ, vt quos modo dixi, & vniuersus mundus doceatur pœnas superuenire ob contemtam fidem & iniquas actiones, Deo vim suæ virtutis & Iustitiæ contra exerente, cum nemo alius sit vllibi qui delicta Principum castiga-

ſtigare poſſit. Primo autem loco non corrigunt mores ſuos iſti, quocunque etiam modo atroces punitiones ingruant. Sed vix longo tempore: neque quicquam tale accidit vel ipſis Ducibus, vel vices eorum gubernantibus, aut adeo ciuitatum magiſtratibus, vt non exitu eius etiam ſubditi multa mala patiantur. Itaque non appello infortunia Principum quæ non pariter ſubiectos percellunt, cadere enim aliquando ex equo, frangere crus, febre quadam ægrotare, ſunt remedia quibus curentur; taliaque magnatibus emolumento ipſorum accidere ſolent, cum Sapientiores inde fiant. Infortunia autem vera ſunt vbi Deus tantum offenſus eſt vt vltra ferre peccantes nolit, ſed contra iram & diuinam ſuam vindictam oſtendere vult; tum ſolet intelligentiam puniendorum confundere, quæ eſt ſane ingens plaga ei cui infertur. Familiam ipſorum concutit, ſinitque cadere in diſſenſionem & mutua odia. Princeps ipſe talem contra Deum indignationem incidit, vt conſortia & conſilia Sapientum fugiat, nouos eorum imperitoſque homines vicem conſulat, admoueatque dignitatibus imprudentes, improbos, violentos, adulatores, qui ad placitum eius omnia faciant & loquantur: ſi voluerit tributum vnius nummi exigere, ſuadebunt iſti duorum: ſi minabitur cuipiam, ipſi ſuſpendendum aſſeuerabunt, omnibuſque in negotiis paria, vtque præ omnibus timeri ſe faciat, exhibent ipſimet ſeſe feros & ſuperbos, ſperantes eo modo metui; velut auctoritas ſit hæreditaria. Iam illi qui hoc modo à Principibus fuerint officiis & dignitatibus depulſi, cum multis annis bene fideliterque ſeruierint, multoſque clientes amicoſque per regiones eorum acquiſierint, ægre omnino hanc ignominiam pro ſe quiſque ferunt, cum omnibus beneuolentibus & amicis ſuis. Et forte eo vſque prementur, vt conſilia capere malint defenſionis, aut fu-

giendi ad quemdam vicinorum, inimicum ei qui loco immerentes mouerit, itaque inquilinorum discidio facile aditum adipiscentur exteri. Nullum tam infestum pertinaxque bellum, nulla tam atrox est persecutio, quam quæ inter amicos se subiiciunt, neque vllum aliud tam crudele odium, aut internecina hostilitas. Externorum impetus & incursus, cum vnius sententiæ sunt principatuum interiores, facile repelluntur, non enim habent illi quibus innitantur, quorumque consiliis sustineantur in regnorum penetralibus. Putatne vero quispiam, Principem insipientem, stolidis consiliariis fidentem, de longinquo ingruens aliquod malum prospicere posse, cum nesciat discidia inter suos domi agi, aut poterit arbitrari hoc genus ipsi nocere posse, aut à Deo oriundum esse? Certe non epulabitur eo respectu vilius, neque cubabit durius; non minus alere equorum, aut vestiri tenuius se videbit: sed aulicus eius splendor augebitur, pompa increscet, multos enim sordibus & paupertate sua extraher, dispertietur spolia & dignitates eorum quos exturbauerit, etiam de suo multa adiiciet, vt gloriosior & celebrior fiat. Cum vero minimum hoc cogitabit Deus excitabit ei hostem, cuius forte nulla apud ipsum erit æstimatio, aut notitia. Tum suborientur ipsi suspiciones & cogitationes de iis inque eos quos immerentes offenderit, tum timebit plurimos, etiam beneuolentibus non fidens: non habebit mentem ad Deum refugiendi, sed suis contra viribus ire volens, amplius etiã offendet. Nonne nostro nos tempore satis exemplorum in vicinia talium vidimus? Vidimus Edoardum Quartum Angliæ Regem, paulo post tempore mortuũ, Caput familiæ Iorchensis: non is deiecit domum Lanclastrensem sub qua pater eius & ipse diuturno tempore vixerãt, iurauitque fidem Henrico Quinto, Regi, eadem domo oriundo? Hunc exinde idem Edoardus multis annis capti-

ptiuum tenuit in Arce Londinensium, quem post occiderunt etiam. Non vidimus Comitem Warwicensem, caput & præcipuum antistitem omnium eiusdem Edoardi negotiorum, (qui interemit omnes aduersarios suos, præsertim Duces Sombressetios,) ad finem rebellasse in Dominum suum, filiam suam collocasse VValliæ Principi, filio Henrici Regis, volentem Lanclastrensem denuo familiam Regni fastigio imponere, cum hoc redeuntem in Angliam, prælio superatum, occisumq; cum fratribus cognatisq; suis, & plurimis aliis Angliæ Proceribus, qui paullo ante pariter aduersarios suos omnes peremerant? Post horum etiam liberi cædem suorum vlti sunt, tempore fortunam in eos reuoluente. Certe arbitrandum est nullum horum vulnerum aliunde quam à diuina venire iustitia: verum, vt alibi dixi, hanc præ omnibus regnum Angliæ à Deo gratiam habet, quod neque regiones neque homines bellis vastantur, neque flammis prædia aut ruinis infestantur, sed Martis fortuna solos vlciscitur belligerantes, præcipue Nobilitatis primoreis, quos victores maxime odio habent: ita in omni humana vita nihil est perfectum. Edoardus confectis ex sententia per Regnum negotiis, è nostro annua recipiens quinquaginta Coronatorum millia, in arcem ipsi suam Londinensem deportanda, cum esset plenus adeo diuitiarum vt vltra non posset, ex inopinato mortem confestim obiit, velut ægritudine concepta ex matrimonio nostri Regis, qui nunc imperat, cum Margarita Austriæ Ducis filia: quamprimum enim huius certior esset factus, morbum concepit videns deceptum se spe nuptiarum filiæ suæ, quam iubebat appellari Galliæ Regis sponsam; eoque modo amisit dictam à nobis pecuniæ pensionem, quam ille tributum vocabat, cum neque hoc neque illa esset, vt superioribus etiam

de-

declaratum eſt. Edoardus idem coniugi ſuæ ſuperſti-ti reliquit duos egregios filios, Principem Walliæ, & Ducem Iorchenſem, cum totidem filiabus. Dux Cloceſtriæ, frater ipſius, nepotis ſui tutelam aggreſſus eſt, Walliæ Principis, qui annum habebat decimum. Huic fidelitatem iurauit, vt Regi ſuo, duxitque Londinum ſimulans Coronam ei impoſiturum, vt fratrem eius ea aſtutia aſylo ſuo in eadem vrbe, vbi erat cum matre ſua nonnihil mali ſuſpicante, extraheret. Ad ſummam auxilio Epiſcopi Baſenſis, (qui quandoque Edoardo Conſiliarius adfuerat, dimiſſus poſtea & in cuſtodia habitus, vnde numerata pecunia exiuerat) confecit quod mox narrabitur.

Hic Epiſcopus Duci iſti Cloceſtriæ perſuaſit Edoardum Regem perdite amantem quandam Anglam mulierem ipſi pollicitum matrimonium, ſi cum illo accubaret. Eo obtento, Epiſcopus aſſeuerauit iunxiſſe ſe fœminam legitimis ceremoniis Regi, nemine præter ipſos tres præſente. Se, vt aulicum hominem rem ſilentio preſſiſſe, adfuiſſeque fœminæ perſuadendæ vt idem ipſa faceret, rem itaque ita occultam manſiſſe: Poſt vero Edoardus duxit filiam cuiuſdam de Regno ſuo primatis, Riuierii nomine, viduam mulierem, non alia ratione, quam per amatorias quoque blanditias. Tum vero, vt dictum, is Epiſcopus hoc myſterium patefecit Cloceſtriæ Duci, quod peſſimo exigendo propoſito ingentem ei ſtimulum addidit; occidit quippe vtrunque ex fratre Nepotem ſuum, ſeſeque Regem fecit, aſſumto Richardi vocabulo. Neptes ſuas, horum ſorores, pleno conſeſſu Senatus regni ſpurias declarari fecit, demtis regiæ familiæ inſignibus, peremtis inſuper omnibus fratris quondam clientibus intimioribus, iis certe quos in poteſtatem ſuam redigere potuit. Hæc crudelis immanitas non diu impunita fuit; ipſe

enim

enim maiore omnia cum fastu & arrogantia agens quam centum ipsis annis fecerat quispiam Angliæ Rex, cum occidisset Ducem Bouccingamium, haberetque ingentes paratas copias, euersus est ab contemtibili quodam inimico, à Deo in ipsum excitato: Hic erat Comes Richemontius captiuus in Britannia, nunc Rex Anglorum, & ipse de familia Lanclastrensium, non tamen propinquus ad successionem Regni, (quantum ego noui, licet contra non pauci sentiant) qui mihi recensuit, paulo ante quam Gallia decederet, à quinto ætatis anno sese vice fugitiui absconditum inque custodia fuisse habitum, iamque Francisci Britanniæ vltimo mortui quintumdecimum annum captiuus erat, in cuius potestatem venit tempestate maritima eiectus, cum Comite Pennebrochio, agnato suo, in Galliam fugere conatus. Eram ego apud Ducem Franciscum cum caperentur, à quo humanissime, vt captiui, habiti sunt: Mortuo autem Edoardo Richemontius à Britanno idoneis nauigiis & copiis instructus, conspiratione Buccingamii Ducis fultus, (qui & propterea interemtus est) in Angliamque missus est, Mare admodum procellis fluctibusque infestum expertus, Dieppam relatus est, indeque terrestri itinere in Britanniam rediit. Eo cum redactus esset suspicabatur cum quingentis quos alebat Anglis suis Duci molestus esse, timebatque ne suo detrimento cum Richardo eidem conueniret, vt verum est institutam fuisse tractationem, itaque nulla petita venia clam cum suis discessit. Exiguo post tempore trium aut quatuor millium stipendium ipsi militum, cum quibus traiiceret, datum est, & à nostro, qui nunc imperat, Rege cohortibus eius sufficiens præbita pecunia cum nonnullis tormentis; itaque Normandiæ ora soluit in Walliam patriam transfretaturus. Aduenienti obuiam processit Rex Richardus;

chardus, ſed Richemontio acceſſerat Stanleius, Eques Anglus, ipſius vitricus, cum copiis ad viginti ſex militum millia. Prælio commiſſo eo ipſo in loco procubuit Richardus, & Richemontius ibidem Rex coronatus, diademate Richardi. Dicet vero aliquis hæc egiſſe fortunam? Verum ædepol Iudicium Dei fuit: Vt id magis intelligatur, ſciendum poſt occiſos nepotes Richardum ſtatim etiam ſpoliatum eſſe vxore. Nonnulli aiunt & hanc ab ipſo interemtam. Habebat vnicum filium, qui ſtatim etiam interiit. Tota hæc narratio forte locum opportuniorem habuiſſet infra, vbi de obitu Edoardi verba facturus ſum, ſed hic collocandam duxi continuandæ monitioni principum, commodum incidenti. Pariter paruo à tempore mutatum vidimus Regnum Hiſpaniarum poſt exceſſum Henrici, vltimo defuncti, cui nupta erat Soror Regis Luſitaniæ, vnde prodiit ſpecioſiſſima puella, quæ in Regno tamen non eſt ſecuta, ſed eo ſpoliata prætextu adulterii materni, re non ſine conflictibus belliſque tranſacta. Rex enim Luſitaniæ neptem ſuam fouebat, & plurimi Procerum Regni Hiſpaniæ cum ipſo ſentiebant: Tamen ſoror dicti Regis Henrici, nupta filio Iohannis Arragoniæ Regis, obtinuit poſſeditque Coronam: ſicque & hoc iudicium factum, iſtaque hæreditas in cœlo creta eſt, vbi & alia plurima talia ordinantur. Vidimus ab exiguo etiam tempore Regem Scotorum & filium eius ætate tredecenni bello confligentes. Filius cum partibus ſuis victor prælio Regem eodem peremit. Hic fratrem ſuum occiderat, aliaque illi maleficia imputabantur, vt ſororis etiam interitus, & pluria. Cernimus pariter Ducatum Geldriæ orbum Principe; audiuimuſque ſupra ingratitudinem vltimi Ducis in Patrem. Plures hoc genus euentuum proferre poſſim, quos nemo non diuinæ vltioni adſcripſerit, vnde oriantur videlicet bella, è bel-

lis

lis fames, egentia, pestilentia; omnibus iunctis ex defectu Fidei in Deum promanantibus. Agnoscere itaque oportet, considerata hominum malitia, præcipue Magnatum, qui neque sese norunt, neque credere Deum esse, necessarium esse vt quilibet Princeps & Rex suum habeat aduersarium, cohibendo ipsi in timore atque humilitate, aliter, nemo neque sub ipsis neque propter eos secure vitam degere possit.



PHI-



PHIL. COMINAEI COMMEMORATIONUM RERUM GESTARUM DICTARUMQUE LUDOVICI XI. & Caroli VIII. Regum Franciæ,

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.



T ad seriem tamdem institutarum Commemorationum redeamus, quas in gratiam vestram, Archiepiscope Viennensis scribere orsi, hucvsque deduximus : interim dum Rex dicta ad limites Picardiæ oppida atque præsidia suæ subiicit potestati, exercitus ipsius rem gerebat in Burgundia, ad speciem præfecto parens Principi Arausionensi, nunc quoque superstiti, qui natus subditusque erat Comitatus Burgundici, sed recens in inimicitiam venerat Caroli secunda vice. Sic Rex opera eius vtebatur, erat enim præpotens inter Proceres vtriusque Burgundiæ, splendidissimis cognatis fultus, & omnibus carus. Cranius vices gerebat Regis, & exercitus munia administrandi obibat, homo sollers, fidissimus Domino, in quo fiduciam Rex poneret

ret vniuersi huius negotii, sed paulo proprii emolumenti studiosior. Is cum Burgundiam accessisset misit Principem Arausium ad Diuionenses argumentis inducendos ad parendum imperatis Ludouici, ab hoc cum comitibus tantum effectum est vt ea ciuitas cum reliquis Principatus Burgundiæ Regi se committeret, Aussonna cum nonnullis aliis castris manebat fidem Principis, Caroli filiæ. Dicto Arausio Principi splendida officia promissa erant, & restituenda omnia in Comitatu Burgundiæ loca quæ possederat auus quondam eius, quorum gratia lis inter eum & Barones Chasteauguræos cognatos ipsi, erat, quorum caussam contra fas à Carolo foueri prętendebat. Erat enim ordinario iure à partibus ad Tribunal Ducis dimicatum seruatis Litium pompis: Carolus autẽ magno cum apparatu contra Arausium sententiam dixerat, quapropter Princeps eum reliquit & Regi accessit. Hoc autem nõ obstante Ludouici promisso Cranius, possessionem dictorum locorum adeptus, præcipue meliora præsidia de quibus Arausius optime sperabat, nequaquam ei ea restituere voluit, quocunq; etiam genere poscerentur. Rex quidem scripto sæpius id iusserat, non nescius manifestam Principi iniuriam inferri, tamen timebat & Cranium ipsum offendere, sub cuius officio omne illud erat territorium, neque putabat tantum animi Principi esse vt Burgundiam auerteret, quod magnam tamen partem fecit. Sed nunc omisso hoc argumento, alia propiora scribamus.

CAPVT II.

Vt à Ludouico post mortem Caroli Angli sint circumducti, ne obsisterent prouincias eius occupaturo.

QVi has Commemorationes aliquando euoluent,

cognitionem quandam huius regni vicinorumque, mea fortasse meliorem, habentes, mirabuntur fortassis quod ab excessu Caroli hactenus (anno pene integro interlapso) nullam Anglorum mentionem fecerim, quo pacto videlicet illi ferre potuerint Regem ipsis propinquas ciuitates vt Atrebatum, Boloniam, Hedinum, cum pluribus castris suæ subiecisse potestati, iamque non paucos dies Samdomarum obsidere. Caussa erat quod ingenio & astutia Ludouicus Galliæ Angliæ Edoardum Regem multimodis præcederet, quamlibet hic fortissimus esset Princeps quique apud suos nouem ingentibus præliis hostes diuersos suos profligarat, quibus omnibus pedes, magna cum sua gloria, interfuerat. Sed eæ res diuersis temporibus contigerunt, neque magnopere inibi ingenio contendendum habuit Edoardus, vna enim pugna victor lōgo spatio dehinc omnia tenuerat. Angliæ quippe mos est cum dissidia subnascuntur intra paucos dies alterum superiorem euadere, nostræ autem expeditiones prorsus alio genere sunt oportebat enim vt cum bellica virtute Regi esset vicinorum omnium & intra Regnum plurimum simul locorū inspectio. Omnium quidē negotiorum maxime ipsi curæ erat Angli pacificatio, vt eum per Legatos, dona, & pollicitationes attineret, ne impedimento veniret propositis expeditionibus. Nouerat enim numquam nō Anglos tam Nobilitatem, quam Sacri Ordinis, Populique præsides viros, pronos esse ad bella Gallis inferenda, tam sub colore litium, quas semper habent, quam spe lucri; permiserant enim Deus prædecessoribus horum magnis præliis vires nostras contundere, diuq; tam Normanniæ quam Aquitaniæ plura loca obtinere spatium vsq, annorum trecentorum quinquaginta, vbi Carolus Septimus primo recuperare amissa orsus est, vt alibi diximus. Currēte eo tempore ingentibus spoliis & diuitiis Angliam oppleuerant, Principibus

bus & Baronibus Regni multis captis inq; cuſtodia habitis, vrbibus oppidiſq; expugnatis. Horum ſucceſſuum iterandorum ſpes adhuc animis gentis obhæret; tamen ægre tale quid Ludouici noſtri ætate confecturos fuiſſe exiſtimo. Nequaquam enim aleæ Regnum ſuum ſemel expoſuiſſet eo vſque vt pedes ipſe militaret, neq; tota adeo Nobilitas in prælium deſcendiſſet, vt factum eſt ad Agincurtium: Quod ſi omnino eo relata res fuiſſet, prudentius vtique adminiſtraſſet omnia, vt videre licuit ex eo commento quo regno ſuo Edoardum emouit. Itaq; opus eſſe nunc quoque videbat diſtineri ingenioſe Anglum alioſq; vicinos Pacis & deliciarum eius ſtudioſos: ſic ſoluebat pulcre penſionē quinquaginta millium Coronatorum, tributi nomine ab gente cenſitam, & Arci Londinenſi quotannis inferendam, additis ſedecim aliis millibus, quos vltro Edoardi proximis amicis munerabatur. Vtpote Cancellario, Quæſtori, nunc-Cancellario, Magno Cubiculario Haſtingio, (prudentiſſimo homini magnaque virtute, & auctoritate apud ſuum principem, idque merito, cum fideliſſime atq; ſtrenuiſſime officio ſuo functus eſſet,) Thomæ Mongomerio, Hauartio (qui poſt cum perfido Rege Richardo Nortfolcii dux fuit) Magno Stabulario Chenio nomine, Chalangerio, & Marchioni ex præterito matrimonio Reginæ filio. Adhæc ingentia dona largiebatur ad ſe veniētibus inde, licet cum acerbis ſæpe adeſſent nuntiis; quos tam ſpecioſis verbis excipere norat, tamq; ſplendidis decorare muneribus, vt optime contenti diſcederent: horum licet quidam animaduerterent tempori ducendo hæc geri, vt interim quæ vellet Ludouicus bello præſente conficeret, diſſimulabant tamen vltro, ob emolumenta ſua priuata egregia. Etiam quibus ordinaria donabat dona, addidit multa, & certus ſum dictum Hauartium ſupra penſionem ſuam intra duorum annorum ſpacium pe-

cunia & vasis viginti quatuor millia Coronatorum accepisse; Hastingio auté magno Cubiculario semel mille marcas (quas vocant) argenti facti contulit. Omnium horum acceptorum testes litteræ sunt in Conclaui Parisiensi Redituum, quod vocant, solo isto Hastingio excepto, qui, vt dictum, Cubicularius erat Regni Angliæ magnus, quæ summa est dignitas, & vnum tantum hominem fert. Is magnopere orandus fuit priusquam pensionem Ludouici admitteret, quæ res per me expedita est. Ego enim eum amicum feci Carolo Duci, cum apud istum essem, à quo annuos mille exinde Coronatos capiebat. Hoc dixeram Regi, cui placuit vt quocunque modo ipsi eumdem adiungerem; pręterito enim tempore ingens aduersarius eidem fuerat, & post quoq; fauore filię Caroli, parumque absuit quin huius viri consiliis in gratiam Puellæ Burgundæ Ludouico Anglia illideretur. Sic orsus sum eam amicitiam per litteras, & rex ipsi dedit annuos bis mille Coronatos, duplo Burgundicæ pensionis pretio, misitque ad eum Petrum Cleretium, vnum ex Aulæ suæ præfectis, vt huius etiam syngrapham ob acceptum aurum caperet, vt sequentibus temporibus demonstrari posset Angliæ Magnum Cubicularium, Cancellarium, Admiralium, Stabulique præfectum, à Rege Galliæ annua pecunia stipendia habuisse. Cleretius sagacissimus homo erat, & cum Hastingio in arctam familiaritatem venit, solus soli intra cubiculum suum collocutus; qui cum mandata retulisset regis nomine perhibenda, obtulit dicta duo millia Coronatorum; non enim alius monetæ pecunia Ludouicus ad exteros Magnates vtebatur. Hastingius auro accepto à Cleretio vltra sollicitatus ad dictam Syngrapham redhibendam, valde renisus est. Ibi multis postulare alter trium vt linearum saltim sua manu litteras traderet ad Regem, testimoniū recepti pretii, vt ipsum tradidisse

didisse iussum constare posset, esse enim Ludouicum in suspiciones proniorem. Tum viso æquum postulari Hastingius respondit. Quod poscis, Cleretî, æquum quidē est, donum tamen hoc proficiscitur ex mera liberalitate Domini tui, nequaquam autem mea petitione: si vis vt accipiam, huic manicæ meæ indas tute necesse erit, neq; alias litteras testimoniumue exspectes. Nolo enim mea de caussa dici posse Magnum Angliæ Cubicularium quandoque stipendiarium Galliæ Regis fuisse, neq; velim extare meas Syngraphas in Rationibus Expensarum Regni vestri. Nihil vltra mouit Cleretius, sed relicto homini auro Regi quæ acta essent retulit, qui iratus est apprime nullas eum retulisse litteras, sed Hastingium laudauit supra omnes Angli ministros, soluique ei quotannis iussit sine receptis litteris suam pensionem. Sic cum Anglis Ludouicus noster rem agebat, sæpe tamen à Burgunda Edoardus sollicitabatur ad auxilia contra ipsum; sæpe rursum ipse ad nostrum mittebat poscens vel pacem vel indutias. Qui enim in Anglia Consiliarii erant Edoardi, præcipue Senatores Regni Curiæ, quod Parlamentum vocant, velut Tres nostri Status dicas, inter quos erant de longinquis regni prouinciis venientes, neque consortes Gallicæ munificentiæ, cum Communi populo magnopere volebāt vt Burgundæ vi assisteretur, palam ferentes, fraude à Ludouico agi, neque completurum promissum matrimonium, vt liquido perspici posset. Induciis enim Picennii factis promissum iuratum vtrique Regum fuerat intra annum mittendam esse Legationem quæ filiam Edoardi Gallo (quæ iam titulo eo insignita erat) peteret, eum terminum dudum esse præterlapsum. Quicquid autem suaderetur Edoardus alienus omnino ab hoc bello erat, pluribusque rationibus. Erat homo voluptuarius, suis delitiis cumprimis studens, neque tolerandis bellorum laboribus factus,

factus, præterea magnis se difficultatibus exsuerat, quibus denuo iniicere fugiebat. Altrinsecus cupido quinquaginta illorum millium, intra arcem suam ipsi quotannis tradita, cor homini molliebat; adhæc quoties Legati ad nos venirent tam splendide excipiebantur, tamque dona accipiebant grandia, vt optime contenti animis recederent; neque vmquam tamen certum retulere responsum, distinendo solum tempori respondebatur, Ludouicum breui ad ipsorũ Regem dignos homines missurum, qui tam certum eum eorum de quibus nunc dubitaret, facerent, vt vltra nihil postulaturus sit. His ita Legatis expeditis mense post vno aut præterpropter, (quod sane talibus negotiis non exiguum tempus est) Rex in Angliam mittebat semper nouos homines, qui prioribus legationibus non adfuerant, vt vltimi nescirent quid responsi dandum, si præteriti aliquid promisissent; quod non esset expletum. Pariter ii, qui mittebantur, operam dabant tam Securum nostrarum rerum Anglum facere, vt quiesceret adhuc, nec ad belli consilia verteretur: Tantopere quippe matrimonium hoc cupiebat cum Regina vxore, vt facile dissimularet eo respectu Consilia nonnullorum de Consiliariis, dicentium contra auctoritatem multa Regni fieri; Timebat autem id coniugium præcidi, per vulgo iactata apud Anglos suos dicteria, præcipue ab iis qui belli dissidiorumque redintegrandorum erant studiosi. Ea res vt paullo lucidior fiat sciendum Regem nostrum numquam cordi habuisse complere hoc matrimonium. Virgo enim, iam Regina Angliæ, longe ætate erat Delphino, qui nobis nunc imperat, prouectior; Sic vno alteroque mensibus eundo redeundoque extractis id agebat vt commodum belli inferendi tempus aduersario eximeret: procul-dubio enim citra spem huius voti Edoardus nequaquam permisisset ipsi capere dicta loca sine bello contra illato,

quod

quod ſi initio à partibus Burgundæ idem ſtetiſſet, Rex noſter, vt timidus erat aleæ quicquam extremæ committere, nequaquam eam domum eo quo facit modo, attriuiſſet.

Hæc ego eo præcipue fine commemoro vt intelligatur vt meo tempore res inter homines fuerint administratæ, vnde lecturi iſta, conſilium ſuis ordinandis capere poſſint; vt enim plerique me acutiore ſint ingenio, vt facile conceſſero, & pauca viliaque tamen interdum commonuiſſe ex vſu ſit. Verum pariter eſt ſi Caroli filia voluiſſet adſentiri nuptiis Riuireii, Anglorum Reginæ fratris, veniſſet ea gens cum copioſo exercitu in puellæ ſubſidium. Sed hæ nuptiæ impparium omnino erant; Procus enim nil præter ſimplicem Comitem, puella hæres maximarum incomparabilis vlli alii prouinciarum. Negotiis inter Anglum & Gallum hinc inde pendentibus, Anglo noſter aliquando obtulit, ſi vellet auxilio adeſſe, & ipſemet in prouincias quondam Caroli tranſmittere, ad partem inde ſibi capere, ſponte ceſſurum Flandria, libera etiam iuramento, quo tenebatur eatenus Galliæ, & Brabantia, Adhæc ſeſe ipſi quatuor maximas Brabantiæ ciuitates ſuo Marte traditurum, etiam decem millibus Anglorum in quatuor menſes ſtipendium præbiturum, vt eo facilius exercitus conduceretur; addita bona copia tormentorum, militum, plauſtrorumque ad impedienda ſubuehenda, ſic Flandriam ab ipſo occupari poſſe, dum Ludouicus alibi rem gereret. Reſpondit his Edoardus: Ciuitates Flandriæ grãdes munitas & præfortes eſſe, inſuper loco ſitas difficilimo ad tuenda quæ occupaueris, eamdemq; Brabãtiæ rationẽ eſſe: Anglis vero non ſatis placere hoc belli ob mercaturã citra vltraq; cõmeantẽ, ſed ſi placeat Ludovico, quoniam ſuarũ ipſum victoriarum participem eſſe velit, tradere nonnullas

 earum

earum quas in Picardia occupasset ciuitatum, vt essent Bolonia aliæque, partibus eius palam accessurum, cunque stipendiis exercitum missurum. Erat hoc consultum admodum prudensque responsum.

CAPVT III.

Vt matrimonium Burgundæ cum Maximiliano tum Austriæ Duce, post Imperatore, conclusum confectumque fuerit.

SIc Reges isti duo inter sese altercabantur, ad tempus extrahendum nostro omnia dirigente, Burgundæ autem res indies peiores efficiebantur. Paucis enim ex illis bello idoneis militibus, qui Caroli exitu superfuerant, plerique ad Regem transierant, præcipue post Cordæũ qui bonam secum partem transtulit. Alii necessitate se ipsa vrgente eadem conferebant, cum bona possessionesque suas iam occupatis bello ciuitatibus haberent assitas, aut ipsi nati in iisdem essent qui iam Regis imperium subierant, à quo beneficiorum quoque spes non paucos auferebat. Adhæc tumultus vbique intra vrbes erant, grandes illas & talibus obuias, præcipue Gandauum, cuius vesania omnia concutiebantur. Circa Puellã ipsam varia de variorum nuptiis disceptabantur, paucis non autumantibus marito ipsi opus esse reliquum quod haberet prouinciarum defensuro, aut Ludouici filio desponsandam, vt omnia pacata redderentur. Nonnulli in hanc sententiam omnia faciebant, ipsa præcipue virgo antequam litteræ ipsius ab Hymbercortio & Hugoneto Regi allatæ, fuissent Gandauensibus traditæ. Contra alii Delphini annos allegabant vix tum nouennium emẽsi, iamque eum in Anglia sponsam habere, offerebantq; Ducis Cliuiæ filium. Erant qui Maximiliano Imperatoris filio

filio fauerẽt. Puella odium in Regẽ conceperat ob dictas litteras, eum enim videbat morti suorum supra descriptæ indidem caussam dedisse, dolebat præterea pudore confusam cum publice epistola fuisset exhibita, qua etiam de re Gandauenses eo audaciæ processissent vt semotis nouerca & Rauestenio plures ministrorum ab ipsa eiecissent, Gynæceo toti eo metu incusso, vt nulla inde fœmina aliquas aperire litteras auderet, neque secretim ipsi colloqui. Adhæc incipiebat discessum parare Episcopus Leodiensis, cupidus alioquin Gallicarum nuptiarum, sane maximo honore & emolumento puellæ conciliandarum, nisi ætas Delfini obstitisset, non tamen vt Episcopus iste eo vsque rem peruideret: is ita Leodium suam recessit, & quisque alia agere ordiebatur. Sane negotium hoc vtrinque confectu difficile fuisset, neque puto magnum inde honorem ad eos reuersurum fuisse, qui allaborassent, itaque quisque conticebat. Olim tamẽ concilia quædam eiusdem ergo conuenerant, quorum vni cum interesset princeps Aulicarum matronarũ apud Burgundam Halwinia, sententiam, vt mihi relatum est, dixit strenuam: Opus esse rebus præsentibus viro, non puero: Dominam suam iam nubilem esse, & idoneam gignendæ soboli, qua maxime omnium egerent omnes ipsius prouinciæ. Ei accessum est. Nonnulli vituperarunt matronæ huius dictum, vt æquo liberius, alii commendarunt, dicentes eam de matrimonio solum locutã, optime consuluisse Reipublicæ necessitati. Sic deinceps nihil actum æque est quam vt talis princeps inueniretur, & pro vero habeo si Regi placuisset Ducem Angolismẽsem, nunc florentem, ei offerre, conditionem fuisse accepturam, tam studebat Gallico Regno sociata permanere. Sed Deo conclusum erat aliunde coniugium nobis forte nec nunc quidem rationem rei cognoscentibus, nisi quod constat ex ea plura ingentia bella hac

atque illac propagata esse; Quod potest vt non contigisset si dicto Duci puella nupsisset, cum omnibus malis quæ ex illo Flandria, Brabantia, cæteræque regiones perpessæ sunt. Dux Cliuiæ aderat ibidem Principi Burgundæ, ambiens summo studio amicos sperans adhuc filio sponsam eam conciliaturum, sed eorsum minime inclinabat vt nec familiarium quisquam ob eius iuuenis ingenium moresq;.Ita nonnullis inceptum agere de Maximiliano Imperatoris filio, nunc Rege Romanorum, de quo alibi collocuti fuerant Pater ipsius Fridericus & Carolus, conueneratq; res inter ambos. Erant Imperatori litteræ manu Virginis scriptæ ad mandatum Caroli, & annulus cum eximii pretii adamante: Litterarum series habebat: ipsam bonum Domini parentisq; sui consilium secutam promittere Duci Austriæ, Imperatoris filio, connubio de quo mentio sollemni more facta fuerit, ad voluntatem lubitumq; dicti parentis Dominiq; sui. Imperator Legatos ad Puellam Gandauum mox misit, qui cum Bruxellas venissent, scripto ex aula Burgundæ moniti sunt ne procederent, sed eo loco præstolarentur, adfuturos enim qui responderent auditis mandatis: Hoc confecerat Dux Cliuiæ cui inuito hæc aderat legatio, vnde cupiebat offensos retromittere. Sed Legati, iam habẽtes propter Burgundam rebus ipsorum fauentes, præcipue nouercam, quæ expulsa fuerat, vt dictũ, propter publicatas litteras, processere recta: Hæc enim, vt mihi narratum est, monere eos non cessabat, litteris aulicis contemtis, res suas agere; adhæc instruxit eosdem quid Gandaui & quomodo aggredi deberẽt. Virginem ipsam optime pronam in eorum res esse, vt & multos familiariorũ. Hoc cõsilium secuti sunt ii homines rectaq;, vt diximus, Gandauum profecti, contemtis aduersis omnibus nuntiis, quæ res ægerrime accidit Cliuensi, nondum tamen mulierum voluntatem perspicienti. Consilio decretum
est

eſt Legatos audiendos dictumq;, vt poſtquam Fidē mādatis ſuis dediſſent, Puella ipſamet amāter eos exciperet, cōmitteretq; deliberationi Conſiſtorii eiuſdem quod cum illa fuerint locuti, vti commodū iis impertiri reſpōſum poſſet neq; ipſa vltra quicquā priuſue verborum faceret. Placuit idem ipſi Principi. Cum dies deſtinata veniſſet Legati litteras ſuas exhibuerūt, fide mandatorū in hanc ſummam propoſita. Matrimonium de quo agi inciperet, inter Imperatorem & Carolum patrem vtrumque ſponſorum cum virginis voluntate concluſum eſſe, vti videre liceret ex ipſiuſmet manu ſcriptis litteris, quas & proponebant cum Annulo & Adamante, quem dicebant in pignus arrhamque matrimonii datum eſſe, adhoc ſeſe enixe petere vt placeret puellæ promiſſis parentum ſuiſque ſtare, & connubium perficere; ita coram concilio vrſere diceret an ſua manu ſcriptas agnoſceret literas, animataque eſſet quod pollicita fuerat, præſtare. Ad hæc verba, abſque vllius requiſito conſilio, reſpondit Princeps, ſe ſua manu ſcripſiſſe eas litteras voluntate & præcepto Caroli Patris, miſiſſe etiam Annulum cum Adamante, & etiamnum placere argumentum. Tum Legati magnas ipſi gratias agere, optimeque contenti recedere. Cliuenſem vero peſſime habebant omnia iſta, erant enim contraria iis quæ priuato virgini concilio iniuncta fuerant, obiurgatæq; oſtendere voluit non decuiſſe illam hoc modo reſpondere. Illa reſpondit nō potuiſſe ſeſe aliter facere, rem enim dudum pactā eſſe, cui iam contraire neſciret. Auditis iis verbis intellectoq; plures in aula eiuſdē eſſe ſententiæ, decreuit paucis poſt diebus Cliuēſis in ſuā ditionē reuerti, omiſſo prorſus ſuo eatenus propoſito. Sic confectum eſt hoc connubium. Maximilianus enim Coloniam venit, quouſque ipſi nonnulli virginis miniſtri obuiam profecti ſunt, vt creditur, etiam pecuniam ei neceſſariam apportantes, qua male vtique erat inſtructus, Pater enim

Fridericus omnium eo tempore Principum parcissimus habebatur. Inde delatus est Gandauum sponsus comitatu octingentorum circiter Equitum, completæque sunt nuptiæ, vnde prima specie subditis Puellæ non magnæ commoditates obuenerunt, loco enim afferendi argenti, à sponso id exigebatur. Numero non sufficiebant ad obsistendum Regis nostri potentiæ, neque erant mores ipsorum conciliabiles cum domui Burgundæ subditis, qui vixerãt sub principibus præditibus, qui opima dilargiebantur officia, aulamque sumtuosam habebãt & splẽdidam, tam cæteris rebus quam & mensæ apparatibus & vestimentis tam Principum quam Ministrorum. Germani contra erant, rudius enim instituti, inciuilius quoque viuunt. Itaq; mihi videtur deliberato bonoq; consilio nõ sine adiutrice diuina gratia Legem in Francia promulgatam sancitamq; vsu esse, vt filiæ successione Regni prorsus excludantur, vnde caueatur ne id quandoq; in exteri Principis manũ deueniat, quod & alioquin Galli ægerrime passuri fuerant, vt nec ferunt aliæ nationes, & ad extremum res semper tamẽ corsum redit vt habenæ imperiorum ad domesticos reuoluantur, cuius exemplum eadem det Gallia, in qua ad quadringentos annos late dominati sunt Angli, nunc autem nihil vltra Calesium cum duobus castellis possident, in quæ tuenda immanes sumtus facere coguntur: Reliquum omne perdiderũt, multoque facilius, quam acquisiuerunt, vno die plus damni passi quam emolumenti anno confecerint. Aliud exemplum præstent regnum Neapolitanum, Sicilia, aliæque prouinciæ quas multo tempore Galli possederint, quorum nunc ibi nulla monumenta supersunt præter maiorum sepulcra. Quod si principem extraneum aliquãdo ferri contingat, qui comitatu sit paruo, & viuente velut sub regula, ipse sapiens; ægre tamen id splendide stipato accidet. Si enim secum magnum hominum numerum

rum adferat, aut accersat, caussa ingruentium bellorum, sunt inter eos, si non ipsi omnes, qui diuersitate morum & vi pertendēdo excidunt beneuolentia indigenarum, neque amant ipsi prouinciam peregrinam instar suæ, supraque omnia, si volunt Beneficia aut Officia obtinere, magnamque in loco iurisdictionem. Sic opus habebit omni Sapientia sua, si quis sapiet Princeps, cum in extranea loca venerit, ad componendos suorum mores, qua si singulari Dei Beneficio præditus nō fuerit quispiam, ca teræ quæ fando edici queant virtutes nulli ei commodo erunt; quod si ad grandiorem ætatem venerit magnos tumultus turbasque experietur cum omnibus suis subiectis, præcipue si seniles annos attigerit, ministrique ipsius nullam habeant spem fortunas suas amplificandi. Post confectum hoc matrimonium res nihilo melius procedebant, ambo enim iuuenta ætate erant. Maximilianus nullum rerum vsum habebat tam propter adolescentiam, quam quod in loco peregrino prorsus hospes esset, præterea non erat dextre educatus ad magnas res expediundas; vltra neque aderant ei copiæ ad insigne aliquid conficiendum, totis prouinciis illis vndique perturbatis, vt nunc quoque sunt, eruntq;, vti apparet, etiam exhinc. Sic, vti modo dictum est, prorsus difficilis res est regioni alicui extraneum adsciscere Dominum, Deusque singulari dilectione fouet Franciā seruanda memorata Lege, ne filiæ succedāt Principibus. Fateor paruam aliquam domum tali successione augeri posse, magno alicui autem regno, vti istud est, non potest inde quicquam commodi prouenire, certa autem solent detrimenta. Paucis à nuptiis diebus amissa est Artesia, vel certe dum eæ tractantur. Sufficit enim mihi veritatem rerum gestarum narrare, non curioso temporum ad vnius alteriusque mensis spatia dimentiendorum, vnde excusari cupio à benignis lectoribus. Regis negotiū

in

in dies proficiebat, non enim erat qui obsisteret, & occupabat noua quotidie præsidia, nisi interuenirent tractationes quædam pacis aut induciarum, quæ tamen ideo non procedebant, quoniam absurda hinc inde petebantur, vt non posset nō durare bellum. Noui coniuges primo anno filio aucti sunt. Archiduce, qui nunc rerum potitur, Philippo: altero filiam peperit Burgunda Margaritam, quæ nunc nostra Galliæ regina est. Tertio anno enixa est filium Franciscum ad nomen Ducis Britanniæ nostri. Quarto anno periit casu ex equo lapsa, aut febre; verum tamen est cecidisse: affirmant nonnulli prægnantem fuisse. Hic ingens damnum subditi perpessi sunt, erat enim liberalibus mulier moribus & prorsus laudabilis, omnibus suis amatissima, etiam venerabilis vltra maritum, neque mirum, quæ Domina esset regionum. Vnice diligebat coniugem suum, pudicitiæ omniumq; virtutum fama commendatissima. Mors incidit eius annum M. CCCC. LXXXII. In Hannonia rex tenebat ciuitates Quosnoium Comitis, & Bucanium, quas reddidit dominis, multis magnopere mirantibus, nullum quippe belli finem quærebat, & id agebat vt omnibus domum Burgundicam possessionibus exueret: crediderо, si potuisset omnia diuidere & donare ad lubitum suum, totamque illam destruere, nihil æque cupide fuisse facturum. Sed caussæ, propter quas restituerit has ciuitates, fuerunt duæ, vt ipse mihi post recensuit. Prior, quod ipsi videretur Regem amplius studere debere munitis ciuitatibus in suo sitis regno, in quo vnctus sit ipse & consecratus, quam quæ extra id sint. Altera, inter Reges Gallorum & Imperatores sacerrimis iuramentis firmata exstare pacta, rationesque, ne alter alterum impugnare possit; hæ autem Hannoniæ ciuitates erant sitæ sub Imperatoris ditione. Restitutio ipsa facta est anno M. CCCC. LXXVII. Eadem de caussa redhibuit

etiam

etiam Cameracum, aut in potestatem suam liberam reduxit, contentus amisisse, qui & pacta securitate eius præsidium receperant.

CAPVT IV.

Vt Ludouicus Rex ductu Caroli Ambosii, Legati sui, multas Burgundiæ ciuitates recuperarit, quas princeps Arausius vt ab eo recederent impulerat.

IN Burgundia bellum continuabatur, neque destinato fine Rex poterat potiri, Germanis aliquid contra agentibus studio Principis Arausii, eorum Præfecti non Maximiliani nomine, sed suis propriis sumptibus. Nullus enim iis in oris Maximiliani partium vmquam fuit, eo certe tempore, de quo mihi sermo est; Bellum autem administrabant Heluetii confœderati, suis auspiciis, qui neque amici neq; beneuoli sunt Domui Austriacæ. Parum aliquid ab his auxilii habuit Burgundia, amplissima habitura subsidia, si pecuniæ præsto fuissent; neque potuisset rem quisquam melius gerere Sigismundo, Maximiliani agnato, cuius prouinciæ iuxta sitæ erant, præcipue Comitatus Pfirtæ, quem paucis ante annis centum millibus Rhenensium aureorum Carolo vendiderat, post vero argento non reddito suæ potestati vindicauerat, obtinetque eo titulo etiam hodie. In eo numquam singularis aliqua sapientia aut ciuilitas fuit, & sæpius accidit apud tales amicos parum subsidii inueniri, est enim & hic ex iis Principibus, de quibus alibi verba feci, qui nolunt ipsimet suarum habere rerum notitiam, præter id quod placet ministris, inde ad eos referre. Qui senili sua ætate mercedem stultitiæ recipiunt.

Sic

Sic iste quæ commoda Consiliariis videbatur, eam partem hoc bello secutus est, videlicet Regis potius nostri, quam proprii sui nepotis. Ad vltimum successionem suorum bonorum, certe maximorum, deuenire voluit ad extraneam familiam, suæ ablatam, cum liberos etiam repetito matrimonio nullos haberet; qua de sententia ab alia post tres menses ministrorum factione depulsus, tamdem omnia dicto Maximiliano contulit, retento solummodo certo pecuniæ reditu, quæ tertiam partem prouinciarum eius pensionis vix faciebat, omni pariter tradita potestate & auctoritate. Mihi dictum est huius facti sæpius eum pœnituisse, quod vt verum non sit, credibile tamen existimem, hunc enim finem sortiri solet vita Principum bestiarum more viuere satagentium. Quos vt vituperem adigor magni oneris, ingentisque officii consideratione, quæ Deus ipsis imposuit commisitque in hac vita; Horum qui prorsus exsensi sunt, iis opprobrio dari nihil potest, contra autem bono ingenio & corporibus sanis, dextraque omni constitutione præditis, qui tempus suum singuli nullis aliis rebus impendũt quam vt stolidi otiosiq; ætatem inertem degant, obsecundare, & mala eis superuenientia, condolio prosequi, non decet. Laudabiles vero sunt qui, medium quid secuti, partem temporis impendunt negotiis, ad bonum ingenium bene consulentibus obtemperantes, & ipsimet rerum suarum quandoq; curam agentes, partẽ conuiuiis & concessis voluptatibus decidunt aliam; hi & felices ipsi viuent, & subditos æquo suo moderamine fortunatos efficient. Bellum hoc Burgundicum satis diuturnum fuit, ratione exiguorum à Germanis auxiliorum, quibus tamen intolerabilis erat potentia Regis: Burgundis pecunia non erat; qui Ciuitates obtinebant, ad transactionem animos applicabant. Semel Cranius Dolam obsederat, caput ipsum Burgundici Comitatus. Cranius Dux

Dux erat militiæ Regiæ;non inerant vrbi copiæ niſi exiguæ,itaque ab obſeſſore contemnebantur , quæ res malo ipſi fuit. Eruptione enim ſubito facta imparatum nacti præſidiarii parte tormentorum exuerunt, nonnullis cæſis militibus: Rex re comperta, tanto viro pudenda atque indigna,cogitare cæpit de ſucceſſore ſubmittendo in Gubernationem Burgundiæ, idque tam huius euentus gratia, quam magnarum populationum, quibus omnem fere prouinciam ſpoliauerat, ſane indigniſſimis modis: tamen prius quam officio ſuo amoueretur vicit quandam rurſum Germanorum & Burgundionum cohortem, capto Barone Chaſteauguizo, totius Ducatus potentiſſimo. Reliquum victoriæ non fuit pro magno: non ſcribo niſi auditu percepta, tamen certum eſt Cranium ſuæ virtutis famam eo prælio auxiſſe. Rex autem decreuerat ſucceſſorem ſupradictis de cauſſis, ita tamen vt bonis hominis nihil demeretur, præter 'præfecturam militum, qua vſque ad ſex Cataphractos & duodecim ſagittarios, corporis cuſtodiæ relictos, exutus eſt. Ipſe Cranius homo admodum erat corpulentus, beneque agi ſecum ita putans,domum ſe ſuam, opipare paratam & inſtructam,volens contulit. Eius munus datum eſt Carolo Amboſio, Chaumontii Baroni, fortiſſimo, ſapientiſſimo,& diligentiſſimo viro, qui initio ſtatim cepit id moliri vt Germanos bellum contra gerentes ſuarum partium faceret: non tam vt eorum opera vteretur, quam vt quod reſtaret Burgundiæ iis ſummotis facilius occuparet, ei rei ſtipendiis eos ſuis recipere voluit. Miſit igitur ad Heluetios, quos Dominos confœderatos appellare nouerat, magna ipſis & vtilia offerens: primo, viginti annua Francorum millia, quæ publice ciuitatibus quatuor, Bernæ, Lucernæ, Tiguro, quartæque, puto, Friburgo, cum tribus Cantonibus (pagis in montanis ſitis,) Suitiæ, Soloduro, Ondreualdiæ

ſoluerentur: deinde totidem alia priuatis præſtanda, quorum hominum opera ipſe vteretur in hoc negotio, & poſt vti poſſet, adhæc pariter Ciuem ſe eorum fieri volebat, primumque ex confœderatis, quæ res ambæ ſcripto teſtatæ traderentur. Vltimo poſtulato nonnihil tergiuerſati ſunt, quoniam à longo iam tempore Sabaudiæ Dux primus erat Fæderis: tamen & in hoc conſenſum eſt, pariterque tradenda Regi ſex millia militum quæ continuo ipſi ad mortem vſque ſuam adeſſent, ſinguli in menſem quatuor & dimidium Florenos Germaniæ in ſtipendium adepturi. Egenus aliquis Rex hoc exſequi modo negotium non potuiſſet, noſtro vero hoc idem maximo emolumento ceſſit, Heluetiorum autem vltimo in perniciem caſurum puto. Iam enim tam aſſueuerunt pecuniæ, cuius antea vix vllum notitiam habebant, præcipue aureæ, vt paratiſſimi ſint in partes diduci ciuilibus diſſidiis: quo excepto non poterit ipſis à quoquam noceri, tam aſperis incultiſque locis habitant, boni ipſi militia, præcipue ad conflictus, quare pauci ab omni æuo fuerunt, qui bello eos impeterent. Poſt compoſitas has res, omnibus Germanis, qui in Burgundia fuerant, ſub ſtipendia Regis redactis, potentia incolarum prorſus fracta eſt, &, vt compendio fiant verba, plurimis nouis à nouo Gubernatore rebus conſtitutis, idem obſidere cæpit Rochefortium, caſtrum iuxta Dolam, cui præerat Claudius Vaudræus: id captum eſt tranſactione: poſt Dolam ipſam copias admouit, cuius obſidionem, vt dictum, præceſſor Cranius reliquerat, eam vi tenuit.

Rumor eſt nonnullos Germanorum recens in parteis traductorum voluiſſe vrbem intrare, defendendæ gratia, ſed iis ſe miſcuiſſe cohortes Gallorum Sagittariorum ignaras perfidiæ, & ita ſimul ciuitatem ingreſſas non alio quam vincendi ſtudio; tota autem ea direpta

ex-

exusta & destructa est. Paucis post diebus Auxonnã quoque Gubernator obsedit, munitissimũ oppidum, sed erãt intus rebus ipsius fauentes, quorum gratia Regi scripsit, vt officia illis promitterẽtur; quo facto castra posuit. Licet ipse locis vbi hæc gesta sunt præsens nõ adfuerim, omnia tamen percepi ex iis quę Regi referebantur præcipue per litteras, quibus sæpe vt responderem à Rege mihi imperatum est. Auxonnæ parum inerat præsidii, Primoresque erant iam Chaumontio conciliati, vt intra sextum diem tradita fuerit.

Sic de vniuersa Burgundia nihil iam restabat præter tria quatuorue castella in rupibus sita, vti Iouium cum nonnullis aliis, & Vesontii paritio. Ea est ciuitas Imperialis Comitatui Burgundiæ non subdita, quia tamen insita est regioni, Principi eius placere in multis studet. Chaumontius nomine Regis eam intrauit, sed vt paullo post excederet, cui solitum Ducibus honorem volentes exhibuerunt. Sic tota prouincia Regi accessit, Gubernatoris fortitudine & diligentia. Rex eum magnopere vrgebat, veritus ne fingens vrbis cuiuspiam contra robur moras necteret iis regionibus, vt opera ipsius diutius vtendum esset, neue Rex inde euocatum alibi rebus gerendis adhibere posset. Burgundia enim terra apprime fertilis & opulenta est, quam non aliter atque suam Chaumontius vsurpabat, pariter Cranio rerum suarum augendarum satagens. Pacem aliquando sub hoc Gubernatore hæ oræ habuerunt, tamen vt nonnulla loca mox rebellarent, vt Belna, Verodunũ, alia; quo tempore ibidem eram, missus à Rege cum Pensionariis Aulæ, quibus tum primum Præfectum dedit, more ad hunc postea diem seruato, quæ tamen ductu eiusdem Chaumontii recuperata sunt, delusis hostibus. Et in hoc talibusq; differentia hominum ingenia videre licet Dei consilio. Is enim sapiẽtiores iis largitur partibus

Patet hũc præfectũ fuisse ipsũ Cominaũ

quibus bene vult, eiſque eligendis iudicium Principi,oſtendens vt ſẽper ita nunc quoq; Reges noſtros velle ſeruatos & auctos, tam defunctum modo iſtum, bonum noſtrum Dominum, quam qui nunc rerũ potitur, licet nonnunquam & his grauia infortũnia obiecerit. Satis erant bellicoſi prudenteſq; viri qui hæc loca ſecundum amiſere, quamlibet non ſatis parato intraſſent ciuitates, rebus ipſorum ſtudentes, ſed dedere tempus colligendis cõtra copiis Gubernatori, errore non excuſabili, norant enim virtutem hominis, & amabantur ipſi ab indigenis egregie. Sic Belnam debebant occupatam ingredi, munitam prorſus firmamq; vrbem, quam ſeruare potuiſſent non alias. Eo die quo Caſtra Chaumontius poſuit ad obſidẽdum futile quoddam oppidulum, Verodunum nomine, omnium aduerſæ partis rerum bene gnarus, ipſi inierunt id, opinati Belnam tenere. Erant tam equites quam pedites lectiſſimi vltra Sexcentos, Germani de Comitatu Phirtenſi, ducibus de Nobilitate Burgunda ſollertibus viris, quorum vnus erat Simon Quintius. Ibi ſubſtiterunt cum nullo negotio poſſent vltra ire ad tenendam Belnam, quam nequaquam vlla vi recuperaſſet Chaumontius, vna vice inſeſſam hoſti. Defectus conſilii fecit eos vna nocte quam oportebat commorari amplius, qua obſeſſi, vique capti ſunt, poſtque Belna ipſa, & omnia denuo in poteſtatem Regis redacta. Ab hoc ſucceſſu numquam refloruere hoſtium res in Burgundia. Eram tum ego illic cum Penſionariis, vti dixi, Regiis, reuocatus à Rege, quod ipſi ſcriptum eſſet parcere me nonnullis ciuibus Diuionenſibus, ne militibus domos eorum hoſpitia darem. Id, accedentibus nonnullis aliis minutis ſuſpicionibus, in cauſſa fuit vt inopinato Florentiam mitterer. Parui, vt decebat, litteriſque acceptis itineri me dedi.

CAP.

CAPVT V.

Vt Cominæus, dum Burgundia Regi occupatur, Florentiam missus fuerit; vtque Iuramentum Fidelitatis nomine Regis ipsi præstiterit Dux Mediolani super Principatu Genuensi.

DIsceptatio, cuius me gratia eo Rex mittebat, inter duas clarissimas familias hæc erat Medicæi & Paccii. Paccii nisi amicitia Pōtificis & Neapolitani Regis Ferdinandi studebāt tollere Laurentium Medicem cum suis clientibus: Re tentata ipsum quidem non occiderunt, sed fratrem Iulianum in summo Florentiæ Templo cum Fugineto, viro nobili, qui Iuliano cædendo se obiecit, insignis Medicææ familiæ alumnus. Laurentius ipse atrociter vulneratus est, inque Vestiarium Templi, quod parens ipsius æreis valuis munuerat, elapsus. Famulus quidam, quem duobus ante diebus carcere exemerat, egregie ipsi hoc discrimine affuit, pro eo multis vulneribus exceptis. Facinus factum est dum Sacra canuntur, signum quod coniurati ceperant, cum Sacerdos vocem *Sanctus* decineret, rem aggrediundi. Aliter cecidere cætera quam sperauerant: Iam enim omnia se tenere arbitrati, nōnulli Palatium ascenderunt ad ibi cōgregatos Senatores pariter interficiendos (horū nouem sunt, singulis trimestribus officio decedentes, habentq; administrationem totius ciuitatis,) sed non secutis homicidas qui ex pacto debebant, cum gradibus Curiam scanderent, fuit qui pone eos ostium quod intercluderet. Sic cum ad summum venissent non erant vltra quinque, attoniti prorsus & muti metu. Senatores hoc animaduerso cum præsenti seruorum copia fenestris proclamarunt ad plebem emouendam; Iam Iacobus Paccius cum sociis in foro erant ad pedem Palatii, vocife-

ciferantes, LIBERTAS, LIBERTAS, & POPVLVS, POPULUS: quæ verba facta erant ad populum in partes ducendum: ſed plebs vrbana non morabatur ſicarios, quietam ſe tenens, vt dictus Paccius re viſa non ſuccedere cum coniuratis vltra foro profugeret. Senatores dicti his compertis eodem momento quinque illos qui Curiam interficiendis ipſis, & imperio arripiendo, irruperāt, capiunt, illicoque ad feneſtrarum clatros ſuſpendio ſtrāgulari iubent, inter quos fuit Archiepiſcopus Piſanus. Iidem totam ciuitatem in officio permanere, paratamque Medicæorum iniurias vlciſci, videntes, illico ad ſui territorii limites nuntios cum litteris dimiſere imperantes vt omnes fugitiui caperentur, inque Vrbem ſiſterentur. Iacobus Paccius eadem hora comprehenſus eſt, aliuſq; quidam Pontificis Sixti copiarum nonnullarum ſub Comite Hieronymo, qui & ipſe harum partium erat, præfectus. Eiſdem extemplo & hi feneſtris pependerunt. Alius Pontificis miniſter capite truncatus eſt, multi per ciuitatem capti, inter quos Franciſcus quoque Paccius, eodem modo, calenti re, ſtrangulati ſunt, numero nobilium hominum ad quattuordecim exſcendente, exceptis alieni furoris miniſtris, paſſim per ciuitatem trucidatis. Paucis ab hoc tumultu diebus Florentiam veni Regis nomine, in itinere nihil morarum faciens præter duos dies quos apud Sabaudiæ Principem, Regis ſororem, optime habitus ab ea, tranſegi, ab hac profectus ſum Mediolanum, vbi pariter dies duos treſue ſubſtiti, ad ſuccurrendum Florentinis militem poſcens, nam horum tum Mediolanenſes fæderati erant. id liberali modo tam nomine Regis, quam ex officio magiſtratus, obtinui, trecentis cataphractis expediundis, quibus mox plures alii ſubmiſſi ſunt. Ad ſummam, Pontifex miſit Excommunicatum Florentinos cum primum hæc accidiſſent, iuſſitque accedere vrbi

tam

tam suas quam Regis Neapolitani copias. Hæ erant & magnæ & instructæ, nobilium virorum numero effertæ. Primo appulsu iuxta Senas Chastellenium obsederunt, idque cum nonnullis aliis locis occuparunt. Ingens prosperitas fuit Florentinos non plane tum fuisse perditos, fuerant enim diuturno tempore sine bello, ignari propriorum periculorum. Laurentius Medices, Princeps Reipublicæ, ætate erat iuuenis, & à iuuenibus gubernabatur, Huius sententia præcipue multum poterat; copias habebant exiguas, & paucos duces. Pontificis & Ferdinandi militiæ præerat Dux Vrbini, insignis bellicarum rerum peritia, sapiensque & potens homo: pariter ei aderant Robertus Ariminius, post illustri fama, & Constantinus Pesarius, plurimique clarissimi viri, cum duobus Regis Neapolitani Filiis, Duce Calabriæ, & Friderico, adhuc superstitibus. Hic exercitus omnia occupabat, quæ obsedisset, non tamen ea facilitate, vti in nostris locis fieri solet, non enim capiendorum neque defendendorum præsidiorum tam erãt gnari, vt nostris conferri possent; sed castris locandis tuendisq;, victui necessariis procurãdis, omnib. eo pertinentibus expediundis prædextri, melioresq; nobis. Florentinis nonnihil profuit Regis auxilium, non tamẽ quantum ego volebam, non enim habebam copias idoneas, nihilq; præter Comitatum meum. Ea in ciuitate & regione integrum annum commoratus sum, optime impendio Reipublicæ, meliusque vltimo quam primo die, habitus. Eo elapso reuocauit me Rex; Mediolanum in reditu transiens, ab Duce, Ioanne Galeacio. recepi Homagium, (quod barbare vocant) super Principatu Genuensi: Id præstitit Ducis nomine mater ipsius Regi Ludouico. Ad hunc regressus singulari beneuolentia exceptus sum, rebusq; eius quam antehac vmquam familiarius admotus, vt eodem cubiculo iuxtaq; eum

eum dormirem, licet indignus essem tanto honore, abunde sapientioribus aliis præsentibus. Verum ea sollertia, atque sagacitas ipsius erat, vt nihil adiungere quis imperantis voluntati de suo posset, ne dum contra quid obniti; sed parendum erat, minime erraturo eius per omnia iudicio.

CAPVT VI.

De reditu Cominæi ex Italia in Galliam, & de prælio Guinegatensi.

REdiens Italia offendi Regem nonnihil consenuisse, incipiebatque ægritudinem quamdam contrahere: Tamen neque cito res apparuit, & administrabat ipse omnia singulari perspicacia, durante etiamnum bello in Picardia, quod ipsi obnixe cordi erat, & sane habebant nonnihil successuum aduersarii, si iis vti potuissent. Dux Austriæ, nunc Rex Romanorum, eo anno Flandris pro lubitu imperans Thercuannam obsidione cinxit. Cordæus, Regis iis in locis Gubernator, congregatis omnibus copiis quas iis regionibus Rex habebat, cum octo millibus Sagittariorum ad soluēdam obsidionem venit. Maximilianus certus appropinquare hostem, omissa ciuitate, ei obuiam venit, inq; loco, cui Guinegata nomen est, concursum est. Austrio ingens numerus erat Flādriæ incolarum supra viginti, vt dicitur, millia, cum Germanis non multis, & trecentis Anglis sub Thoma Abriganio, quondam ex Ducibus Caroli Burgundi. Equitatus Regis, maiore longe numero hostili erat, itaque eum facile profligauit, persecutus victoriam vsque Arium cum Magistro suo Philippo Rauestenio fugientem. Non omnes tamen secuti sunt profligatos, sed Cordæus, & Torcius

præci-

præcipui. quod licet summa virtute actum sit, nequaquã tamen ex re præsente fuit, neq; conuenit Præfectis Primæ vltimæq; aciei tantum procurrere. Nonnulli redierunt, sub colore tuendarum suarum stationum, alii bona fide fugerunt. Peditatus Maximiliani neutiquam fugit, tamen vt quodammodo concuteretur; verum concusso aderant ducẽti Nobilitatis præcipuæ viri, pedites & ipsi, egregie instructi, duces multitudinis. Horũ in censu fuerunt Comes Romontius Sabaudorum è Ducum familia, & Comes Nassouius, cum aliis, adhuc superstitibus: Eorum virtute vulgus hoc cõstitit, sane quodam miraculo, cum in conspectu esset fugiens Equitatus. Sagittarii Regiarum partium impedimenta Ducis diripere cum calonibus lixisq; relicta ceperunt, Hos irruere quidam de hostili peditatu, occideruntq; non paucos. Ex parte tamen hostium quã nostra plus damni captum est, vt fuere plures etiam occisi captiuiq;, victoria tamen ipsis mansit, qui si bono consilio non destituti Therouannam obsessum rediissent, neminem repugnaturum nec ibi nec Atrebati vtiq; offendissent. Sed audacia rei aggrediundæ Duci deerat, nõ exiguo detrimento rerum eius. Sed in talibus euentibus nemo est qui perspicere semper necessaria factu valeat, habebatq; & iste tum ex sua parte secus sentiendi timendiq; caussas. Non noui ista nisi ex auditu, nõ enim adfui gestis, sed ad deducendam seriem Historiæ, quodam loco recensenda fuerunt. Regi aderã cum prælii nuntium acciperet, quod ipsi summum doloré creauit, non enim consueuerat perdere, sed in omnibus negotiis ita felix erat, vt viderentur cuncta voluntate eius dirigi, cui tamen felicitati magnopere faciebant perspicacia prudentiaq; eius, nihil enim vnquam aleæ incertæ obiiciebat, neq; vllo modo confligi à suis volebat, hoc quoq; prælio neutiquam ipsius iussu commisso: Exercitus suos tam amplos firmosq; faciebat vt pauci essent qui

prouocare eos acie vellent, tormenta habebat instructissima, vltra omnes eatenus Galliæ suæ Reges: Tentabat inopinato capere ciuitates, præcipue quibus nō satis prouisum nosset: Si quas cepisset ita tormentis copiisq; muniebat, vt nulla vi adimi vicissim ipsi valerent. Si cuidam munito præsidio inesset Præfectus aliquis militaris, qui pecunia pacta id vendere posset, cumq; ipso tractare indidem vellet, certus esse poterat emtorem inuenisse, neque eum mouebat summa, quantacunq; auti posceretur, quin liberaliter pacisceretur & traderet. Primo prelii huius nuntio magnopere perculsus est, metuens ne veritas occultaretur, atq; omnia essent eo loco perdita (norat enim hoc conflictu pependisse cuncta quæ familiæ Burgundicæ iis in regionibus ademisset, quibus amissis cæterarum quoq; magno periculo res esse,) tamen cum de re vt gesta fuerat constaret, patienter euentum tulit. Cordæo quidem ignouit temeritatem, sed deliberauit prospicere ne postinde quis suorum par quippiam committeret. Ex hoc die pacem cum Austrio tractare velle cæpit, eam tamen quæ omnibus modis ex vtilitate sua esset, vtque per hanc tale hosti frænum iniiceret, propriorū subiectorum interuentu, quos norat suæ esse sententiæ, ne vnquam post metuendum haberet. Adhoc desiderabat toto pectore Statui suæ Galliæ ordinem dare nouum & perfectum, præcipue processibus, quos vocant, Iuris expediundis, qua ratione Curiæ Parisiensi etiam habile frænum imposuit, non vt numero aut auctoritati Præsidum quippiam demeret, sed displicebant ipsi multa negotia, vnde totam odio habebat. Pariter toti regno prospicere volebat de vnis iisdemsq; moribus, vno pōdere atq; mēsura, vtq; omnes consuetudines indigena lingua perscriberentur certo quodam Codice facto, ad vitandas Aduocatorum fraudes & dispoliationes, quæ per hoc Regnum tam fiunt frequentes, vt nullo alio æque, cum rei

Nobi-

Nobilitas cognoſcēdæ adeſſe debebat. Quod ſi Deus vitam ei in annos etiam quinque aut ſex protuliſſet, neque tanta ægritudine corporis fuiſſet oppreſſus, incōparabilibus vtique beneficiis totum ſuum Regnum demeritus eſſet, quod eatenus quoq; mirifice & ſupra omnes præceſſores ſuos afflixerat: Cui rei vt conſuleret auctoritate aut rationibus aliunde nequaquam vnquam fuiſſet inductus; ſed oportuiſſet ipſius ex voluntate deſcendere omnia, quo pacto infinita bona excogitaſſet, ſi Deo placuiſſet à morbis incolumem conſeruare. Itaq; æquum erit quemlibet bona, quæ poteſt, perficere, dum ſpatium diuinitus habet, neq; ſanitate corporis & intellectus percellitur. Pax, quam Rex facere volebat, cum Auſtrio, cōiuge ipſius, & prouinciis, ducenda erat auſpiciis Gandauenſium, vt cōnubium decerneretur inter Delphinum, nunc Regem Galliæ, & filiam Maximiliani & Mariæ: Eo nomine vt Rex retineret Comitatus Burgundiæ, Altiſſiodorem, Matiſconenſem, & Charolæorum ditionem, reſtitueret autem Arteſiam, ciuitate Atrebati in quo erat tum ſtatu permanente; oppidi nullū amplius pretium erat, cum ciuitatem rex firmiſſime obmuniſſet; priuſquam enim à Ludouico vtræque occuparentur, medii fuerant & foſſæ & muri ingentes; Sic vero ciuitas erat egregie clauſa, tenebaturque à Rege per Epiſcopum: quo pacto morem contrarium Burgundiæ Principum inuexit Ludouicus, ii enim à centum ipſis annis Præfectum Militarem & Epiſcopum oppido quem voluerāt impoſuerant: Rex autem, auctoritatis ſuæ conſtabiliendæ, aliter egit, deiectis munimentis, & contrariæ parti obductis. Iamque Ciuitas contra oppidum clauſa eſt, ſpatioſis in medio foſſis. Sic, quo ad eam vrbem, nihil plane Maximiliano reddebatur, munitæ parti parente altera. Burgundiæ Ducatus autem & Comitatus Boloniēſis, ciuitatumq; ad Somiam amnem ſitarum, Caſtrorum, Perōnæ, Royæ, & Mondidirii neq; vlla mentio facta eſt,

& hæc negotia tractabantur per Gandauenſes, oppido inciuiles contra Principes ſuos, cum nonnullis maiorum Flandriæ & Brabantiæ Ciuitatum, pari cum Gandauenſibus ſententia, magiſtratibus. Inter eas ciuitates cumprimis erant Bruxellæ, opulenta ad miraculum vſque, quoniam habitarant eam à longis annis Principes Burgundiæ Philippus & Carolus, poſt quos & Maximilianus cum Maria ibidem degebant: Sed quibus in deliciis ſub præteritis Ducibus vixerant, eæ homines redegerant in contemtum Dei & Principum ſuorum, vt data velut opera grande aliquod infortunium quærerent, quod & inuenerunt poſtea, vt hactenus compertum eſt.

CAPVT VII.

Vt Rex Ludouicus morbo quodam aliquatenus intellectu & voce ſit priuatus, liberatuſque ma o eodem aliquoties reciderit, vtque vixerit in arce ſua Pleſſæenſi ad Turonas.

ANnus erat Chriſtianus M. CCCC. LXXIX. induтiis pactis inter dictos Principes, cum Rex pacem dictis regionibus expeteret, talem tamen quæ prorſus ex ipſius eſſet ſentẽtia; Incipiebat is tũ cõſeneſcere, & ætate velut ipſa ægrius habere. Cum degeret poſtea Porgiis prope Chinonium repẽte ſuper prandio præcluſio quædam ipſum incidit, vocem vt amitteret. Menſa prolatus, clauſiſque feneſtris igni admotus atque adtentus fuit. Ad feneſtras licet prodire vellet, detentus tamen à nonnullis eſt, qui optime ipſi conſulere ea re arbitrabantur. Id contigit anno M. CCCC. LXXX. Menſe Martio. Vocem prorſus amiſerat cum omni intellectu & memoria. Eo ipſo tempore tu adueniſti eodem, Viennenſium Præſul, tum Modicii Regii officio fungens, eademque hora

cliſtere

clistere iniecto præcepisti aperiri valuas fenestrarũ,& liberum aerem immitti, Extemploque rediit loquendi ægroto potestas cum sensibus, adscensoq; equo Porgias se retulit; morbus enim in quodam pago eum superuenerat, quo sacris audiendis profectus fuerat, quarta parte miliaris inde distante. Bene inde curatus, signis quæ vellet proferebat. Inter cætera Officialem, quem vocant, Turonensem poposcit, ad Peccata de more confitendum, deinde vt ego accerserer signo quoque præcepit, eram enim Argentonii, decimo inde miliari. Cum appulissem offendi prandentem assidentibus Adamo Fumeto, qui quondam Caroli Septimi Medicus fuerat, tum Magister supplicum Libellorum, alioque Medico, Claudio nomine. Parum intelligebat ex iis quæ dicerentur, dolorem vero patiebatur nullum. Indicauit mihi vt in suo cubiculo dormirem: non poterat formare voces; sic quindecim diebus ipsi seruiui ad mensam, semper præsto corpori manens, vt Cubiculariorum aliquis, quod magno mihi honori ducebam, &ab omnibus imputabatur. Decem elapsis diebus vox redire cæpit ei cum intellectu, videbaturque neminem quæ vellet me melius capere, itaque voluit semper præsto esse. Officiali confessus est me præsente, non enim aliter alterius voluntatem alter percepisset: non erant magna Regi quæ diceret, paucis enim ante diebus idem fecerat, vt solent Galliarum Reges cum struma laborantes tangere decreuerũt, id quod iste singulis septimanis præstabat, male peccantibus qui vltro differunt, cum abunde semper adsit ægrotantium. Vt primum paullum se malo leuatum sensit inquirere incepit qui fuissent illi quorum vi detentus ad fenestram peruenire non potuisset. Indicatos continuo Aula semouit; aliquos etiam dignitatibus exuit, neque vmquam post vidit, aliis, vt Segrelo, & Gilberto Grassæo Champerousii Baroni, nihil quidem ademit, sed eos

expu-

expülit tamen. Multi mirati sunt hanc imaginationem, vituperantes factum, cum bono animo & consilio iuuãdi Regis res acta esset, hique vero nitebantur. Sed imaginationes Principum diuersæ sunt, neque has capiunt omnes, qui de iis loqui audent. Non enim erat vllius rei tantus apud istum Regem timor; quam perdendæ auctoritatis, quam habebat summam vbique, neue inobedientes haberet in quacunq; etiam re, ministros: Contra nouerat Carolum Septimum, parentem suum, cum mortifera ægritudine decumbere cæpisset, imaginatione perceptum esse qui veneno sibi insidiarentur, filii consiliis: qua in opinione eo prouectus est, vt nec comedere quippiam porro voluerit; quapropter à concilio Medicorum conclusum est, accedentibus maximis & fidissimis amicorum, inuito cibum ingerendum esse, quod & factũ est summa circumspectione hominum ei rei adhibendorũ, immisso ori iusculo, postquam violẽtiam perpessam Carolus illico exanimatus est. Ludouico nostro vt hoc genus extreme semper displicuerat, ita animum vehementer perculit hæc violenta detentio, tamen vt amplius etiã præ se ferret, quã sentiret. Præcipue enim vltionis causa ipsi erat metus ne in aliis etiam rebus quis ei imperare auderet, vt regni aliisq; negotiis expediũdis, sub prætextu intellectum eius non sufficere amplius tanti ponderis consiliis. Cum terrorẽ hunc exsecutus esset quærere cæpit quid actum publice priuatimq; fuisset decem duodecimue istis suæ ægritudinis diebus, sigillatim Episcopum Albiensem, fratrem ipsius, Gubernatorem Burgundiæ, Mareschallum Giæum, & Ludæum. Si enim cum malum superueniret ipsi adfuerant, omnes cubantes subter Regium minutis quibusdam cubiculis. Voluit etiam inspicere litteras allatas, quæq; in horas exinde afferrẽtur. Pręcipuæ earum à me lectæ sunt, ipso audiente. Fingebat intelligere lectas, & sua manu captas simulabat legere, licet intel-

intelligentia nulla esset, addens verborum quippiam, aut signo quę respōderi placeret, indicans. Pauca à nobis cōfecta sunt durante vi ægritudinis, erat enim Princeps ad cuius nutum omnia recto ordine expedire oportebat. Malū quindecim dies moratū, secessit tamdē, & quoad sensus & vocē reualescere inde incepit, vt parū priore statu abesset; tamē imbecillissimus virib⁹ permanebat, pręque timidus in idē incommodū recidēdi: Ingeniū quoq; eius erat raro fidem dare cōsiliis Medicorum. Cum primum integri sensus rediissent custodia emisit Cardinalē Baluēsem, qua quatuordecim annis fuerat detentus, frustra sæpe interpellante ob dimissionem Pontifice, vt & aliis: itaq; & à Sede Apostolica missis litteris absolui voluit. Vbi morbus per interualla rediisset, ab omnibus præsentibus pro mortuo habebatur, & sæpius missis mādatis ab iisdem præceptū est vt rumperetur indictio tributi intolerabilis & omnino crudelissima, quam nuperrime proposuerat consilio Cordæi, Legati Picardiæ, vt inde viginti millia peditum, semper præsto paratique futura, cum duobus millibus quingentis fossorum, qui appellarentur Castrense præsidium, adhæc mille quingenti Cataphracti Ordinarii, apti relictis equis pedites etiam confligere vbi opus veniret, conducerentur atque alerentur; Iungenda his erat magna vis impedimentorum, plaustrorum, atq; carrorum, cum tentoriis & tabernaculis, ad castra ista Ordinaria claudenda: Hauserat hoc institutum à Carolo Burgundo, constituturum in annos singulos quindecies centenis Francorū millibus. Hæc cum parata essent Rex visum profectus est ad Pontem Archiæ in Normannia, vbi in valle plana spectari desuper poterant, Aderant ibidem sex illa millia Heluetiorum, de quibus supra scriptum est; neq; rex conspexit omnia amplius, sed à spectaculo reuersū Turonos morbus recepit, vt denuo vocē amitteret, duabusq; horis ꝓ vita functo ab omnibus censeretur, decumbens in am-

bulacro quodam ſuper culcitam. Bouchagius tum atque ego vouimus eum Sancto Claudio, omnibus qui aderāt, pariter votum concipientibus. Tum ſubito illi vox redijt, incepitque deambulare poſſe, licet perimbecillis viribus, quæ ſecunda ægrotatio incidit annū M.CCCC. LXXXI. adeo curata vt per regionem hinc inde proficiſci poſſet, ſic & meam domum Argentonium venit vbi integrum menſem etiam peſſime habuit. Hinc regreſſus Turonas iterum decubuit; exq; eo loco iter ad S. Claudium, ex voto noſtro ingreſſus eſt. Miſerat me in Sabaudiam Turonis excedens contra Barones Chambreium, Miolantium, & Breſſæum, quamuis his occultim ſubſidia præſtaret, quod cepiſſent ei Linſium ex Delphinatus Proceribus vnum, quem ad Nepotis ſui Philiberti Moderationem Rex miſerat. Sic mihi ſubmiſit magnas militum copias, quas Maſconem duxi, in Breſſæum, cum quo ſecretim tamen tranſegi. Is Chambreium cum duce Taurini cubantem cepit, & rem mihi detulit, quo comperto militem illico remiſi, Sabaudum enim Gratianopolim perduxit, vbi Mareſchallus Burgundiæ, Marchio Rotelius & ego eum recepturi conuenimus. Rex mihi nuntiauit ad ipſum venirem Beauieium, quo cū appuliſſem miratus ſum tam macilentum eum offendere, vt ſtuperem quo pacto itineris moleſtias ferre poſſet, ſed magnanimitas ſui eum cordis portabat. Eo loco recepit litteras indicantes obitum Principis Auſtriacæ, quæ equo deciderat, ſolebat enim vti aſturcone incitatiore, qui eam eiecit in obuium ligni truncum. Alii dicunt eo caſu non eſſe exſtinctam, ſed ſuperueniēte febri. Vt vt ſit paucis à lapſu diebus mortua eſt, irreparabili damno ſubditorum ſuorum amicorumq; qui exinde numquam veram pacem habuerunt. Gandauenſes enim aliarumque ciuitatum primores longe eam maiore quam maritum reuerentia colebant, quod ipſa eſſet prouinciarum vera
Domina

Domina. Accidit hæc mors anno Christiano M.CCCC. LXXXII. Rex mihi rem cum magna lætitia retulit, addens eius filium filiamq; in potestate Gandauensium esse, quos sciret studiosos discidii & seditionum in domũ Burgundicam. Sic arbitrabatur commodo suo omnia successura, cum Maximilianus iuuenis etiamnum & sub Patre, viro parcissimo atque illiberali adhæc iis oris extraneus, neque idoneis copiis instructus esset. Ex eo tempore cæpit idem Rex sollicitare magistratus Gandauensium per Cordæum, & tractare de matrimonio Delfini cum Austrii filiola, nunc Regina nostra, Margarita: res omnis collata est in stipendiarium quemdam ciuitatis eius, nomine Guilielmum Riuium, hominẽ sagacem & astutissimum, cum alio, Prætore eiusdem, Coupino Nolio vocabulo, sartorium opificium exercente, cui magna apud plebem vrbanam erat auctoritas. Hoc enim genus summe conspectum est, cum turbarum ardor efferbuit. Rex Turonos reuersus viribus indies valde minuebatur, adeo vt paucorum conspectui se crederet, mirificas suspiciones contra omnes mortales induens, timensq; ne alicunde auctoritati suæ quid demeretur. Amouit à se omnes vel ex antiquo familiares, præcipue si qui intimi fuerant, nihil illis adimens tamen, nam domi suæ quisq; dignitate officioue suis fungebatur, sed non diu hoc durauit, vita ipsum destituente. Interea miras nouasque res inceptabat, quæ qui videbant sensibus orbatum arbitrabantur, sed ii non norant eius ingenium. Quod ad suspitiones attinet, omnes in has Principes proni sunt, præcipue sapientiores, quique plurimos in vita inimicos habuerunt, multosq; ipsi offenderunt, vt vtique hic fecerat. Ad hæc nouerat non amari à Primatibus Regni, vt & multis è populo; nam totum suum imperium vltra omnes præcessores suos afflixerat, licet bono animo esset ad id omnibus molestiis exonerandum,

vt ſupra memoratum eſt; ſed id negotium incipiendum fuerat ocyus. Carolus Septimus interuentu multorum & eximia ſapientia Procerum, qui ei adfuerat in recuperandis Normannia atque Aquitania, expulſis Anglis, primus hanc viam iniuerat & tenuerat, vt videlicet tributa ſuo lubitu exigeret ſine Regni Statuum aſſenſu; tum quidem cauſſæ ſuberant ingentes & capitales, tam tuendis occupatis prouinciis, quam impediendis ſoluendiſque conſpirationibus, quibus Regnum concipilabatur; itaque aſſenſum ei præbuerunt Proceres ob certas ipſis promiſſas penſiones de pecunia in eorum regionibus coacta. Si Rex iſte vixiſſet cum iis qui Conſiliarii tum ipſi aderant, ad hoc vſque temporis, maximopere profuiſſet bono publico; verum conſideratione eorum quæ mortem eius ſecuta ſunt, contingentque abhinc, Animas ſuam & ſuorum ſucceſſorum onerauit multis peccatis, vulnuſque crudeliſſimum Regno intulit, quod & diu ſanguinaturum puto, ob militum ſtipendiariorum terribilem manum, quam inſtituit in morem Principum Italorum. Carolus Septimus anno mortis ſuæ capiebat decies octies centena Francorum millia, omnibus connumeratis exactionibus, è Regno ſuo, alebatque circiter mille & ſeptingentos Cataphractos Ordinarios, vice omnium militum, ad cuſtodiendos Regni limites, qui cogebantur citra vllius incommodum viuere, itaque longo ante obitum eius tempore non perequitarunt prouincias, quæ erat bona commoditas populo. Noſter autem vltimo ſuæ vitæ anno capiebat quadragies ſepties centena eiuſdem numiſmatis millia. Cataphractorum alebat ad quinque, peditum tam in caſtris quam alibi vltra viginti quinque millia. Sic mirandum non eſt ſuſpitionibus atque imaginationibus obnoxium vixiſſe, gnarum nominis in beneuolentia fere eſſe.

Quod

Quod ſi hinc inque his rebus timidus erat, metuebatque ſuos, habebat tamen & quibus tuto confideret, multos qui cum ipſo educati fuerant, quoſque ipſe euexerat & ingentibus bonis locupletauerat: horum quidem inueniſſet in numero plurimos qui mori maluiſſent quam erga eum ingrati eſſe. Principio Pleſſium Parcenſe, qui locus erat ſeceſſui deſtinatus ab eo, pauci admittebantur, exceptis domeſticis & cuſtodibus corporis, quorum quadringenti erant, ordine quotidie ſtationes ſubeuntes, portam ſeruantes, & deambulantes per atrium. Nemo Procerum intus hoſpitium habebat, rariq; agminatim ingrediebantur; nec veniebat eo quiſquam præter Baronem Beauieium, nunc Borboniæ Ducem generum Regis. Toti arci dictæ circumduci fecerat ingentes è ferro trabes, clatrorum inſtar, intus murum autem murices collocauerat, itidem è ferro pluribus acuminatis cuſpidibus exſtantes, præcipue quo loco in foſſam caſtri aditus patebat. Præterea eadē materia bene denſas quatuor ſpeculas angulis adituum fabrefactas impoſuerat, ita aptas vt per ferrearum ſudium interſtitia commode ſagittæ globique emitti poſſent, quod ſane magnificum opus erat impendio vltra viginti millium Francorum conſtans.

His ædiculis quadraginta Sagittarios diſpoſuit, diu noctuque foſſis imminentes, quibus mandatum erat quicunque Sole occaſo appropinquaret, eum vt interficerent, quouſque altero mane portam viderent apertam. Perſuaſerat etiam animo ſuo ſubditos ſuos admodum procaces eſſe ad capiendum in aliquem imperium, vbi tempus aptum viderent. Et, veritate non diſſimulanda, fuere qui conſilia iactarent, intrandum in Conditorium iſtud, & rebus expediundis principium dandum, quoniam, eorum opinione, nihil vt

deceret conficeretur: Verum nemo audebat tale quid aggredi, & sapienter quidem, optime enim Rex istis similibusq; rebus prospexerat. Mutabat sæpe cubicularios, aliosq; omnes apparitores, caussatus naturam gaudere rebus semper nouandis. Conuersationi retinebat semper vnum aut alterum hominem secum, humiles semper & famæ non integræ, qui sentire optime poterant, (siquidem saperent,) quam primum vita functus esset, omnibus rebus amouendos esse, vt optime res caderet; quod & euenit. Hi nihil prorsus ei referebant omnium quæ scriberentur aut dicerentur, quocunque id nomine fieret, nisi ad salutem & conseruationem Regni pertineret, cæterorum enim prorsus incuriosus erat, præterquã vt induciis aut Pace vteretur cũ vniuersis. Medico suo menstrua donabat decem Coronatorũ millia, vt quinq; mensibus quinquaginta millia indeptus sit. Prædia possessionesque multas largiebatur Sacri Ordinis Collegiis; sed horum promissiones ratæ non sunt habitæ, & hoc genus alioquin plura æquo talia possidebat.

CAPVT VIII.

Vt Rex Turonos accersierit quemdam, appellatum vulgo Sanctum-de-Calabria-hominem, sperans ab eo se iri sanatum. Deque mirificis rebus quas idem fecit conseruandæ auctoritati suæ dum decumberet.

EX hominibus religiosorum nomine celebribus accersiuit vnum è Calabria, Robertum Regem vocabulo. Hunc vulgo Sanctum hominem ob vitam talem vocitabant; eiusque honoris ergo Carolus octauus postea Monasterium Plessii exstruxit, in compensationem ædiculæ prope idem castrum, ad exitum Pontis.

Isthic

Iſthic Eremita, annos duodecim natus in rupem quandam habitatum ſe contulerat, vbi ad annum vſq; quadrageſimum tertium ætatis fuerat commoratus, cum à Rege per Aulicorum ſuorum quemdam depoſceretur, comite Principe Tarentino, filio Neapolitani Regis. Non enim volebat diſcedere ſine permiſſione Pontificis Regiſque ſui, quod ſane egregium erat in homine ſimplici, qui in duobus fanis, quæ in loco ſui domicilii extruxerat, ætatem exegiſſet. Numquam comederat, neque nunc comedit, ex quo ſanctum propoſitum id ſuſceperat, vel carnem vel piſcem, non oua, non lactarii operis quicquam, nec vidi in vita ſanctiorem hominem, exque cuius ore manifeſtius loqueretur Spiritus Sanctus. Non enim erat vel litteratus vel Theologus, & numquã quicquam didicerat, verumtamen Lingua ſua ipſum Italica adiuuabat ad venerationem promerendam. Cum Neapolim tranſiret tantis honoribus affectus eſt quam quiſquam potuit Legatus Pontificis, tam à Rege quam liberis eius ſæpius viſitatus, quibus ſi conuerſantem vidiſſes, dixiſſes hominem in Aula educatum. Inde Romam iter habuit, vbi pariter omnes eum Cardinales inuiſerunt, vocatuſq; tribus vicibus in Cubiculum Pontificis ſolus ſoli iuxta ſella ſplendida collocata aſſedit, & ſingulis vicibus in tertiam vſq; horam collocutus eſt, qui ſane eximius tantillo homini honor fuit; reſponditque ad quæſita tam ſapienter & promte vt omnes miraculo percuteret; eidem à Pontifice indulta eſt conditio noui Ordinis, quem Eremitarum Sancti Franciſci indigitaret. Sic ad Regem peruenit, exceptus inſtar ipſius Pontificis, nam flexis genibus ab eo petiit Rex vt vitam ſibi protenderet. Reſpondit quæ hominem Sapientem conueniebãt. Sæpius loquentem audiui coram præſente Rege, concilio omnium Regni Procerum, etiam ante duos menſes: vere viſus eſt numine inſpiratus, loqui & doce-

docere; nulla enim ratione alioquin potuisset de iis rebus eo modo pronunciare. Adhuc viuis interest, quapropter poterit mutari vel in melius vel in peius, itaque tacere malo quam plura eius dicere. Nonnulli ridiculum habebant huius Eremitæ aduentum quem Sanctum hominem ioco appellabant. Verum hi ignorabant cogitationes Sapientis huius Principis, neque enunciabatur iis qua eum de caussa accersiuisset. Sic morabatur Ludouicus cum suspicionibus suis in hoc castro, paucorum hominum comitatu præter Sagittarios, vnde facile potuisset (vt videatur) ei noceri: sed ei rei egregie prospexerat, non enim reliquerat vllos homines vel in ciuitate vel in pagis, in quas suspicio cadebat, sed per milites inde eos submoueri deducique fecerat omnes. Nullis de rebus ipsi quid referebatur, nisi maximis, qui ipsum tangerent. Qui vidisset, mortuum potius quam viuentem hominem censuisset, adeo macie confectus erat, vt nec potuerit peius. Vestimentis vtebatur splendidissimis, tunicis rubro Holoserico factis, atque pretiosissimis peregrinorum murium pellibus inductis, quas donabat quibus vellet, nemine rogante, & nemo prorsus compellare eum audebat, quacunque alia de re, quam quas modo diximus. Puniebat quos vellet punitos, asperrime, ad augendum terrorem, metuque perdendæ auctoritatis: Sic enim mihi ipse narrabat. Dimittebat Officiis præfectos, & milites discingebat, adtenuebat pensiones, & prorsus adimebat, & memini paucis ante obitum diebus dicere, fallere se tempus eleuandis & deiiciendis hominibus, idque efficere vt per totum Regnum de eo plus sermonis esset, quam de vllo alio Rege vnquam fuerit, timentem ne pro mortuo habeatur. Sane paucis eum videre dabatur, sed cum de iis quæ ageret rumor caneret, quisque dubitabat, & nemo fere credebat, male morbo affe-

ctum

ctum esse. Extra regnum vndiq; suos habebat homines, in Anglia qui extraherent promissum matrimonium, inque ea prouincia & Regi & Proceribus debita bona fide soluebat. Apud Hispanum pro Pace & Concordia omnia agebat, nullis vndique versum donis parcens, Iubebat bonos equos præstinari, quocunque pretio, & mulas eximias, sed in regionibus vbi volebat sanus esse credi, extra suum scilicet Regnum. Canum copiam per omnes pene prouincias conquirebat, apud Hispanos, in Britannia, Regno Valentiæ, & pluribus aliis locis; pro his maius etiam pretium expendebat, quam venditores auderent poscere. In Siciliam emendis mulabus mittebat, speciatimque ad quosdam Primores, pretio duplo soluto, Neapolim equis; peregrinis bestiis coemundis nullas nō regiones, vt in Africam minutis leonibus, qui vulpibus nostris non sunt maiores, & Adusii appellantur. Daniam & Sueciam duorum animantum gratia misit, alterum vocant Hellos, specie Ceruorum, mole bubalorum, a breuibus crassisque cornibus. Alterum Rengeros appellant, forma & colore simile damis, excepto quod cornua habent multo grandiora. Pro singulis his mercatoribus numerari iussit quatuor millia & quingentos florenos Germaniæ. Omnia hæc genera cum adducta essent, vilipendebat, plerumque nec colloquio admissis conductoribus. Ad summam has aliasque similes res factirabat, vt terrorem sui tam vicinis quam subditis iniiceret & augeret, solito prorsus maiorem.

Hac enim sola gratia omnia tum agere decreuerat.

 CAP.

CAPVT IX.

Vt matrimonium inter Delfinum Galliæ & Margaritam Auſtriam Flandriæ Comitem, concluſum, vtque ſponſa in Galliam deducta fuerit, vnde indignatione & mœrore mortem oppetiit Angliæ Rex Edoardus.

VT ad ſcopum Hiſtoriæ noſtræ principalem redeamus concludendæ huic Commemorationum parti, ſuper viris noſtri Temporis illuſtrioribus, videndum eſt quo pacto dictum matrimonium ſit tranſactum, quo videlicet præſenti Galliarum Regi acceſſit Margarita Maximiliani & Mariæ Filia, ductu Gandauenſium, ingratiſſimis ingratiis Edoardi Anglorum Regis, qui tum ſenſit deceptum ſe eſſe ſuæ filiæ eidem principi iungēdæ; quod connubium ipſe & coniux ipſius vltra omnia vota cupiebant, adeo vt nec credere cuipiam voluerint contrarium ex rebus præſentibus euentum auguranti, ſiue Anglus ſubditusq; ipſorum quis tale quid monuerit, ſiue extraneus; cum ipſum virorum ſummatum Regni Conſiſtorium, Ludouico Picardiæ oppida ordine ad Caleſium occupante, argumenta in eandem rem non ſpernenda opponeret, affirmans id agere Gallum vt dictis vrbibus in poteſtatem redactis etiam Guineam & Caleſium inuaderet. Tantundem ipſi oggerebant Legati continue miſſi à Ducibus Maximiliano & Maria, Britanno, aliiſq;: ſed perſuadere nemo poterat, vnde malum in ipſum recidit. Mihi tamen videtur non tam ex ignorantia rerum id egiſſe, ſed auaritia potius impulſum, ne perderet annuos ſuos reditus Quinquaginta videlicet Coronatorum millia, à Ludouico bona fide præſtita, neue interpolare aut omittere cogeretur deliciarum atq; Amationum

num suarum, quibus vnice deditus erat, consuetudinem. Super huius matrimonii negotio concilium habitum est Halotii in Flandria, præsentibus Maximiliano, & Legatis Trium statuum Flandriæ, Brabantiæ, ceterarumque prouinciarum, Domui quondam Burgundicæ, nunc Austrio & liberis eius parentium. Inibi Gandauenses egere non pauca contra Principem suum, vt pellere officiis & in exsilium mittere quos vellent, etiam filii moderationi additorum. Tum proposuerunt ipsi voluntatem suam conficiendi huius coniugii obtinendæ pacis gratia, in consensum eo volente & nolente redacto. Erat admodum iuuenis is Princeps, neque comitatus dignis gerendis tantis rebus hominibus. Omnes enim Burgundiæ quondam Optimates perierant, aut nobis accesserant, vt diximus supra, videlicet consiliarii idonei auctoritate experientiaque ad hominem peregrinum instruendum, & ab suis male omnino paratus venerat, demumque amissa coniuge, Domina prouinciarum, amiserat quoque audaciam solito more res administrandi. Regi indicium propositi factum est à Cordæo, qui læto animo rem excepit, destinatusque est dies puellæ Hedinum adducendæ. Paucis ante diebus anno M.CCCC LXXXI. Airias tradita fuerat Cordæo certo pretio per Croyum, Artesiæ Procerem, cui à Maximiliano credita vrbs fuerat, vt Beurium ipsius Præfectum militum. Est hæc vrbs Artesiæ munitissima; quo etiam casu incitati sunt ad festinandum Belgæ negotium. Est enim ad introitum ipsarum limitis sita. Gandauenses cæteræque vrbes, licet vellent imminutam Principis sui potentiã, non tamen Regem tam vicinum suis confiniis optabãt. Rebus conclusis, vti dictum, venere ad Ludouicum Legati Flandriæ & Brabantiæ, tamen vt omnia gubernarent Gandauenses, potentiæ tum gratia, tum quia Ducis liberos in potestate intra ciuitatem haberent,

pariter primi ipsi parati ad ordienda discidia venire solebant. Cum iis adfuere Regis Romanorum nonnulli Barones, adolescentes iuxta principem suum, ad pacificandum, satis inepte instructi.

Erant in his Iohannes Bergueius, Balduinus Laneyus, & nonnulli Secretarii. Rex tum admodum male affectus erat, & nihil ægrius faciebat, quam vt conspici se sineret, itaque non sine maximis difficultatibus induci potuit ad iureiurando tractationes firmandas, modo vt ne cogeretur prodire videndus; tamen iurauit tamdem. Omnia ipsius emolumento facta erant, sæpius enim idem matrimonium expetiuerat, neque præter Comitatum Artesiæ, aut Burgundiæ, (alterum ex his solum) retinere voluerat, cum à Dominis Gandauensibus (sic enim eos appellabat) vterque ipsi oblatus est, cum Matisconensibus insuper, Charolensibus, & Auserræ ditionibus. Quod si colore aliquo ipsi Hannoniam quoque, Namurcum, & omnia subdita quondam Ducibus Burgundiæ, quorum incolæ Gallico idiomate vterentur, tradere potuissent, puto volentes facturos fuisse, modo vt Principi suo potentiam imminuerent. Ludouicus, solita sollertia, intelligebat Flandriæ res hoc negotio verti, cuius Comitatum sane rem facilem esse demta Artesia, quæ Regem & Belgas inter sita est, vtrorumque frænum quoddam: Ex Artesia enim prouentus veniebat eximiorum militum, cum essent quandoque cæteri lasciuituri, ad castigandos; vt demto Flandriæ eo Comitatu, Princeps illius sit admodum infirmus, arbitrioque Gandauensium tum prorsus successurus.

Legatis reuersis puella infans Hedinum adducta est, in potestatem Cordæi, anno M.CCCC.LXXXIII. Gubernatrice Rauestenia, notha Philippi Burgundi:

Recc-

Receperunt eam eo loco Dux Borbonius; qui nunc est, cum coniuge sua, & Baro Albretius cum aliis Regi missis, auexeruntque Ambosam, vbi Delfinus Galliarum educabatur. Maximilianus si potestati ducentium filiam eximere potuisset, priusquam ditione sua exportaretur, operam bene collocasse fuisset arbitratus; sed Gandauenses firmum præsidium adhibuerant, & de cætero omnem is Princeps auctoritatem amittere cæperat, illis etiam pleraque nobilitate accedente, quippe qui Nepotem etiam Caroli in potestate haberent, cui præficerent & abmouerent quos vellent; inter quos erat Rauestenius, frater Ducis Cliuiæ etiam Gubernator infantis summus: Ipsi puero Philippus nomen erat, nunc viuenti in exspectatione præsignium hæredi Opum, modo superstitet. Quicunque ob hoc lætaretur matrimonium, Anglo extremis modis displicebat idem, ludibrio enim se intolerabili habitum, irrisumque extremis modis videbat: metuebat etiam pensioni iam fere perditæ, tributum quam illi vocabant, & auctoritatis suæ attrimento non vulgari per vniuersum Regnum, vnde facile fieri posset seditionem in ipsum moueri, quod consiliantium contra nemini auscultare voluisset; Ludouici adhæc potentia mirifice aucta & vicinitas oculis obuersabatur, quæ omnia tantum illi mærorem concitarunt, vt à primo rei nuntio morbum incideret, quo & paullo post, accedente, vt dicunt, catarro, diem supremum obiit. Quicquid eius fuerit, in confesso fuit matrimonii huius successum caussam ipsi morbi mortiferi præstitisse, mense Aprilis Anni supradicti. Ingens error Principi est suam plurium opinioni præferre, vnde dolores maximi illis prodeunt, & damna subnascuntur irreparabilia. Mors huius nostro Regi illico nuntiata est, sed

ſed nullum memini lætitiæ ſignum dediſſe, diſſimulantem etiam velut prorſus ignotam. Paucis poſt diebus litteræ venerunt à Duce Cloceſtriæ qui arrepto Regno Richardum ſe Regem ſcribebat. Hinc occiſis duobus ex fratre nepotibus amicitiā Ludouici quærebat, cupidus, vt exiſtimo, eiuſdem annuæ penſionis: ſed Rex noluit vel audire legatos, vel ad litteras reſpondere, habens hominem pro peſſimo & ſanguinario. Defuncto enim Edoardo fidelitatem Nepoti iurauerat, vt legitimo Regi & ſupremo ſuo Principi; & paullo poſt parricidium iſtud commiſit; etiam pleno Regni Conſiſtorio filias fratris duas honore natalium ſpoliari, & ſpurias declarari fecit, prætextu teſtimonii ab Epiſcopo Baſiæ perhibiti, qui aliquando magna penes Edoardum auctoritate fuerat; vnde ſubmotus, & cuſtodiæ mancipatus, certaque pecuniæ ſumma multatus, aſſeuerabat Edoardum coniugium promiſiſſe cuidam Mulieri, quam & nominabat, amore eius captum, vt illi morigeraretur. Eam promiſſionem præſente & teſte Epiſcopo factam fuiſſe, ſecutumque concubitum; Hoc licet decipiendæ fæmellæ factum dicas, mihi tamen videatur tales ludos periculoſiſſime deludi, vel hoc teſtificante exitu. Improbus hic Epiſcopus vindictam carceris multæque apud ſuum nequam animum viginti ipſos annos texerat; ſcelus tamen vltimo in auctorem recidit; erat enim ei filius, eximie charus, cui Richardus iſte grandiſſima beneficia & dona ſpondebat, altera etiam natalibus ſpoliatarum puellarum, quæ nunc eſt Regina Angliæ, & duorum egregiorum liberorum parens, coniuge promiſſa: Sed is adoleſcēs ex mandato Richardi conſcenſa naui bellica, in Normannia captus eſt, liteque inter captores oborta Curiæ Pariſienſi exhibitus, ibidemque carceri traditus, vbi ſumma rerum omnium inopia fame & pædore periit, Richardus ipſe non diu floruit, in eum enim

eve-

euexit Deus continuo deſpectabilem omnibus hoſtem, nullo inſuper, vt arbitror, iure Regnum adfectantem Angliæ, ſolum corpore & moribus non ineptum hominem, qui plurima aduerſa exantlauerat, maiorem vitæ partem in captiuitate habitus penes Franciſcum Britanniæ Ducem, à quo tamen nihil indignum fuerat paſſus, ætate viginti aut paullo amplius annorum. Huic Rex ſuppeditata nonnulla pecunia, adiecit tria millia militum in Normannia collecta, de fæce vulgi, inertiſſimum & conſceleratiſſimum quemque, quibus ſtipatus traiecit in Walliam; quo loco ipſi Stanleius Vitricus cum viginti ſex millibus Anglorum acceſſit; trium quatuorue dierum inde ſpacio in Richardum profectus fudit fugauitque & vita in loco prælii parricidam exuit, Coronatus mox ipſe, & adhuc Regnum adminiſtrat. Noui me ſupra eadem hæc recenſuiſſe, ſed attinet & hic repetiiſſe, præcipue vt doceatur quo pacto Deus præſenti vindicta noſtro iſto tempore vltus fuerit abſque mora mala & crudelia principum facinora. Multi alii eodem hoc tempore par iudicium experti ſunt, modo ſit qui omium caſus enarrare poſſit.

CAPVT X.

Qualem ſe Rex porro, durante ægritudine, erga ſubditos viciniosque geſſerit; vtque malæ affectioni remedia diuerſis fuerint eidem locis ſubmiſſa.

QVod apprime expetiuerat confecto Rex matrimonio, iam ad arbitrium ſuum Maximiliano ſubditos tenebat. Britanniam, quam magnopere oderat, pacatam

pacatam habebat, nisi quod multum tamen inde metueret, insignes militum copias alere ad limites non desistens. Hispania etiam nihil hostile minabatur, Regibus amicitiam eius quærentibus. Hos sustinebat in sumtibus & timore, ob ditionem Rossillionem sem, fidelitatem Arragoniæ familiæ debentem, traditam ipsi à Iohanne Arragonio patre Hispan.æ Regis hodierni, pignori, ad quasdam conditiones nondum etiam conuentas: Potentes in Italia quod attinet, omnes quoque optabant Ludouici nostri amicitiam, quibusdam ipsi confederationum pactis adstricti, mittebantque sæpius suos quisque Legatos: Penes Germaniā ipsi parebant Heluetii, instar subditorū: Scotiæ & Lusitaniæ Regis, fædus cum eo pepegerant: Nauarræ pars obtemperabat, Subditorum nemo præ ipso contremebat: Quod iubebat, extemplo factum erat, citra omnem moram aut excusationem. Quæ ad sanitatem ei necessaria videbantur, vndique locorum submittebantur. Sixtus Pontifex, vltimo defunctus, edoctus religione quadam cupere vestem qua Petrus Apostolus in Sacris decinendis vsus esset, illico eam misit, cum Sanctorum aliis reliquiis, quas & omnes recepit. Ampulla cum oleo Sacro, quæ Rhemis hactenus conseruata, numquam locum mutauerat, ipsius in vsq; intimum cubiculum allata est Plessium, aderatque puncto morientis super mensam constituta: animo enim habuerat denuo sub excessum vngi, vt initio aditi Regni fuerat; multis temere arbitrantibus toto corpore recipere voluisse vnctionem, quos ipsa ampulla inque ea olei exiguitas facile inscitiæ arguunt. Vidi ipse ea qua dixi eam hora, cumque post sepeliretur idem Ludouicus. Turcorum Imperator nunc etiam superstes, Legationem ei destinauit, quæ Rhemos vsque in Prouinciam venit; quam audire tamen noluit, vetitum etiam vltra procedere. Ea mittebatur Regi ingens

index Reliquiarum, Constantinopoli superstitum in potestate victoris; oblatis ipsi omnibus cum ingenti auro, vt tuto custodire vellet fratrem dicti Imperatoris, qui in Gallia penes Rhodienses tum erat, nunc vero Romæ in potestate Pontificis viuit. Ex omnibus singulisque his liquere potest vbique diffusa Sapientiæ & Potentiæ huius Regis existimatio, omnem pene mundum habitabilem emensa, cum & religione summa habitis rebus non parceretur, quoque studente vitam ei protendere, ne cæteras dixerim. Vniuersa tamen ista nihil omnino profecere, sed necesse fuit eum quoque euoluto tempore illac pergere, qua omnes hactenus mortales nati abiuerant. Singularem tamen beneuolentiam ipsi Deus exhibuit, vti enim liberaliorem, sapientiorem, virtutibusque pluribus ornatiorem eum cæteris fere temporis eiusdem tam hostibus, quam vicinis, Principibus creauerat, addidit, vt quibus rebus fere cæteris esset superior, eos vt vinceret etiam viuendi prolixitate, quamlibet non longo spatio. Dux Burgundiæ Carolus, Hæres ipsius Prouinciarum Filia, Rex Anglorum Edoardus, Dux Mediolanensium Galeatius, Rex Arragoniæ Iohannes, omnes vita paucis ante ipsum annis excesserant. *Locus dubius.* De Filia Burgundi, Edoardoque vix inuenias quæ dicas. In omnibus mala erant bonis assita; nemo enim non homo erat: sed citra adulationem tamen, Ludouico plus virtutum Dignitati Regiæ Principisque propriarum inerat quam cæterorum cuipiam, singulos fere vidi & cognoui quid præstare possent, vt non arioler, aut coniecturas nectam.

* *
*

CAP.

CAPVT XI.

Vt Ludouicus Carolum ad se Filium accersierit paullo antequam fato concederet, deque præceptis & mandatis quæ tam ipsi quam cæteris in unxerit.

EOdem hoc M.CCCC.LXXXIII. anno Rei placuit videre Filium Delfinum, quem ab aliquot iam annis non admiserat conspectui: ita enim volebat paucis eum videri, tam ipsius propter pueri valetudinem, quam metu ne patria potestate eximeretur, neue sub eius prætextu conspiratio quædam in nouas per Regnum res oriretur: Id enim ipsi acciderat contra Parentem Carolum Septimum vndecimum annum agenti, Proceribus quibusdam satagentibus motuum, quod bellum diu tamen non durauit, similius aulicæ cuidam disceptationi. Præ omnibus Filium commendabat nonnullis Familiarium; expressisque ei interdixit verbis ne se mortuo vlli Officium Dignitatemque adimeret, inferens, sese, Patre defuncto, vt primum Coronatus fuerit, eminentiores quosque Regni, qui Patri strenue Anglis expellendis, Normanniaque & Aquitania recuperandis, Regnoque omni pristino decori atque ordini restituendo, vt id inuenerat Ludouicus, adfuerant, loco mouisse, malo suo cum magno insecuto: Hinc enim superuenisse nobis supra memoratum, quod Boni Publici bellum appellabatur, quo periculum habuerit amittendi Imperii. Cum filio vbi collocutus esset Rex, & supradictum matrimonium conclusisset, illico ipsum morbus fatalis recepit, qui à Die Lunæ ordiens Saturni sequente, penultimo Augusti mensis,

eum

eum conſumſit. Toto iſto tempore cum adfuerim, placet rem litteris vberius conſignare. Regreſſa adfectione, vt conſueuerat, vocem ſtatim amiſit, qua recepta defectiorem viribus ſe ſenſit quam vmquam alias, licet adeo ante eſſet, vt vix manum valeret ori admouere, tam macilento exſuccoque corpore, vt condolium omnibus conſpicientibus faceret. Tum agnouit fatalem adeſſe horam, miſitque qui Beauieium generum, nunc Ducem Borboniæ, accerſeret, eumque Amboſam miſit ad Filium Regem, iam enim hoc eum titulo appellabat, commendans hunc ipſi, cum cæteris fidelibus. Eidem totum onus Regendi Regni, & Regis moderandi commiſit, nominatis nonnullis quibus interdiceret congreſſu Filii, additis notabilibus grauibusque cauſſis, atque inſtructionibus, quas ſi idem Beauieius obſeruaſſet, (vel & maiorem partem, inerant enim & quædam aliena, tranſeundaque merito,) generatimque diligentius attendiſſet, res Regni totius melius exinde habituras fuiſſe exiſtimo, vt & ipſius priuatas, conſideratis quæ inſecuta ſunt. Ei ſubmiſit Cancellarium, cum omni Officio, apportatum nouo Regi Sigilla Imperii; Abhinc de Cuſtodia corporis nonnullos milites eorumque præfectos, cum vniuerſa re Venatoria & Accipitraria, aliaque ſupellectile. Qui viſitatum ipſum veniebant, Amboſam, ad Regem, ſic enim vocabat, remittebat, precatus vt bene fideliterque parerent. Per ſingulos quippiam Filio dignum nuntiabat, ſpeciatim Stephanum Verſium qui ab vltima infantia Carolum educauerat, primusque ei adfuerat Cubiculariorum, iam à Ludouico Balliuatu Meauſenſi ornatus. Poſtquam loquendi ſemel vim recepiſſet, numquam ab ea poſtea deſertus eſt, intelligentiaque vix vmquam integriore fuit, cui nitidandæ ſine fine medicamina capiebat, vaporibus omnibus cerebro expurgatis. Numquam toto morbi tempore conquerentem eiulan-

temve vt solent plerique hominum male habentium audiuimus,ego certe ea natura sum, vidique plurimos estque sententia celebris testimonio multorum planctu & questibus attenuari dolorem.

CAPVT XII.

Comparatio malorum & dolorum quos patiebatur Rex, cum iis quos non paucis hominibus intulerat, cum deductione eorum quæ fecerit ipse, absque aliis in eum facta sint ad finem vsque Vitæ.

SIne cessatione loquebatur quædam prudenter & cordate, totis diebus quib morbum constitisse diximus. Itaq; lubet comparationē inire malorū & dolorum quos ipse extulit, cum iis quos intulit aliis, quoniam illos puto Saluti animæ ipsius promouendæ fuisse. Quod si & tempore & pondere cedere dixeris Regis afflictiones cæterorum, quos dixi, cruciatibus, iubeo consideres & Officiū eius difficilius laboriosiusq; omnium aliorū fuisse; Corpore quidē vt æqua non tulerit, quid censes animi laborib. passum, qui tot millia hominū subdita regebat, adeò dextre vt censuisses Europam omnem eius velle sceptro obtēperare? Qua consideratione & illata membris mala erant ipsi quam cuiquam vtique alteri intolerabiliora, cum contra consuetudinem & naturam superuenirent. Numquā non sperabat in bonum illum Eremitam, quem Plessium accersierat è Calabria, vt diximus; & continue ad eum mittebat, qui dicerent, vitā ipsi posse protendere, si vellet; non obstantibus n. omnib. decretis mandatisq; filio exhibitis, redibat ipsi animus aliquando, videbaturque posse aliqua adhuc ratione morbum emergi, quod si accidisset conuentum illum Ambosiensem ad Nouum Regem nullo negotio disiecisset. Eremitæ illius caussa à Theologo quodam præceptum est familiaribus, indicarent

rent ipsi, ne vllam deinceps vitæ spem haberet, decipi n. voto, & nullum superesse confugium nisi ad Misericordiam diuinam, vtq; ei denuntiationi adesset Medicus, in quo omnem reliquam fiduciam vitę proferendæ posuerat, præbitis in menses singulos decẽ Coronatorum millibus, Iacobus Coctierius. Id Negotium susceptum est ab Oliuerio Tonsore, vt per omnia Conscientiæ suæ Rex consuleret, omissis in Medicũ & Monachum spebus. Vt igitur eum de plebe hominẽ cum aliis id genus repente citra rationẽ altius extulerat, quã conditio & intellectus eorũ ferrent, ita iidẽ in se receperunt tanto Principi rem adnuntiare, minime ipsis congruã, contemta quã debebant ei reuerentia, & humilitate propria egressa. Sane ingenti ciuilitate & veneratione idẽ egissent homines nobiles, cum Rege educati, quos aula paullo ante mouerat, vanas ob imaginationes suas. Verũ vt duobus Illustribus viris quos morti damnauit, (cuius alterius caussa ante obitũ dolebat, alterius prorsus non, Ducis nimirum Nemoursii, & Comitis SanPaulini) fatũ ipse adnũtiari fecit, certos per homines, qui paucis verbis sententiã tempore exiguo præstituto ad Animæ consulendum, edicerent, ita citra ambages vltima necessitas à dictis ipsi viris satis solaci sermone indicata est. Rex, inquiebant, eo res rediit vt nobis discedendũ sit ab inuicẽ: Ne habeas exhinc spẽ vel in Eremitã tuum, vel in aliam rem quamuis: Certissima n. mors prope est, quapropter mandatum est nobis adhortari te, consulas Animæ, corpori enim nullum remedium superest. Adhæc quisq; breuibus pro se verbis rem augebat. Respondit Rex. Adhuc spero Deum mihi auxilio futurũ, & fortassis tam male modũ habeo, quam vos arbitramini. Quanto dolori illi fuit audire nouã hãc & crudelem sentẽtiam! Non n. natus homo quis vmquã peius mortem hoc Rege metuit, neq; quisquam tantum laborauit, vt contra eam remediũ inueniret. Toto tem-

pore vitæ & mihi & cæteris familiaribus edixerat, si quando quis videret eum vltimæ necessitati propinquũ, ne rem verbis exprimeret, sed tale quid solum, moderate loquere; vt admoneremus solum, Animæ consulendum, penitus omisso illo diro mortis vocabulo: non enim poterat credere satis sibi vmquam cordis futurum ad audiendam tam immanem sententiam. Tamen animose hanc tum tulit, vt cætera aduersa omnia, in finem vsque vitæ, vltra quidem omnes quibus ego morientibus adfuerim. Filio Regi, quem vocabat, multa per nuntios iniungebat, Peccata pulcre de more confessus est, additis ad singula quæ caperet Sacramenta pertinentibus orationibus. Hæc omnia ipsemet vltro poscebat, voce tam nitida claraque vtens, quam vmquam alias, vel optime valens: Ad gubernationem Filii omnia facientia consultabat, inter cætera, velle memorans ne integros sex menses ab eo recederet Cordæus, quem rogaret, ne vlla ratione Calesium aut alias vrbes tentaret, secum enim bonoque Regni finem habituras id genus molitiones: esse quidem vtiles, sed summo coniunctas periculo; præsertim in Calesium, ne ea occasione Angli e-moueantur; cupere se quinquennio aut sexennio toto Imperium à suo decessu pace frui, quam viuens ipse numquam quiuerat tolerare. Rei ipsa veritate sane maximopere hoc remedio Galliarum tum status egebat, quam enim ampla & potens ditio erat, tam erat egena pariter & macilenta velut, præcipue ob commeationes copiarum, de regione in regionem Regni transeuntium. Constituebat insuper ne in Britannia belligeraretur, sed Duci Francisco pacifice viuere, nullis de more timoribus suspitionumque caussis concusso, concederetur, vt & omnibus cæteris Regno vicinis, vt ipsum cum nouo Rege itidem pacatum ageret, donec is ad ætatem perueniret consiliis Gubernationis rebusque gerendis idoneam.

idoneam. Sic satis ipsi inciuiliter mortis sententia adnuntiata est. Quod recensere voluit ob institutam comparationem malorum aliis illatorum, inter quos multi subditorum, fideliterque parentium, erant, & ipsi vicissim toleratorum. Vt cernere quilibet possit, si, secundum naturam eius, Regis mala tempore & pondere cesserint cæteris, eo tamen paria fuisse, quod homini ad Imperandum facto, cuique obtemperatum semper egregie fuerat, exiguum contra verbum ingens dolorum cumulus fuerit. Quinque aut sex ante excessum mensibus omnes homines habebat suspectos, quicunque aliqua auctoritate essent. Timebat suum Filium, & stricta eum custodia cohibebat, vt à nemine videretur, & ipse colloqueretur nulli, nisi patris iussu. Metuebat in finem filiam & generum, nunc Borboniæ ducem; volebatq; scire qui ad eos Plessium intrarent; sic consistorium etiam aliquod, inibi ab eodem conuocatum Regis ipsius iussu, interturbauit. Cum idem gener eius cum Comite Dunesio redirent, à reductione Legatorum, qui Ambosam ob nuptias paullo ante dictas venerant, Plessium, non paucis comitibus de more stipati; in Ambulacro Rex consistens vocato vni militum Tribuno imperauit, tentaret clam vestes eorum, an quid armorum iis celaretur, fieri id posse simulatis colloquiis, ne sentiretur. Videat igitur quis, si plurimos sub imperio suo magno grauique timore continuerit, an non par pari relatum fuerit; cui enim fidere potuisse dixeris, qui Filio, Filiæ, & Genero tãtopere diffideret? Hoc exemplum omnibus qui metui volunt, præstituero; ad senectutem vtique paribus suspitionibus inuoluendis, cum, pœnitentiæ loco, neminem non sint vicissim timituri. Et quis dolor erat huic Principi, tantos hos cruciatus & timores sufferre? Iacobum Coctierium habebat Medicum, huic quinque mensibus Quinquaginta quatuor Coronatorum millia dono ad-

ditis,ad menſtrua dena,fuerat largitus.Eiuſdem Nepoti Epiſcopatum Ambianenſem, non paucis amicorũ alias dignitates,contulerat.Is Medicus tam moroſe & acerbe eum tractabat,vt æque contumelioſis & duris verbis vix quiſquam famulum aliquem compellarit; tam ſtricto metu habitus,vt nequaquam auderet Rex eum amouere,licet non raro de indignitate rei amicis conqueſtus, vt alios ſolebat. Audacter enim in hæc verba aliquando homo eruperat. Optime mihi conſtat, quodam me mane diei ſubito à te eiiciendum eſſe,vt video agi cum aliis, ſed tum (horrendo addito iuramento) nullo octiduo certus eſto te ſuperuicturum.Hoc dicto extreme timentem ſui Regem fecerat,qui nihil iam aliud faciebat, quã obſecundare homini,& donare ingentia; Id quod ſummi cruciatus loco erat,conſiderata ſubiectione tot Procerum,qui Imperio eius ad nutum parebant. Diffitendum non eſt hunc Regem carcerib.horribilib.non paucos afflixiſſe.Fecerat caueas ferreas, ligneasq; ferreis laminis intra extraq; inductas, cum terribilibus clauſtris, octo pedum amplitudine, vnum altitudine ſupra ſtaturam hominis. Primus harum auctor Epiſcopus Virdunenſis fuit, qui in primam earundem, vt primum facta fuit,miſſus,quatuordecim eam annis habitauit.Execrati ſunt poſt plures,interque hos ego,qui guſtaui commoda earum integros octo menſes ſub præſenti Rege. In Germania confici curauerat cõpedes prægrandes & abominabiles,quarum anni nulla vi poterant recludi,ęgerrime adhibitis ordinariis clauibus: catena inerat ingens & grauiſſima, à qua globus pendebat immanis ferreus, omni proportione maior.Hæ appellabantur Filiolæ Regis. Vidi multos egregios viros in carceribus his oneratos,qui poſtinde exemti magnis præfuere officiis, diuitiisque ab eodem Rege ingentibus locupletati; horum in numero filium Baronis Flandri, Gruturium, prælio

captum;

captum;quem mox Cubicularium ſuum, Seneſchallum Andegaui,Præfectum centum Equitum,fecit Rex, deq; cõmodo ei matrimonio proſpexit. Indidẽ ſunt ad paria Officia admoti Baro Piennius, captus & ipſe bello, & Vergerius,vterq; pręfecturis militaribus ornati,eiuſdem aut Caroli mox Cubicularii;vt & Rochefortius Coneſtablii frater,& Roquebertinius,Catalaunus genere;hic pariter in conflictu captus;cum aliis diuerſis regionibus oriundis & longis enumerari. Sic itaque, vt eius conſilio & tempore hæc noua genera carcereorum tormentorũ inuenta ſunt,& ipſe ante exceſſum nouos paſſus eſt cruciatus, hoc ſtrictiore carcere, quo timidiorem ſeſe cuſtodia nemini fidens ipſe incluſerat. Quas res miſeratione diuina ipſi contigiſſe autumo, vt in hac nimirum vita lueret vindictam commiſſorum, ſimul exemplo videndum proponens neminem tam eminente dignitate vſpiam eſſe,qui non quandoque crucietur, præſertim iis quæ quis mala aliis intulerit. Ludouicus noſter ſub finem vitæ ingentibus vectibus ferreis habitationem ſuam in arce Pleſſienſi claudi fecerat, quos deſcripſimus ſupra, neque opus eſt repeti, ſciebat contra copiam aduerſariorum non ſufficere ea munimenta,ſed exercitum nullum metuebat ſuperuenturum. Hoc ſolum ne quis Procerum forte noctu caſtrum tam beneuolentię quam armorum adminiculo capere moliretur, vt demeret ipſi auctoritatem Imperandi,inſtar orbati iam ſenſibus& regno hominis inepti. Portæ arcis non aperiebantur ante horam octauam matutinam,neque pons prius ſublatilis demittebatur; tum vero intrabant Aulici, & Tribuni militares ingreſſum cuſtodib. diſpoſitis muniebãt. Hinc Speculatores tam in portis,medioq; Aulæ ſpatio,diligẽter ſolliciteq; locabantur,quam ſi ad limites hoſticæ terræ ſitum fuiſſet caſtrum Oſtio minuto,quibus opus erat, intromittebantur,nec niſi Rege gnaro & iubente: Comita-

mitatui quicunque potuerant abesse, demti fuerant. Et poterit honeste aliquis Rex strictiore custodia teneri, quam se ipsemet iste concluserat? Caueæ aliis paratæ in quadrum octo pedes patebant, ipse, qui tantus erat Rex, minutum spatium in atrio arcis sibi reliquerat, vbi posset deambulare; neque eo nisi rarissime quoque veniebat, superiore se ambulacro seruans, ne quoquam discederet aut descenderet, nisi per cubicula & conclauia, etiam Sacra accedens per easdem velut cryptas. Hunc quis negabit paria cæteris tolerasse? qui includeret se, custodiri faceret, qui liberorum suorum pessime metuens erat? qui omnes agnatos cognatosque horrebat, qui in dies mutabat ministros, ab sese educatos, nulli quippiam præter ipsum debentes, vt nulli tantillas horas fideret? Corpus suum tam inusitatis catenis claustrisque circumcingeret? Si spatium loci paullo vsitato carcere fuit amplius, & ipse communi erat quoq; captiuo illustrior. Si quis dicat vixisse alios etiã timidiores, & suspiciosiores; sane negẽ id nostro tempore accidisse, nec fuere forte pari sapientia homines, neque tam fidelibus subditis imperauere, ipsique fortassis crudeliter, & tyrannorum ritu, res gubernarunt: hic autem nemini quid mali nisi offensus intulit. Neque hæc memoraui solis nostri Regis doloribus recensendis, sed vt ostenderem horum exantlationem loco punitionis ipsi fuisse meo quidem arbitratu, Deo in hac vita delicta vlciscente, ei vt parceret in altera. cui rei affuere etiam ægritudines molestæ & diuturnæ, quas eximie quoque horrebat, antequam accederent; Et commonefacerem simul post hunc victuros Principes, vt maiore in subditos sint clementia, minusque atroces in pœnas, quam vel iste fuit, quamlibet memoriam eius quacunque re onerare nolim, neque possim dicere meliorem vidisse Principem; quod si suis ipse nonnihil molestus fuit, nullo tamen genere à quo-

quam

quam domestico aut extraneo ipsis ægre fieri fuisset perpessus. Post tantos dolores, timores, & suspitiones, Deus miraculo quodam ipsius misertus est. Sanauit enim eum corpore & anima, vt solet cum hominibus inexspectati aliquid conficere vult; Euocauit enim hac vita integrum intelligentia & sensibus, memoria vigentem, animo ad Pietatem toto conuersum, sine dolore excessus, quem sentire præsentes possent, semper loquentem, ad breuissimum ante spiritum emittendum tempus, & sepulturæ membrorum prospicientem, vt nominatim etiam indicaret quos funus comitari vellet, die etiam obitus prædicta, Saturni nimirum, quam se gratiam Deiparæ Virgini acceptam habere dicebat, quam eximie semper esset veneratus: Ita accidit etiam prorsus, eo enim die, penultima mensis Augusti, anno M. CCCC. LXXXIII. octaua vesperi hora, Plessii, vbi morbus ipsum præcedenti Lunæ die receperat, decessit. Deus Optimus Maximus velit Animam ipsius recepisse in Regnum Paradisi sui.

CAPVT XIII.

Digreßio super miseriam vitæ humanæ, præcipue Principum, exemplis eorum qui viuente Auctore rebus præfuerunt, & primo loco Ludouici.

EXiguæ & humilis conditionis homines parum omnino spei ponere debent in rerum humanarum successus, cum tantæ potentiæ Rex tantum viuens laborauerit, tot ærumnas tulerit; post vti paullo relinqueret omnia, impos vitam vel in vnius horæ spatium protendere, nullis non tentatis anquisitisque remediis. Noui eum, & ex ministris ei affui vt flore ipso ætatis, cumulo-

que prosperitatum,numquam tamen absq; labore & sollicitudine videre memini.Super omnes Voluptates amabat Venationē;& Accipitrum opportuno tēpore studiosissimus erat, non tamen ęque atq; canum.Mulierū curā singularē non habuit,cum n.accederem eius aulæ, mortuus est ipsi filius,quem effuso luctu prosecutus est, meq; præsente Votum Deo fecit,præter coniugis Reginæ,nullius amplexus vmquam subiturum ; quo licet eum Lex matrimonii constringeret,res tamē magna fuit, promisso perstitisse.In ipsa vero Venatione fere æque erant molestia atque recreatio,qua vteretur: Magno enim labore rei incumbebat cum ceruos pręcipue summo impetu sequeretur,mane cubili exiens sæpe longe à sociis prouectus, neque rationem habens cœli aut temporis annui, vnde frequenter bene fatigatus reuertebatur & raro non alicui iratus.Est enim negotium tale hoc vt nequeat semper ad lubitum imperantis à ministris expediri. Melius tamen certum est omnia huius intellexisse quam quemuis alium temporum eorumdem Principem , vti nemo non testificabatur.Hanc curam sine intermissione sequebatur,diuertens per pagos, donec rumór alicuius belli ingrueret;singulis enim fere æstatibus dissidium erat inter ipsum & Burgundiæ Ducem Carolum, hyeme in inducias conuenire solitos.Pariter magno labori erat Comitatus Roussilionensis contra Ioannem Arragonum,nunc Hispaniam tenentis Regis patrem. Licet enim valde egeni essent , & exosi subiectorum parti,vt Barcelonensibus & aliis, & Filius prorsus nihil possideret,(exspectabat enim succedere Regi Hispaniæ Friderico , coniugis suæ fratri,quod & fecit postea,) tamen magnopere Ludouico resistebant. Roussilionensium enim plerique ipsis eximie volebant,'quod magno stetit Regi & Regno.Ille enim ibi obiit,perditis multis egregiæ virtutis viris magnisque sumtibus, bello longum in

tem-

tempus extracto. Sic Ludouico ex annuo tempore parum supererat huic Voluptati impendendum, & ipsi ea magno labore cõstabat corporis. Cum quiesceret membris, animo contendebat, non n. ex vno loco oboriebantur negotia, & ipsi erat ingenium, quod etiam vicinorum principum sese immiscere quæreret, destruendis, quorũ increfceret auctoritas, intrudentisq; aulis ipsorũ, qui res agerent suas. Cum bellum haberet, desiderabat pacem aut inducias: His potitus, ægre ferebat vtramque. Multis exiguis Regni negotiis accedebat, quibus citra incommodum abstinuisset; sed tale erat ei ingenium, & hoc modo vitam ducebat. Memoria etiam tam erat ampla & fideli, vt omnia retineret, nullum non hominẽ nosset, tam qui circa ipsum versabantur, quam apud exteros degentium. Profecto non tam ad Regnum aliquod, quam ad mundum integrum aliquem gubernandum factus videbatur. Non loquor iam de puerili eius aut adolescenti ætate, tum n. ipsi non affui; sed tamen & vndecimo vitæ anno à nonnullis Regni Procerib. in patrem concitatus fuit, bello licet non duraturo. Cum virilem statũ iniisset, matrimonio data est ei Filia Regis Scotiæ, ingratiis ipsius, quam & quamdiu vixit amare non potuit, qua defuncta, propter aulicas circa Patrem tumultuationes Delphinatum secessit, suam in ditionem, quo plurimi Illustrium virorum eum secuti sunt; adeo vt omnib. alendis non esset. Ibi degens vxorem duxit Filiam Ducis Sabaudiæ, illico post cum Socero magnum & asperum bellum gessit. Carolus Pater filium videns maiore Procerum comitatu Militumque pro lubitu copiis instructum, quam ex vsu suo esset, decreuit ipsemet eo cum splẽdido apparatu proficisci, vt excuteret tantam ei potentiã. Magno tamen, vt Rex discessum plerisq; imperando, labore, etiam præsens, quod voluit, effecit. Hanc Patris apud suos auctoritatẽ ægerrime Ludouicus tulit, animaduer-

soque

ſoque patris ex iracundia odio, vtcunque contra potens eſſet, ſtatuit Regno toto ei relicto aliorſum concedere: Sic cum exiguo comitatu ad Philippum Burgundiæ Ducem venit, eximio honore ſuſceptus, muneribus non paruis & ipſo & familiaribus donatis: Annuas enim velut penſiones ab eo Principe habebant Comes Cominæus, Baro Montaubanus, & alii; neque ipſe Ludouicus, qua poterat, in ſuos illiberalis erat. Eo modo cum impendium tantum vnde ferret, non haberet, pecunia ſæpius defectus fuit, magno animi dolore & ægritudine, mutuo ſumenda, aut quærenda aliunde, ne ab omnibus clientibus ſuis deſereretur, quæ ſane non minima eſt moleſtia Principi alia omnia adſueto. Itaque nec in Burgundia ſine angore & labore fuit, cum inſuper opus haberet, quibus poſſet modis beneuolentiam Principis & Procerum retinere, metuentem ne tanti temporis faſtidio ipſo expelleretur, Sex enim totos annos ibi moratus eſt, neque Pater continuas excutiendo, aut reſtituendo in poteſtatem ſuam, Legationes mittere ceſſabat. Credere quiuis poterit parum otioſum hoc tempore fuiſſe, neque non ſollicitudinibus & moleſtis cogitationibus anxium. Quo igitur vitæ tempore ſibi vacare aut animo eum obſequi potuiſſe dixeris? Mihi perſuaſum eſt ab vltima inde infantia ad mortem vſque in perpetuis ærumnis & doloribus vitam extraxiſſe: quod ſi dies quos his exemtos duxerit, connumerare poſito rite calculo volueris, paucos omnino deprehendes, adeoque vt viginti contra cæteris, horum vix vnus opponendus inueniatur. Ætate ſexaginta & vnius annorum mortem obiit, & hoc quoque ſatis metuens. non enim crediderat emenſurum ſeſe ſexageſimum, exemplis Galliæ Regum retro plurimis ordine inductis, quorum nemo numerum eum exceſſiſſet: Nonnulli ſeriem ad Carolum vſque Magnum extendunt, quam noſter tamen

men Ludouicus, vt dictum, integro anno reliquit. Carolus Burgundiæ Dux nunc veniat in partes. quo pacto probare poterit sententiam, qui plus commodi hunc nostro Rege in vita habuisse dicet? Verum est adolescentem eum parum habuisse sollicitudinis, nihil enim gerere aggressus est ante vigesimum secundum ætatis annum, eousque definias licet vitam ei fuisse tranquillam & sanam. Ex eo autem tempore commoueri cœpit in Gubernatores parentis sui, quos cum ille tueretur, reliquit patrem filius, & in Hollandiam se contulit, bene ab incolis susceptus, venitque in consortium consiliorum cum Gandauensibus, quos & interdum inuisit: Pater nihil ei præstabat, sed Hollandia tam erat opulenta cum magnis aliarum prouinciarum ciuitatibus, vt spe gratiæ eius olim obtinendæ, magnis eum donis honorarint. Atque hæc generalis consuetudo est humana, vt studeant quique placere iis quorum vident potentiam & auctoritatem crescere præ illis, quorum iam eo adscendit gloria vt vltra non possit, amore in venturam commoditatem vehemente, præcipue vbi plebs dominatur. Huiusdemque rei caussa Philippus, cum referretur ei filium à Gandauensibus diligi, & nosse optime eos tractare, respondit, consuetudinem eorum esse amare futurum semper Dominum, cum autem iam potiatur rerum, eumdem odisse. Quod dicterium veritate nitebatur, ex quo enim habenas Prouinciarum paternarum cępit Carolus, non potuerunt eum amplius amare, idque re ipsa ostenderunt, vt supra memoratum est: vicissim vero neque ipse eos diligebat: posteritati tamen eius maiora damna intulerunt, quam vlla ipsi ratione quiuissent. Sed vt ad propositum redeamus, ex quo Carolus bellum pro limitibus Picardiæ suscepit, quas Ludouicus noster redemerat à patre ipsius, iniitque cum Galliæ Proceribus fœdus, quod Bonum Publicum appellatum est, qua

postea

postea commoditate frui potuit? Continuos laboribus labores adiecit, neq; corpore aut sensib. vmquã tranquillus fuit, Gloria n. percellebat ipsi pectus, vt quicquid videret ex vsu suo esse studeret acquirere. Omnibus æstatibus castra habebat sub dio, magno corporis periculo, totiusq; exercitus curam sibi soli adsciscebat, neq; sic satis videbatur habere agendi. Surgebat cubitu primus, vltimus somno concedebat, vt omnium militum egentissimus. Si qua hieme interquiesceret, omni opera atq; ingenio colligendæ pecuniæ incumbebat. Quotidie sex primas horas laborabat, ingenti industria audiens Legatos diuersis locis venientes. Qua in miseria finiuit dies suos, ad Nanceium cæsus tamdem ab Heluetiis, vt docuimus. Sic affirmari non poterit eum vnicum felicem diem vixisse, ad vltimam vsque vitæ horam, ex quo primum se cepit extollere supra modum velle. Quid his tantis sibi laboribus boni peperit? Quæ eum ad has stultitias necessitas vrgebat? Opulentissimus sane erat, ingentium Vrbium & regionum Dominus, quibus impepare summa tranquillitate, cupide parentibus, potuisset. Hinc ad Edoardum Angliæ Regem proficiscatur oratio, magnum & præpotentem Principem. Summa sua adolescentia prælio fusum vidit Patrẽ, Ducem Iorchensem, exstinctumq; mox, cum patre Comitis Warvvicii. Is Comes post gubernabat pro lubitu Edoardum iuuenem, & negotiis omnibus præerat. Veritate ipsa, fecit is eum Regem, & vnica deiecti Henrici caussa fuit, postquam plures annos Imperio præfuisset, qui, iuxta meum & totius mundi iudicium, verus Rex erat. Sed de talibus negotiis, vt Regnorum & ingentium Dominiorum statuendum est, in manu Dei vniuersa esse, qui disponat vt velit, cuius nutui omnia debentur. Comes Warvvicius Iorchensi familiæ ideo fauebat contra Henricum & Lanclastrios, quod in Aula Henrici quædam fuetas

tat diſſenſio, inter VVarvvicienſium & Sombreſſetiorũ clientelas. Rex non erat admodum ſapiens, Sombreſſetii autem partes contra VVarvvicium forebat Regina, filia Regis Siciliæ Renati, de domo Andegauenſium. & hactenus omnes Henricum cum patre auoque legitimos ſibi Reges habuerant. Fœmina illa melius dignius que egiſſet, ſi iudex inter contrariantes ſententiam tuliſſet, quam vt diceret, hanc ego partem tuebor, vt exitus docuit. Multis enim præliis partes colliſæ ſunt, bello in vigeſimum nonum annum producto, vt in finem omnes fere vtrimque occumberent. Tales factiones perquam periculoſæ ſunt, præcipue nobilitatis reſpectu, natura iis fouendis ducendisque pronæ. Si quis dixerit, hoc vero modo poſſe mentes ſubditorum pateſcere regibus, & vtramque partium in timore attineri, conceſſerim adoleſcenti Regi id facere in Gynæceo, inde enim Voluptas ad eum redibit, & muliebrium ſecretorum arcana ridenda propalabuntur; ſed inter viros nutrire diſcidia, vt Principes nobilesque & cordatos homines, inter præcipuas periculoſarum rerum arbitror. Hoc eſt grandem in penatibus tuis ignem accendere, illico enim hic & ille erunt qui dicent; Rex eſt contra nos, ſtudebitq; quo ſe pacto fortiorem faciat potius, quam vt inimicis cedat. Certe Aurelianenſes cum Burgundionibus diſſenſiones erudire homines debebant, quarum bella durarunt ſeptuaginta duobus annis, mediis immiſtis Anglis, qui ſperabant totum Regnum occupaturos. Vt ad Edoardum reuertamur; erat ætatis ipſo in flore, & formoſorum cum primus Princeps ſpecioſus. Cum omnes iam inimicos ſuos ſuperaſſet, nihil curæ habebat præter placere mulieribus, feſta conuiuia celebrare, venari & voluptuari; quomodo ſedecim annos exegiſſe eũ opinor, donec à VVarvvicio felicitas, quã putabat, interpolaretur. Eo infortunio

licet

licet Regno fuerit eiectus, certamen non diu tamen durauit; reuersus enim obtinuit denuo victoriam, à qua ad solitas delectationes recurrit, easque etiam magis excoluit. Non timebat exhinc quemquam, sed cuti curandæ adeo operabatur vt pinguesceret mirum in modum: Sic in ætatis flore intemperantia eum sua interemit, & subito, vt ferebatur, Apoplexia interceptus est; familia vero ab eo perdidit Regnum quo ad masculam successionem, vti recensitum est. Alibi eodem hoc nostro tempore regnarunt duo potentes & sapientes Reges, Hungariæ Matthias, & Machumet Ottoman, Turcorum Princeps. Matthias natus erat patre fortissimo Equite, nomine Blanci-Equitis de Wallachia, homine virtute & sapientia illustrissimo. Is diuturno tempore præfuit Regno Hungariæ, insignibusque multis victoriis contra Turcos coronatus est, qui vicini sunt iis oris, ob ditiones quas in Græcia & Sclauonia vi occuparunt. Ab excessu huius mox in virilem ætatē venit Lancelotus, legitimus Regni hæres, cum Bohemia & Polonia. Huic à nonnullis suasum est (vt fama fert) capere duos dicti Equitis filios, caussantem patrem ipsorum nimiam in Regnum potentiam vsurpasse per Regis pueritiam, posse autem fieri à soboles sequeretur aliquando studia patris & eodem animum applicaret, licet iam virtutis essent omnibus commendatæ. Id consilium secutus Lancelotus ambos custodiæ tradidit, maioremque natu mox extinxit, Matthiam autem iuniorem Budam misit, Regni caput: Sed non diu ibi attentus est, forte Deo memoriam habente paternæ pietatis: Lancelotus enim Rex Pragæ in Bohemia à fœmina nobili (cuius fratrem vidi) intoxicatus est: fuerat mutuus inter Veneficam & illum Amor: sed Rege ducente Caroli Septimi Galliæ Regis filiam, quæ modo Princeps Viennensis appellatur, contra quam promiserat, illi mulier in balneo venenum præbuit, manubrio

mubrio cultri, quo pomum disciderat, lethifero pharmaco tincto. Lanceloto mortuo Proceres Hungariæ Budæ conuenerunt ad Regem eligendum secundum morem & Priuilegia, non exstante hærede. Ea in ciuitate cum odiis & dissidiis ob successionem velitaretur, superuenit Matthiæ mater vidua, cum splendido comitatu, erat enim opulentissima mulier præsentis præcipue pecuniæ à marito vbertim relictæ, itaque colligere copias facile fuerat, & credo non paucos intra vrbem habuisse rerum suarum studiosos, cum summa in toto Regno auctoritate cõiugem habuisset. Sic misit qui carcere filium educerent. Pars Procerum qui Regi eligendo conuenerant, pauore territi profugerunt. Cæteri Regem fecere Matthiam, qui præclara prosperitate Regno præfuit, tam laudabilis laudatusque Princeps vt parem multis retro annis eæ oræ non habuerint. Temporis sui inter virtute & potentia præcipuos hic Rex fuit, feliciterque in Turcas sæpius pugnauit, nullis suo Regno damnis datis, sed id auxit contra magnopere tam illa, quam ex Bohemiæ parte, cuius etiam ditionem tenebat maiorem, vt & Wallachiæ, vnde oriundus erat ipse, cum Sclauonia. Germaniam versus potiorem Austriæ portionem Friderico Imperatori, nunc quoque viuenti, ademit, posseditque ad mortem vsque ipsius, quæ incidit annum M. CCCC. XCI. Erat princeps tam pacis sapientia & consilio, quam belli tempore armis & fortitudine suis præesse gnarus. Ad finem vitæ, amolitus omnes circa inimicos, splendori & magnificentiæ Aulicæ nimium quantum indulsit, studiosissimus preciosarum gemmarum, poculorum, & signorum corrogandorum ad exornandam Regiam suam. Omnia sua ipsius industria expediebat, aut certe præcepto. Voluit etiam timeri, & euadebat ad supremum crudelis, vnde grauem incidit morbum incurabilemque, annorum cir-

citer viginti octo iuuenis : Sic quoque vita omni per continuos labores ducta quorum comparatione nullam dixeris voluptatem sensisse. Turcorum Princeps, de quo supra verba feci, sapiens itidem summaque virtute fuit, amplius tamen vtens sagacitate quam violentia atque audacia. Fatendum est à Patre huic relictum ingens imperium, Imperatore fortissimo, qui Adrianopolim bello cepit. Iste autem viginti tres annos habens Constantinopolim superauit: vidi picturam eo tempore factam, quæ ingenti hominem spiritu præferebat. Christianorum immensus pudor fuit eam vrbem ita perdidisse. Superata est vi victoris, & Orientis Imperator in tumultu victoriæ, cum infinitis illustribus viris, cæsus; ingens vis nobilium fœminarum puellarumque corrupta, nulla non exempla crudelitatis & immanitatis barbaræ patrata sunt. Hæc prima Imperatoris Machumeti expeditio fuit, quam continuauit felicitate sequentium adeo, vt audiuerim Legatum quemdam Venetum coram Carolo Burgundo dicentem, duo eum occupasse Imperia, quatuor Regna, & ducentas vrbes: Imperia autumabat Constantinopolitanum & Trapezontinum, Regna, Bosniam, Syriam, Armeniam, nescio an Moream, olim Peloponesum, pro quarto habens. Eo in mari, quod Archipelagus nuncupant, Venetis adhuc duo ibi loca tenentibus, multas pulcras insulas pariter occupauit, vt Nigropontum, Mitylenen; Adhæc fere totam Albaniam & Sclauoniam. Quod si felicitate contra Christianos singulari fuit, non minori suæ relligionis homines confecit, multis præpotentibus Principibus excisis, vt Caramaniæ, & aliarum prouinciarum. Maximam partem negotiorum hic quoque suo consilio suaque industria exegit, pariter vt noster, & Hungariæ, Reges. Hi fuere maximi tres omnium Principum qui centum retro annis fuere: Sed vitæ honestas & morum conicinni-

tinnitas, quaque liberalitate erga familiares suos, vt & exteros vtebatur, longe nostrum cæteris extulit, vtpote his aliisque virtutibus multimodis ornatiorem. Et erat Rex etiam Christianissimi titulum ferens. Quod vitæ Voluptates attinet, Turca iis vsus est vt barbarus, maiori tempore impenso, intulissetque vtique rebus humanis plus incommodi, nisi iis tantopere fuisset addictus. Nullo corporis vitio non extremum in modum instar belluæ indulgebat. Sic morbi agmine facto mature adfuerunt, ad vitæ videlicet ordinem; crure enim inflato, vt ab iis audiui qui viderunt, singulis æstatibus incipientibus in humani corporis molem malum intendebatur, neque erat chirurgus aut medicus qui de genere morbi dispicere posset, neque vlla ratione aperiri vlcus tantum potuit; affirmantibus fere omnibus gulam & crapulam augendo fuisse; suberatque vindicta vtique diuina. Finito autem dicto tempore, disparebat denuo. Hinc factum est vt tam raro se conspici sineret, plaustro semper tecto vehens, ne contemneretur scilicet à populo, animaduersa macie corporis. Mortuus est annorum quinquaginta duorum aut præterpropter, exitu satis præcipiti vt testamentum tamen reliquerit, & mihi visum, pœnitentiam habens super tributo quodam quod recens à subditis exegerat. Si id testamentum fictum non est, considerent quid facere ipsos conueniat, Principes Christiani, qui nulla ratione potestatem habent tale quid suis subditis exigendi, sine præcedente eorum venia & permissione.

AVCTORIS CONCLVSIO.

SIc itaque cognoſcitis mortem tot Illuſtrium hominum intra tantillum tempus, qui tantum conniſi fuerant atque laborauerant, vt augerent res ſuas, & gloria increſcerent, nullis eo fine parcentes ærumnis & doloribus, quibus ipſum vitæ ſibi tempus incidiſſe putes, & quo ad animas, adhuc male habeant; Quo tamen vltimo de Turcarum Principe non loquor, clarum enim puto eum eo profectum, vbi degunt præceſſores ipſius. Noſtri Regis ſpero miſertum eſſe Deum, vt & cæterorum, ſecundum diuinam ſuam voluntatem. Sed vti ſecundum naturæ ordinem loquar, vt homo prorſus quidem illiteratus, aliqua tamen rerum experientia inſtructus; nonne præſtitiſſet ipſi & cæteris Principibus, quique horum poteſtati ſubditi vixerunt, viuentque deinceps ſub imperio aliorum, mediocritatem, & inter duo extrema hæc medium tramitem ſequi? Hoc eſt minus vt ſollicitudinum ſibi adſciſcant, minus laborent, & paucioribus ſe negotiis immiſceant, magis autem timeant & reuereantur Deum, parcant perſecutionibus populi & vicinorum, quibus affligendis tot modi excogitati ſunt, (vti ſupra memoratum eſt,) capiantque honeſtarum permiſſarumque voluptatum pleniorem vſum? Sic & vitæ ſpatia ſuæ quiſque protendent, morbis vrgebuntur tardius, & poſt fata deſiderabuntur amplius, àque pluribus hominibus, qui nunc interitum eorum in votis habent, neque tantopere mortem timebunt. Poſſintne vero clariora exempla produci vnde perſpiciatur quantilla res homo ſit, & quam vita iſta noſtra miſerabilis breuiſque, neque vllo cenſu potentes præpollere pauperibus, cum vtrorumque illico à morte corpora omnibus horrori ſint & vituperio, Quodque oporteat animam, cum primum his ſeparata fuerit, iudicio ſuo ſiſti? Et profecto

fecto ipſo momento diſceſſus à corpore, credibile eſt ſententiam ferri à Deo, ſecundum opera virtutesque huius vitæ, in cuiuslibet animam. Quam ſententiam appellamus iudicium ſpeciale.





PHIL. COMINAEI COMMEMORATIONUM RERUM GESTARUM

LIBER SEPTIMVS.

Qui est Primus à CAROLO OCTAVO LVDOVICI XI. Filio, Galliarum Rege.

Propositio auctoris, indicantis quid sequentibus Commemorationibus sit tractaturus.

AD continuandas Commemorationes à me Philippo Cominæo institutas super gestis Regnoque Ludouici Vndecimi, cui Deus sit propitius, nunc vobis recitabuntur Caroli Octaui res, præcipue quam in Italiam expeditionem suscepit, me ei ministrante. Is Princeps Vienna, quæ ciuitas est Delfinatus, profectus est vigesimo-tertio Augusti die Anno Christiano. M.CCCC. XCIV. rediitque in Regnum suum circiter mensem Octobrem Sequentis M. CCCC. XCV. Priusquam ea expeditio facesseretur, res varie disceptata est, videlicet consultius maneret, an destinatum exsequeretur. Sapientibus & rerum experientia sollertibus ardua & pericu-

periculoſa videbatur, neque erat qui eam prorſus probaret præter ſolum Regem & Stephanum Verſium, ex Languedocia oriundum, ſtirpe ſatis humili, qui neque viderat vmquam neque intellexerat vllum bellicum negotium. Alter quidam miſcuerat conſilium, Briſſonetus nomine, ex rationum redituumque notariis, ſed eum penes magna erat puſillanimitas; quem tamen eadem hæc negotia dignitatibus Eccleſiaſticis auxerunt, præter cætera Officia Cardinalatu etiam admotum. Prior iam multas hæreditates acquiſierat, Seneſchallus Becucairiæ, Præſesque Rationum Pariſiis, fideliſſimeque rei à prima infantia ſeruierat, Cubicularii miniſterio, qui & Briſſonetum ſuarum partium fecit. Hi duo capita totius expeditionis fuerunt, à paucis indidem laudati, à pluribus vituperati. Omnia enim ad tanti ponderis rem deerant; Rex adoleſcens erat, corpore imbecilli, ſuæ voluntatis perquam tenax, paucis idoneis hominibus ſtipatus, Militaris rei perito Duce vix aliquo, pecuniæ præſentis prorſus egenus. Mutua enim ante paullo quam viæ ſe darent, à ſolis Trapezitis Genuenſibus ſumſerunt ingentibus vſuris à nundinis ad nundinas, centum millia Francorum, quodque poterat hinc inde argenti non vno loco, vt poſt dicturus ſum. Nulla habebant parata tentoria aut tabernacula, & hiemali ſidere Longobardorum agrum intrabant. Vnam rem pulcram ducebant, comitatum hilarem & iucundum, conſtantem catervis nobilium adoleſcentum, ſed parum omnino imperio præfectorum parentem. Sic concludendum eſt totum negotium huius expeditionis tam euntium quam redeuntium à Deo eſſe conductum; Sapientia enim gubernatorum nihil prorſus præſtabat, eo tamen gloriari poſſunt, quod magni honoris & gloriæ inſtrumenta Domino ſuo fuerint.

CAPVT II.

Quomodo Renatus Lotharingiæ Dux in Galliam venerit, Ducatum Barri Comitatumque Prouinciæ à Carolo Rege repetens, Vtq; Regno Neapolitano exclusus fuerit, eodem cum Rege modo id sibi vindicans, quoq; iure in hoc ambo nisi sint.

REge annos Coronationi idoneos iam habente, quatuordecim puta aut quindecim, venit ad eum Renatus Dux Lotharingiæ Barri Principatum à Ludouico vndecimo occupatum, & Comitatum Prouinciæ quem Rex Carolus Andegauensis, agnatus eius germanus eidem Ludouico reliquerat, vt pote hæredi testamento instituto, cum ipse illiberis decederet, postulaturus. Comitatum ad se pertinere Renatus autumabat, quod filius esset filiæ Renati, Siciliæ Regis, Ducis Andegauensis, Comitisque Prouinciæ, caussatus Regem Siciliæ iniuriam fecisse ipsi, Regem autem Carolum Andegauensem, solum ex fratre ipsi nepotem fuisse, Comite videlicet Mainio, cum Lotharingus esset ex filia. Alter contra ferebat Prouinciam non posse deuenire ad filiam per ipsorum testamenta. In effectum Barri ditio restituta fuit, Rege præter certam pecuniæ summam nihil vindicante: auxilioque magnorum in Aula amicorum, præcipue Iohannis Burboniæ Ducis, cuius ætate iam affecti sororem volebat ducere Lotharingus accipit centurionatum Equestrem, & in quatuor annos triginta sex millia Francorum, quo tempore de Prouinciæ iure dispiceretur. Huius consilii conclusionisque pars erat Stephanus Versius, (me quoque recens tum allecti Concilii Senatorem agente, quod tam agnatis Regiis, quam Trium Regni Statuum lectis hominibus constabat,) qui iam nonnihil bonorum in Prouincia possidebat, conceperatque animo Neapolitanum negotium, fecitque

per,

per,(vt ut erat adoleſcens) Regem, ſororemque ipſius Principem Borboniam, Launio & Commingio, qui & ipſi dicti Conſiſtorii erat mihique indicari, vt eo rem deduceremus, ne Prouincia ſuæ poteſtati eximeretur, quod ante dictam concluſionem contigit. Antequam elaberentur dicti quatuor anni in Prouincia nonnulli exorti ſunt, qui producerent teſtamenta Caroli Primi, fratris Ludouici Sancti, aliorumque Regum Siciliæ, qui ex domo Gallica fuerant: hi inter alias rationes dicebant non ſolum Prouinciæ Comitatum ad Regem pertinere, ſed & Siciliam aliaque omnia Andegauenſium familiæ poſſeſſa, Ducem vero Lotharingiæ, licet alii alia dictitarent, nihil in ea omnia iuris habere & omnia iſta ad Stephanum Verſium deferebant, qui Regem in ea ſententia obfirmabat, adiicientes Carolum Regem, vltimo mortuum, Comitem Prouinciæ, filium Caroli Andegauenſis, Comitem Mainium, nepotem Regis Renati, Ludouico Vndecimo teſtamento omnia reliquiſſe. Rex enim Renatus eum inſtituerat hæredem, prælatum Lotharingo, licet is eſſet ex filia Nepos: Inſuperque affirmabant Regem Renatum hoc feciſſe propter memorata teſtamenta à Carolo Primo, & coniuge eius, Comite Prouinciæ, facta; nec poſſe Regnum & Prouinciam ſeparari, aut ad muliebrem ſucceſſionem peruenire, quamdiu de virili linea ſupereſſent: Par etiam teſtamentum feciſſe primos horum ſucceſſores, vt fuit Carolus Secundus, in Regno. Iiſdem quatuor annis labentibus, qui Regem moderabantur, (Dux nimirum Borbonius, eiusque coniux, & Cubiculariorum vnus, Baro Grauillius, cum ſociis, penes enim hoc genus tum in Regem Regnum erat) in Aulam Lotharingum accerſierunt, auctoritatis ſuæ gratia: Erat enim magnanimus atque audax vltra Aulicorum mores, Princeps, rationem ducentes, facile ſe eum cum lubuiſſet ſepoſituros: quod & fece-

runt cum ſatis ſibi ſtabiliiſſe res ſuas viderentur, infractis Aureliani ducis aliorumque, qui ipſis obnitebantur, viribus. Præterea neque detinere iam vltra poterant Lotharingum, niſi vt redderent poſtulanti Prouinciam, quatuor iis annis præteritis, aut certum illi reſtituendæ tempus præſtituerent, idque datis in fidem litteris, triginta ſex illis Francorum millibus nihilominus præſtandis. In quas res cum conuenire non poſſent, Dux indignatus Aula diſceſſit. Quatuor aut quinque menſibus ante huius diſceſſum, bona illi ſe fortuna obtulit, ſi intelligere eam potuiſſet. Totum Neapolitanum Regnum in Regem Ferrandum rebellabat, ob immanem ipſius & liberorum tyrannidem, Proceribus vniuerſis & Tribus Statibus Pontifici ſe ſubmittentibus. Ferrandus tamen Florentinorum auxilio fultus acriter iis inſtabat. Quapropter Pontifex & dicti Proceres inuitabant Lotharingum vt Regnum ipſe capeſſeret, nauibus ad id paratis longo eum tempore Genuæ Duce Cardinali Sancti-Petri-ad-Vincula, dum tumultibus & diſceptationibus aulicis vacaret, & ad ipſum diſcedendi inde tempus, exſpectantibus: Adhæc ſinguli Proceres Neapolitani apud eum inſtabant per legatos, vt profectionem accelerarét. Rex cum Conſiſtorio Regni noſter per omnia ipſi auxilio futuros oſtendebant, promiſſis ſexaginta Francorum millibus: quorum viginti iam dinumeratis, reliquum ſocordia perdidit; quin & centum Equites, quam à Rege præfecturam habebat, illuc vt duceret, legatosque quo & quos vellet, mitteret, fuerat conceſſum. Rex iam decimum nonum annum tranſierat, ab iis quos nominaui educatus, à quibus quotidie audiebat ad ipſum ſpectare Regnum Neapolitanum. Repeto hæc volens, vt ſciatur humiles homines ſæpe magnas ſerere lites, vt hoc negotio factum intellexi ex nonnullis Regis Legatis, qui Romam, Florentiam, Genuam, & aliorſum Lo-
tharingi

tharingi in rem mittebantur, ſed & à Duce ipſo Moulinium tranſeunte, quo loco ego tum degebam ob Aulicas controuerſias cum Iohanne Borboniæ Duce. Eo tempore propter ineptam dilationem, iam negotium huius Principis dimidium velut perierat; Venienti ipſe obuiam profectus ſum, licet nulla fide obſtrictus, & inciuilibus ſtultisque verbis adfuiſſet mihi aula ſubmouendo. Excepit me exquiſita hilaritate, magnopere queſtus de iis qui ad clauum Regni ſederent; inde Lugdunum profectus eſt, duobus diebus cum Borbonio tranſactis. Ad ſummam, omnes amici eius deficiebant exſpectando morantem, vt ad extremum Pontifex rem componeret Neapolitanam, vt & Proceres Regni; hi compoſitioni fidem habentes, rediere Neapolim, vbi omnes comprehenſi ſunt, licet Pontifex, Veneti, Rex Hiſpaniæ, & Florentini ſubſcripſiſſent ſeruandæ pacificationi, data iurataque fide ſecure veniendi & recedendi. Elapſus tamen Princeps Salernitanus, & ad nos profectus eſt, nequaquam dictæ compoſitioni ſubeſſe volens, vt qui Ferrandi perfidiam noſſet. Lotharingus vero cum magno pudore ad ſuos rediit, neque vmquam poſt apud Regem noſtrum vlla auctoritate fuit, amiſſo Centurionatu, & pecuniæ reditu, quam nomine Prouinciæ habuerat. Eo ſtatu nunc quoque eſt, cum hæc ego litteris mando, Anno Christiano Milleſimo, Quadringenteſimo, Nonageſimo Septimo.

CAPVT III.

Vt Princeps Salernitanus, ex Regno Neapolitano, in Galliam venerit, atque Ludouicus Sfortia, cognomento Maurus, cum eo tentauerint Regi perſuadere vt bellum Neapolitano, productis cauſſis, inferret.

Prin-

PRinceps Salernitanus Venetias sese contulit, cuius Reipublicæ Senatus ei fauebat, cum tribus nepotibus suis, filiis Principis Bisigniani, consulturus dictum Senatum (vt ipse mihi retulit) quo potissimum sese conferrent, Ad Lotharingum, in Galliam, aut ad Hispaniæ Regem. Responsum est ipsi Lotharingum pro mortuo habendum, qui nequaquam ipsis opitulari posset, Regem Hispaniæ nimis potentem fore si Neapolitano potiretur cum Siciliæ regno, quæque alia iuxta Venetorum ditiones essent, iam dum mari prævalidum: suam esse opinionem in Gallias vti proficiscantur, quia cum Regibus ante eorum, qui idem Regnum obtinuissent, bonam amicitiam vicinitatemque coluissent; credo, quod non possent coniicere superuentura, quæ mox acciderunt, hæc eos suasisse. Sic dicti Barones in Galliam venerunt, bene à Rege excepti, sed nullis opibus adiuti. Magna diligentia ad duos annos res Neapolitanas promouere studuerunt, prorsus ad Stephanum Versium, Seneschallum tum Beaucairiæ Regisque Cubicularium, omnia referentes. Hoc die in spe viuebant, altero in metu, neque desistebant in Italia omnia quæ possent eodem procurare, præsertim Mediolani, vbi Dux erat Iohannes Galeatius, non ille magnus qui Ticini sepultus est apud Carthusianos, sed filius Galeatii & Bonnæ, Sabaudiæ Principe natæ, homo non admodum acuti ingenii. Hæc mulier tutrix erat liberorum suorum vidiq; eam cum summa auctoritate esset, vidua, cum vero gubernabat negotia eius Cico quidam Secretarius, in ea familia multos annos alitus, qui expulerat omnes Galeatii Ducis fratres, vt ei mulieri cum sobole consuleret. Inter expulsos fuerat quidam nomine Ludouicus, post Dux Mediolanensis, quem illa post reuocauit, cum hostis & contra ipsam bello interesset, cum Roberto Sanseuerino, strenuo & fortissimo Militum duce, quem eiusdem secretarii

tarii ope eiecerat. Ad finem interuentu adolescentis cuiusdam, carpendis ferculis præfecto, Ferrariæ oriundi, familia admodum humili, Antonii Thesinii nomine, per stultitiam suam eosdem reuocauit, fidem habens iurantibus neque Ciconi illi neque ipsi nocituros. Sed Tertio post die hominem comprehenderunt, dolioque inclusum per mediam vrbem deuexerunt, quod quandam Vicecomitum agnatam in matrimonio haberet; Rumor est si in ciuitate fuisset, non fuisse ausos eum capere; & sic rem Ludouicus ordinauit vt Sanseuerino eo in statu obuiam veniret, qui mirifice Ciconem oderat; itaque in Ticinensi arce carceri mancipatus est, vbi post interiit. Ipsam Bonnam, vt ei videbatur, summam in dignitatem collocarunt, bonis eam verbis delinientes, ipsi autem concludebant quæ vellent, quæ luberet fœminæ inde indicantes, neque melius eam demereri poterant, quam vt nihil ad eam referrent. Dicto Thesinio permittebant vt quæ vellet donaret, eique iuxta cubiculum ipsius hospitium parabant, qui & pone se in equo sedentem ducebat sæpius per vrbem, omnisque aula festiuis conuiuiis & choreis personabat: sed non diu ea vita durauit, nec dimidium quidem annum. Thesinio mulier infinita benefecit, neque veniebant vndecunque litteræ, nisi vt ei resignandæ traderentur. Vnde ingens inuidia prodiit, volente Ludouico, filiorum Bonnæ auunculo, qui iampridem se Principem facere moliebatur, quod & effecit postea. Quodam mane subduxerunt mulieri filium vtrumque, & incluserunt eos arcis Mediolanensis parti quam Roccam appellabant, in eam rem consentientibus Ludouico, Roberto Sanseuerino, Palleuicinio, præfecto pueri principis, & Capitaneo dictæ Roccæ, qui à morte Galeacii numquam eo præsidio excesserat, neque excessit longo post tempore, donec dolis Ludouici & stultitia Ducis, maternum ingenium habentis,

captus

captus est. Cum in potestate pueros conspirati eo loco haberent, manum thesauro iniecerunt, qui totius Christiani tum orbis nobilissimus erat, fingentes mulieri rationes inde reddituros. Tres claues claustris eum munientibus fieri curauerant, quarum vna eidem tradita est, sed numquam quicquam pecuniæ mulier vidit inde. Mox tutelæ eam renunciare fecerunt, quam Ludouicus capessebat, insuper in multa loca litteras mittentes, præcipue in Galliam, quas vidi, pudendis illam dictis proscindentes ob Antonium Thesinium, cui tamen mali aliud nihil intulere, quam vt aula expellerent, ipsius vitæ & bonis consulente Sanseuerino. Roccam autem duo isti non intrabant vt volebant, Capitaneus enim ibi habebat fratrem suum cum centum quinquaginta stipendiariis militibus, qui custodiebat aditus, cum introirent, nec permittebantur nisi duobus ad summum comites inducere. quomodo non paruum tempus res stetit. Interea dissidium quoddam exortum est inter Ludouicum & Sanseuerinũ, vt fieri assolet, duo n. in regno socii parum constante concordia sunt, mansitq; summa rerum penes Ludouicum, altero ad Venetos militatum proficiscente. Post tamen duo huius filii Mediolanum in clientelam Ludouici reuersi sunt Galeatius nimirum, & Comes Caiazius, voluntate, vt quidã dicunt, patris, aliis contra opinantibus. vt ut id fuerit, certum est à Ludouico magnopere amatos, & ad hunc diem fidelissimos ipsi fuisse. Robertus ipse familia quidem Sanseuerinorum prognatus erat, sed ex filia notha, Italis parum differenter habentibus legitimos, ab tali modo natis. Hæc memoro quod isti affuerint expeditioni in Italiam nostræ promouendæ, tum fauore Principis Salernitani (qui Sanseuerinorum familiæ caput est,) tum aliis de caussis, paullo post memorandis. Ludouicus vero statim demonstrauit potestati suæ stabiliendæ sese omnia facere,

signa-

ſignauit enim pecuniam, altera facie Ducis effigiem præferentem, altera ipſius ſuam, quæ res occultis multorum ſermonibus cauſſam dedit. Dux coniugem duxerat filiam Ducis Calabriæ qui poſt exceſſum Ferrandi Patris Rex fuit Neapolitanus, Alfonſus nomine. Ea fœmina magnanima oppido erat, auctoritatique mariti lubens conſuluiſſet, ſi potuiſſet, ſed ſtultitia eius vndique obſtabat, adeo vt & effutiret quibus non debebat ab vxore ad ſe relata: Pariter longo tempore magna auctoritate fuit Capitaneus Roccæ Mediolanenſis, quam dixi, qui præſidio ſuo numquam excedebat, præcipue increſcentibus ſuſpicionibus, cumq; neceſſe eſſet alterum Principum egredi arce, alterum intus aſſeruabat. Sermoni contrahendo, vno aut altero ante expeditionem noſtrã anno contigit Ludouicum cum altero Principe accedere caſtrum, vt iuramentum huic fidelitatis inibi præſtaretur, vt conſueuerat eumdem ducere. Capitaneus ponte ſublatili demiſſo prodiit, ſtipatus ſuis militibus, vt Duci, de more gentis, oſcularetur manum. Dux vltra pontem paulum remanſerat, vt Capitaneo neceſſe eſſet, vno paſſu ab eodem procedere, quod cum factum eſſet, repente duo Roberti Sanſeuerini filii cum ſtipatoribus eum apprehendunt; Qui in præſidio erant, pontem ſubduxerunt, ſed Ludouicus arrepto fruſto Cerei accenſoque, diris ſe deuouit, niſi arcem traderent priuſquam deflagraret candela, capite omnes mulctaturum. Sic in poteſtatem eius arx venit, quam illico egregie muniit, & ſuis hominibus cuſtodiendam dedit, nihilo ſecus tamen omnibus rebus Ducis nomen prætendens. Capitaneo litem iure mouit, velut Arcem Imperatori prodere voluiſſet, nonnullis Germanis captis, quos dicebat negotium pecunia ſollicitaſſe, quos dimiſit tamen poſt vno Secretariorum ſuorum decollato, quem volebat videri adfuiſſe proditioni. Capitaneum

pitaneum ipſum diu in cuſtodia habitum tandem etiam miſſum fecit, dicens, Bonnam olim conduxiſſe fratrem eius ad ſe, interficiendum cum caſtrum intraret, cui facinori obſtitiſſet iſte, eius ergo nunc ſe vitæ ipſi gratiam facere. Ego vero perſuaſus ſum ſi de inſimulato conatu conſtitiſſet, Imperatori videlicet tradendæ Arcis, qui tamen iure eam vindicare potuiſſe videatur, vt Imperator primum, deinde vt Dux Auſtriæ, quæ familia ſemper in Mediolanenſem Ducatum aliquid iuris prætendit, nequaquam homini parciturum fuiſſe. Si vero tale re vera quippiam contigiſſet, Italia tota vtique commota fuiſſet, Mediolanenſis enim ditio tota momento ſe vertiſſet ad Imperatorem, Huius enim præceſſoribus ibi rerum potientibus, ſingulæ domus dimidium tantum Ducatum præſtabant, poſt tributis crudeliſſime auctis & exactis, Eccleſiaſticis hominibus, Nobilitate, & populo veræ tyrannidi ſubiectis. Hæc non ignorans Ludouicus, Arce obtenta, potentia militiaque omni Principum ſibi ſubiecta, cogitauit vltra procedere. Qui enim Vrbem poſſidet, Ditionem omnem in poteſtate habet, quicquid enim Procerum eſt, intra mœnia habitat, quique alia præſidia & loca tenent, indidem ſunt. Ipſa regione tota non memini pretioſiorem & locupletiorem videre; Nam ſi Princeps eius quingentis in annum Ducatorum millibus contentus eſſe velit, ſubditi erunt ad votum copioſi, & ipſe ſumma ſecuritate regnabit; ſed ſumma hodie aucta eſt ad ſexcenta & quinquaginta millia, vel ipſa ſeptingenta, per ſummam tyrannidem, vt populus nihil magis quam dominum mutare cupiat. Id perſpectum habens Ludouicus, accedentibus quæ dicta ſunt, iamque matrimonio iunctus Filiæ Ducis Ferrariæ, quæ multam ipſi ſobolem pepererat, omni ope nitebatur propoſito ſuo exigendo. Sic in ſocietatem trahere ſtudebat quos poterat, tam per Principatum ipſum

quam

quam extra Italiam. Primo loco cum Venetis fœdus iniit quibus amiciſſimus iam ante erat, etiam contra Socerum ſuum, cui Veneti paullo ante regionem quandam minutam ademerant, Poleſanam nomine: ea fertiliſſima eſt, cincta tota riuis, obtinentque, Veneti ad dimidium vſque milliare prope Ferrariam; duæ inſunt ciuitates, non magnæ, quas vidi, Rouigium videlicet & Labadia. Ferrarienſis amiſerat hæc loca cum Venetis ſolus bellum inferret, eorum vero rebus confuſis auxiliis Alphonſi Calabriæ Ducis, Ludouici iſtius, Florentinorum, Bononienſium & Pontificis ſuperuenientibus, cum cæteri amiſſa recuperaſſent, hoſteſque mulctati etiam argento fuiſſent, Ludouicus rem tamen ita compoſuit vt ille plecteretur hac parte ditionis ſuæ, qui bellum orſus fuerat hortatu ipſius & Ferrandi Regis, cuius filiam Ferrarienſis vxorem habebat. Sic Veneti adhuc dictam regionem tenent, fama ſpargente, ſexaginta ducatorum millibus Ludouico numeratis. Hoc quidem an verum ſit, non poſſim affirmare, Ferrarienſem tamen crediſſe ſcio. Tum nondum filiam huius duxerat Ludouicus, qui Venetorum inde amicitiam mutuam diligenter coluit. Nemo clientum aut cognatorum Ducis Iohannis Galeatii impedimento erat molienti Mediolanenſem ſibi Principatum ſubdere eidem, ſola excepta coniuge Ducis, adoleſcente & ſapiente fœmina, Sic anno M. CCCC. XCIII. orſus eſt ad Carolum Octauum, noſtrum nunc Regem mittere, ad perſuadendam expeditionem Italicam occupando Neapolitano Regno, vt eo modo aduerſarios, qui tum erant Alphonſus Dux Calabriæ, dictæ modo puellæ pater, & Rex Ferrandus, eiuſdem auus, euerteret. Horum enim rebus florentibus ad cupita obtinenda ægre ſe emerſurum videbat, non mediocres enim opes vtriuſque horum Principum erant eo tempore, ipſiq; bellis gerendis aſſueti, & magni animi ab

omnibus (licet contrarium postea eluxerit) æstimati: Ludouicus vero homo astutissimus, sed timidissimus, & trico erat cum metueret, perfidusq; omnino, si qua emolumento suo promissa rumpere posset, quæ affirmo bene gnarus, vt cui ipso multæ res tractandæ fuerint. Anno vero sequente propius sentire fecit adolescentem Regẽ fumos iactantiæ Italicæ, proponens & deducens ipsi ius quod haberet in florentissimum Neapolis Regnũ, quod ascitis idoneis coloribus commendare nouerat. Omnia autem agebat per Stephanum Versium, (qui iam dum Seneschallus Beaucairiæ erat, diuesque, sed nondum quantum volebat) & Brissonetum, locupletem hominem, Stephani amicissimum, & corrogandarum opum apprime gnatum. Priori horum de Principatu quodam acquirendo operam spoponderat, Brissoneto per eumdẽ persuaserat vt Ecclesiasticum ordinem caperet, Cardinalis mox futurus. Vt negotium confieret Legationem peramplam Lutetiam Ludouicus misit eo anno, principe Oratorum Comite Caiazio, maiore natu filiorum Roberti Sanseuerini, de quo dictum est. Hic Lutetiæ offendit Principem Salernitanum, Caput eiusdem familiæ, eidem negotio incumbentem. Cum Caiazio venerant Comes Belleioieusius, & Galeatius, Vicemomes Mediolanensis, omnes eximio comitatu apparatuque conspicui. Publice hi nihil præter visitationes & vsitata verba loquebantur, eratq; prima speciosarũ à Ludouico Legatio, eatenus n. per Secretarium quemdam egerat, vt Nepos ipsius Regis nomine, fidelitate iurata, Genuæ Procurationi admitteretur: Id obtinuit, citraq; rationẽ. Sane poterat hoc illi Rex largiri, vt mitteret quemdam, qui à Duce Galeatio fidem acciperet, cum enim sub matris adhuc tutela esset, ego ab eodem eamdem susceperam in Arce Mediolanensi, nomine Ludouici Vndecimi, cuius Legatione fungebar, expresso ipsius Regis man-

mandato. Tum vero Genua potestati eorũ exemta fuerat à Baptista CampoFulgoso, à quo recuperauerat Ludouicus. Misit ergo cubiculariis quibusdam Regis octo millia Ducatorum, ad obtinendam eam, quam dicunt, inuestituram. Sed ii homines Carolo Regi immanem iniuriam fecerunt, primo enim Genuam ipsius potestati, si voluissent, subdere potuissent; deinde si omnino pecunia accepta transigendum fuisset, prorsus ampliorẽ summam exigere debuissent. Semel enim Galeatius Dux Ludouico per me indidẽ soluit quinquaginta millia, quorum triginta mihi dono dabat Rex, cui Deus sit propitius. Tamen affirmabant consensu Regis eam pecuniam cepisse; Stephanus vero Versius, horum præcipuus, mea opinione, Ludouico hanc gratiam fecit, vt vterq; ad destinatum promtius perueniret. Dictis Legatis Lutetiæ morantibus cum publice generatim locutus esset, Comes Caiazius, priuatim etiam Regem compellauit. Erat ei homini Mediolani magna auctoritas, fratriq; Galeazio etiam maior, præcipue bellica virtute, & apud milites existimatione parta. Sic rem expeditu facilem faciebat; affirmans Mediolanum in Regis potestate futurum, & auxilia pecuniæ & copiarum Ludouicum suffecturum, qui ibi iam omnia posset. Paucis autem post diebus cum ViceComite Galeatio discessit, relicto Comite Carolo Belleioyeusio, vt rem promoueret. Is continuo vestitu Gallico sumto omni diligentia conficiendæ incubuit, multorum animis in eamdem spe sententiam inductis. Rex in Italiam misit Peronem Baschium, (domesticum alumnum familiæ Andegauensis & Iohannis Calabriæ Ducis, eiusdem expeditionis valde cupidum,) ad Innocentium Pontificem, Venetos, & Florentinos. Hi itus reditusque octo menses extraxerunt, de ipsa re, qui conscii erant eius, diuersa loquentibus, nemo tamen opinari poterat Regem ipsum profecturum.

CAPVT IV.

Vt Rex Carolus Galliarum pacem fecerit cum Rege Romanorum & Archiduce Austriæ, remissa ipsis Margarita Flandra, ante quam Neapolim proficisceretur.

HIs pendentibus tractationibus Senliis pacificari cœptum inter Regem nostrum & Archiducem Austriæ, hæredem Burgundicæ familiæ. Et, licet iam in inducias conuentum esset, nouorum odiorum caussa oborta est, Rex enim relicta Maximiliani, Archiducis sorore, admodum adolescentula, duxit filiam Francisci Britanniæ Ducis, vt eam prouinciam sibi stabiliret, quam iam dum, cum ista fierent, integram possidebat præter Rhenium, in qua ciuitate morabatur noua sponsa, sub moderatione Aurasiæ principis, auunculi sui, qui eam desponderat Maximiliano publice cum ordinariis Ceremoniis in Templo, vices sponsi procuratore quodam gerente, idque actum est anno Christiano M. CCCC. XCII. Archiducis nomine & fauore Imperator Fridericus amplissimam legationem misit, vt res commode componeretur; aliam Maximilianus ipse vt & Heluetii, & Comes Palatinus. Omnibus enim videbatur ingens hinc bellum oriturum, & Maximilianum non ferenda iniuria affectum, cui raperetur sua sponsa, & filia, postquam multos annos Galliæ Regina fuisset, remitteretur. Ad summam, res est composita, singuli enim & vniuersi bellis erant delassati, præcipue subditi Philippi Archiducis, qui tam Gallicis quam intestinis bellis & discidiis, tanta tolerauerant, vt fere non essent ferendis pluribus malis. Pax autem in quatuor tantum annos conuenit, vt quietem caperent ii, & Austriis puella sua redderetur; nam & qui hoc nollent non pauci erant, præcipue Regis familiarium, & ipsius. Pacificationi ipse adfui

cum

cum ordinariis legatis, videlicet Petro Borboniæ Duce, Principe Auraſio, Cordæo, aliisque illuſtribus viris. Philippo promiſſæ ſunt reddendæ vrbes, quas in Arteſia Rex habebat, vt in nuptialibus tabulis conuenerat, ſi quando coniugio quid interueniret, anno M. CCCC. LXXXII. nimirum vt dotales regiones cum puella ad fratrem reuerterentur. Sed iam aſtù receperant Auſtriaci Atrebatum, Sanctaudomarumque, vt nihil reſtituendum ſupereſſet præter Hedinum, Ariam, & Betunum, quarum dominium atque reditus ſtatim redditi ſunt, magiſtratusque ab eorum parte immiſſi, Rege arces retinente, & ius præſidiorum iis illocandorum, ad finem vſque dicti quadriennii, quod exibat anno M. CCCC. XCVIII. quo & iſtæ in poteſtatem Archiducis redirent. Hæ nuptiæ an ita ruptæ atque mutatæ ad Eccleſiæ conſenſum & ſtatuta fuerint, neſcio, & in medio veritatem relinquo, quam ſcio Theologorum ſententiis affirmantibus negantibuſque diſceptatam eſſe. Vtcunque ſit, omnes inde fœminæ ſuis in liberis infortunia perpeſſæ ſunt. Regina noſtra quatuor annis tres ordine filios peperit: Vnus vixit ad triennium, quo exceſſit. Cæteri pariter fato functi ſunt. Margarita Auſtria nupſit Hiſpaniæ Principi, ſoli Regnorum & eius & aliorum multorum hæredi. Sed Princeps ipſe primo coniugii anno obiit, Chriſtiano M. CCCC. XCVII. grauida relicta vxore. Hæc enixa eſt poſthumum ſtatim ab exceſſu Patris, qui Regem & Reginam cum vniuerſis Regnis maximis doloribus inuoluit. Rex Romanorum ſtatim ab his permutationibus duxit filiam Galeatii, Mediolanenſium Ducis, conciliatore Ludouico Sfortia. Hoc coniugium Imperii Principibus ſummopere diſplicuit, vt & aliis, Maximiliano amicis, quod ſponſa minime nobilitatis dignæ tanto viro eſſet. Ex parte enim Vicecomitum, vnde nomen habuere Mediolani Duces,

exigua stirpis generositas est, minor à Sfortiarum, vnde prodierat Dux Franciscus. Huic enim Sutor pater fuerat, ciuis oppiduli obscuri, Cotignolæ vocabulo; homo animi magnifici, quem vicit tamen & hoc filius, qui se Ducem Mediolani fecit ope coniugis, Spuriæ Ducis Philippi Mariæ. Hic occupatum Principatum minime instar Tyranni, sed vt legitimus Princeps, possedit, virtute & probitate par nobilissimo cuique suorum temporum. Omnia hæc recenseo vt ostendam quæ secuta sint matrimoniorum horum mutationem, neque scio quæ exhinc indidem immineant.

CAPVT V.

Quomodo Venetias Rex miserit, eis sibi iungendis, priusquam iter Neapolim susciperet, quæque ad id comparata sint eiusdem nomine.

DIctum est quo pacto Comes Caiazius cum cæteris Legatis Lutetia discesserint, plurimæque hinc inde per Italiam negotiationes institutæ sint. Rex noster, vt erat admodum adolescens, summa cura rem gerebat, non tamen conscii erant cōsiliorum præter dictos duos, Versium nimirum & Brissonetum. A Venetis petiit Rex vt opera & consilio adessent: ii responderunt aduentum ipsius gratissimum futurum, ab auxilio autem præstando excusare eos posse Turcæ imminentem violentiam (etsi in pace cum eo viuerent,) & tam Sapienti Principi consilium dare, non esse pudoris ipsorum, futuros tamen potius à partibus Regis, quàm contra quid molituros. Sic putabāt cautissime respondisse, & sane faciebant hoc. Et nunc quoque noui res ipsorum prudentioribus consiliis niti quam vllius alterius Principis aut Reipublicæ per orbem terrarum; Deus tamen ita agit vt numquam non

homi-

hominibus appareat indicia & cautiones eorum nullius operæ esse, vbi ipsi placuerit res ducere. Sic hoc quoque negotium aliter disposuit quam Veneti credere cum omni sua Sapientia possent, non enim eorum erat arbitrari Regem ipsum in Italiam proditurum. Turcæ autem minimo minus metuebant, quicquid contra infervim rent, Imperator n. eius gentis minimi pretii homo erat, sed occasionem habere optimam sperabant de Aragoniis sese vindicandi, quos extreme oderant, tam patrem quã Filium, dicentes eos Turcam inuitasse Scutarium vsque, quod de patre huius qui nunc Imperat sentiebant, Machumete nimirum Othomano, qui pluribus aliis etiam damnis Venetos adflixit. Alphonso Calabriæ Duci plura alia crimina imputabant, inter cætera eum suscitasse bellum quo Ferrariensis eos impetiuerat, quod mirifica vi pecuniæ ipsis stetit, adeo vt euertendos prorsus metuerent, insuper eum misisse certum Venetias hominem dictitantes ad venenandas cisternas vel omnes, vel quas contingere certe posset, plurimæ enim feris obmuniuntur. In ea enim vrbe vix alia aqua quotidianis vsibus suppetit, cum mari tota ambiatur, estque optima eadem, mihi integris octo mensibus prima profectione (nam & alteram addidi) in potum sumta. Princeps tamen ratio non erat hæc, sed quia Arragonii incrementis ipsorum tam in Græcia quam Italia obstabant (vtrinque enim omnia iam oculis præcipiebant vigilantibus,) licet paullo ante nullo prorsus titulo Cypri Regnum occupassent, arbitrabantur emolumento suo casúrum, si Rex Galliæ dictam familiam bello frangeret, quod nequaquam tam cito finiendum putabant, quod inimicorum vim atterere esset, non eos prorsus euertere; necesse vero futurum vt altera partium ipsis Apuliæ nonnullas ciuitates, viciniores eorum freto, traderet, vt au-

 xilia

xilia impetraret, quod & contigit, licet parum defuerit quin calculum male posuerint. Sic autem non poterat culpa ipsis imputari inuitati in Italiam Regis, cum neque opera neque consilio ei accedere voluissent, vti apparebat ex responso Peroni Baschio dato. Anno M. CCCC. XCIV. Rex Lugdunum profectus est his rebus vacaturus, non tamen vt Alpes tramissurum quisquam crederet. Eo ad eum venit Galeazius, frater Caiazii, Sanseuerinus, insigni cum comitatu nomine Ludouici Sfortiæ, cuius erat præfectorum Princeps, afferens arma & magnum lectorum equorum numerum ad hastiludia, equestriaque alia exercitia, quibus factus erat ipse, strenuus & ætate integra miles. Rex eum summo honore & splendide habuit, Equitatusque sui Regni ei insignia muneratus est. Et hoc in Italiam reuerso, mansit tamen cum nostris Belleioieusius, Legatus, negotio promouendo, & iam incipiebant magnæ copiæ conscribi Genuæ, vbi Regis nomine morabatur Baro Vrfeius Galliæ Equitum Magnus Magister, cum aliis. Ad vltimum Rex Viennam Delphinatus profectus est Augusti mensis initio, quo veniebant quotidie nobilitas Genuensis. In eam ciuitatem missus est Ludouicus, Dux Aurelius, nunc Galliarum Rex, iuuenis, & forma conspicuus princeps, sed suis voluptatibus deditus, de quo satis multa dicent hi Commentarii, putabaturque classem mari Neapolim impetituram consilio auxilioque Principum Salernitani & Bisigniani, ducturus. Genuæ quidem paratæ erant quatuordecim naues militares, cum multis aliis quas Galeras & Galeonas vocant, neque minus ibi Regi parebatur quam vel Lutetiæ: Principatui enim Mediolanensi tum suberat ea ciuitas. Sfortiæ gubernato, resistente nemine, præter Alphonsi filiam, Ducis coniugem, quam dixi, Ferdinando eiusdem fœminæ auo iam intermortuo: parum tamen ista poterat,

terat,

terat, cum Rex noster iam videretur expeditioni imminere, & Dux, ipsius maritus, adeo erat stolidus vt quæ ipsi vxor referret, renunciaret Sfortiæ, qui iam etiam tabellarium à puella ad patrem missum proximo flumine mergi iusserat. Classis huius impendium ingens erat, nouique vltra trecenta millia Francorum in eam expensa, neque vllius tamen erat operæ, omni pecunia Regiorum redituum insumta. Ipse Carolus, vt & supra memoraui, neque consilio neque intellectu rerum, nec argento, aliave vlla re necessaria instructus tantam rem aggressus est, & tamen finem eius tenuit, sola gratia diuina adiutus, vt Numen ipsum claro clarius demonstrauit. Non dixerim Regem non fuisse pro ætate satis prudentem, sed erat annorum ad summum viginti duorum, & tum primum nido euolabat: Qui eum moderabantur toto hoc negotio, quos dixi, Stephanus nimirum Versius, & Brissonnetus, nunc Sancti-Mali Cardinalis, ambo humili genere erant, nullius rei experti, vt hoc maiorem potentiam suam Deus ostenderit; Hostes enim nostri ab omnibus prudentissimi, bellicarum rerum peritissimi, prædiuites & idoneis præfectis militibusque instructi habebantur, præterea Regnum quod oppugnatum nos veniebamus, ipsi possidebant. Rex Alphonsus, recens Corona ab Alexandro Pontifice capta, à Florentinis subsidium habebat, & occulte conspirantibus Turcis; Huic erant, filius eximia virtute iuuenis, viginti trium ad summum annorum, Ferdinandus, iam militiæ assuetus, carusque toti regno, fraterque Fridericus, qui post eum Regnauit nostro tempore, prudentia etiam eximia homo. Eorum iste præfectus erat classi Arragoniæ, multo tempore cis Alpes alitus vbi & à te, Viennensium Antistes, sæpe mihi affirmatum ex astris inspectis memini, eum Regno quandoque potiturum; quod cum comperisset, annua de suo eo Regno

mihi quatuor millia Francorum pollicitus es, si exitus faueret: Hæc autem prædictio viginti ipsis annis rem præcessit. Sed, vt ad nostra redeamus, Rex expeditionem accelerauit vrgentibus impense Sfortia, Belleioieusio, & duobus suis ministris iam sæpe nominatis; Brissonetum tamen defecit animus, videntem omnes prudentes cordatosque homines iter hoc dissuadere, pluribusque de caussis, iam enim appetere Augusti mensis exitum, carere ipsos pecunia, & omni necessaria re, stabat itaque solo Versio negotium, Brissonetum per aliquot dies auersante Rege. Qui iis elapsis ad cōmeatum rediit. Sed & Versii iisdem diebus ministrorum quidam mortuus erat, pestilentia, vt ferebatur, vti nec ipse in conspectum Regis venire auderet, quare magnopere turbabatur, cum nemo iam instaret expeditioni. Aderant Borbonius cum vxore, omnibus quibus poterant modis Regem auertere laborantes, à Brissoneto etiam in eam rem compellati, ita vt hodie rupta, denuo cras expeditio concludenda esset. Ad finem rex decreuit profectionem, & ipse inter primos Equum adscendit, paucis comitibus montana expeditius transmissurus. Ego tamen reuocatus etiam tum sum, omnia secus placuisse affirmantibus nonnullis. Eo die mutua sumta sunt à quodam mercatore Mediolanensi, quinquaginta millia Ducatorum; verius autem arbitrer à Sfortia suppeditata fuisse, interuentu sponsorum qui Mercatori nomina sua dabant, inter quos & ego sex millia in me recepi, nullis vsuris præstandis, reliquum summæ in cæteros distributum est. Antea à Trapezitis Genuensibus Soliis centum millia Francorum mutua sumserat Rex, qui quatuor mensibus quatuordecim millia vsuraria peperere; nemine tamen non autumante Regis ministros & expensi & fructuum participes fuisse.

CAPVT

CAPVT VI.

Vt Vienna mouerit Rex Neapolim versus, quidque claßis eius mari sub præfecto Aurelianensium Duce egerit.

REx igitur Vienna profectus est vigesima tertia die Augusti, dicti iam sæpius anni, rectaq; Astam cõtendit. Suzii ad eum venit Galeatius Sanseuerinus, per dispositos equos. Inde Turinũ mouit vbi pretiosum mundum Sabaudæ, filiæ Marchionis Monferratensis viduæ Caroli Ducis, mutuo sumsit, eumque pignori dedit pro duodecim millibus Ducatorum. Paucis inde diebus Casalium venit ad Marchionissam Monferrati, Mulierem ætate & intelligentia florentem. Filia hæc erat Regis Seruiæ, cui Turca ditionem paternam ademerat, ab Imperatore autem Græco, cui agnata erat, forte fortuna seruata istuc matrimonio collocata fuerat: hæc etiam mundum suum nobis præstitit, parique idem summa oppignoratus est: Vnde facile potest videri quale hoc initium belli fuerit exitu mactandum, nisi diuina opis interuenisset. Aliquot dies Astæ Rex moratus est; Eo autem autumno omnis per Italiam vindemia inacuerat, quæ res nostros ægre oppido habebat, vt & calor cœli intensior. Eodem ad nos venit Sfortia cum vxore, egregioque comitatu, duosque commoratus dies Nomium regressus est, castrum Mediolanensi Principatui subditum, vno Asta milliari distans, & quotidie consiliatum eodem à nobis mittebatur. Alphonso Regi duo erant parati exercitus. Alter in Romania, quam vocant, prope Ferrariam, quem ducebat Filius ipsius cum Virgilio Vrsino, Comite Petiliano, & Iohanne Iacobo Triuultio, qui nunc nostrorum est hominum. His à Carolo opponebatur Aubinius, prudens militiæ strenuusque Dux, comitatus ducentis circiter Cataphractis: erant ibidem alii quingenti paris armaturæ Regi nostro merẽtes,

Duce Comite Caiazio, res Ludouici Sfortiæ gerente, magnopere metuentis, ne istud agmen profligaretur, sic enim nos reuersi certo fuissemus, & ipsi incubuisset omnis hostium potentia, quibus intra Mediolani Principatum occulte multi studebant. Alter Exercitus Alphonsi classi inerat, quam ducebat frater ipsius Fridericus ad Liburnum & Pisas, Florentinis ab iis adhuc stantibus, certo numero nauium, quas Galeras vocant. Huic aderat Brito Fliscius, cum aliis Genuensibus, cuius ope sperabant eam vrbem ad ipsorum partes duci posse, minimoque stetit ne id efficeretur Speciæ & Rapali, prope ipsam Genuam, vbi exposuerunt mille milites de suis; & vi vtique effecissent propositum, nisi illico nostri eos adorti fuissent. Sed vel eo vel sequenti die appulit eodem Dux Aurelius cum triremibus & aliarum nauium classe, ingentique Nauigio vno (quales Galeacas vocant) quod meum erat, gubernatore rectum Alberto Melio, vehebatque ipsum ducem cum Proceribus plerisque. Eo in nauigio tormentis ingentibus instructo, ita prope hostes aduecti sunt nostri, vt maiorem eorum partem disiicerent, quippe magna vis erat tormentorum, nec illi hactenus talem machinam viderant, vt & cæteri Italiæ incolæ. Eo effecto miles terræ impositus est, vbi iis terrestri itinere sese iunxerunt Heluetii nonnulli, Genua venientes, Balliuo Diuionensi Duce, vt & nonnulli stipendiariorum Sfortiæ, fratre dicti Britonis Ioanne Ludouico Fliscio, cum Ioanne Adornio, ductoribus: Hi conflictui non adfuerunt, alioquin tamen egregie officio suo custodiendis limitibus, functi. Ad summam nostris adorientibus in fugam hostes, centum aut viginti amplius interemtis, decem captis, interque hos Furgusinio, Cardinalis Genuensis filio, compulsi sunt. Qui effugerunt vestibus ad lineum vsque indusium à Sfortianis spoliati sunt, more gentili, nulloque

vltra

vltra malo afflicti. Visæ sunt mihi omnes litteræ quæ citra vltraque inter Regem & Sfortiam missæ sunt super his rebus. Sic classis hostium semel propulsa, numquam post prope nostros accessit. Ad regressum Genuenses tumultuati sunt in seditionem, & intra mœnia nonnullos Germanos peremerunt, nonnullis vicissim amissis, res tamen fuit cõposita. Mentio in his rebus Florentinorum non omittenda est, hi ante profectionẽ ad Regẽ in Galliam miserant ad occulte consentiendum ipsi, idque geminata vice. Altera vice tractandæ cum iis rei adfui, comitatis Versio & Brissoneto, præsentibusque Episcopo Aretino, & Petro quopiam Soderino. Ab iis postulatum est solum vt transitum Regi concederent, & centum Cataphractos Italicis stipendiis (annuo decem millium Ducatorum sumtu) præberent. Loquebantur legati ex Imperio Petri Medicis iuuenis parum prudentis, Laurentio patre nati, qui dum vixerat accensitus fuerat sapientissimis temporum viris, gubernaratque instar Principis ciuitatem. Hoc quidem cedebatur & filio, iam enim duorum hominum ætates ita Florentini exegerant, Laurentii nimirum istius, & Cosmi Medicum, quorum hic princeps caputque familiæ fuit, dignus adnumerari illustrissimis viris; & sane suis in rebus, mercaturam enim exercebat, eousque prouectus est, vt neminem eousque paris conditionis vmquam putem. Quippe institores quoque huius familiæ tanta fide fuerunt ad Patronorum suorum nomen, vt miraculorum instar habeant quæ ego vidi in Flandria & Anglia. Inter eos vnum noui Gerardum Quanuesium prope solum in caussa fuisse Edoardi regis restituti. Anglia enim in bella diremta iste dicto Regi diuersis vicibus præstitit centum & viginti millia Coronatorum mutua, parum quidem inde lucratus Domino suo, pecunia tamen paullatim recepta. Alium vidi Thomam Portunaium, fideiussorem

ſorem interceſſiſſe Carolo & Edoardo, pro quinquaginta eiuſdem monetæ, & eodem alia vice loco, octoginta aliis millibus. Non laudo ego mercatores ita res adminiſtrantibus, placet autem ſapientia Principum qui iiſdem hoc fine fauere & fidem ſeruare norunt, non enim ſciunt quo tempore eorum ope ſint indigituri, Nam ſæpe exigua pecuniæ vis magnarum rerum momenta confecit. Videbatur hæc familia fato admoueri caſui, vt ſolent Imperia & Regna, & auctoritas maiorum nocebat Petro iſti, quamlibet Coſmi qui primus præpotentium Medicæorum fuerat potentia ſuauis & clemens fuerit, qualem eſſe decebat in libera Ciuitate. Laurentius, Petri pater, de quo nunc ſermo eſt, ob diſcidium, de quo ſupra locuti ſumus, quod cum Piſanis aliisque habuit, cuiusq; gratia multi ſunt ſuſpendio interemti, eo tempore corpori cuſtodes viginti expreſſo Senatus mandato, quo ſtare ſolebant omnia, adſciuerat: tamen moderate omnia in ſumma auctoritate agebat, vt vir temporum cum prudentiſſimis: Filius autem iure hoc ſibi deberi arbitrabatur, cupiebatque metui, ob hos ſtipatores, noctu auſus violenter multa facere contra mores vſumq; & dignitatem ſuam, abutens publicis reditibus; quod pater etiam fecerat, ſed ea ſapientia vt non inuita pateretur ciuitas. Secundo is Petrus Lugdunum miſit Petrum Caponium aliosq;, ad Regem: Excuſatio icti fœderis cum Alphonſo erat, quod Ludouicus Vndecimus Florentinos iuſſerit cum Rege Ferdinando conuenire, tempore Iohannis Andium Ducis, ſua confœderatione relicta, adiiciens ex quo Regis eius præcepto dictum fœdus eſſent amplexi, aliquot adhuc annis conſtiturum, non poſſe renunciare Aragoniorum amicitiæ, ſed ſi Rex eouſque proceſſurus ſit, ipſi omnia neceſſaria præſtituros. Non magis enim Florentini iſti quam Veneti, de quibus ſupra, autumare poterant, Regem eo venturum. Vtrique huic Legationi ad-

ni ad-

ni adfuerunt inimici quidam Medicææ familiæ, præcipue posteriori hic Caponius, qui sæpius monebat quid agendum esset vt Florentia contra Petrum commoueretur, suamque expeditionem difficiliorem, quam erat, faciebat; huiusdemque consilium fuit omnes Florentinos Galliis edicto publico eiiciendos esse, quod & factum est. Hoc memoro vt melius sequentia intelligantur, Rex enim in extremo Petri Medicis odio permansit, & Stephanus Versius cum Brissoneto clam amicissimi erant eiusdem aduersariis in ipsa ciuitate degentibus, præcipue Caponio isti, cum duobus de propria ipsi sua Medicæorum familia.

CAPVT VII.

Quomodo Rex, Astæ subsistens decreuerit iter Neapolim, vrgente Ludouico Sfortia, vtq; Philippus Cominæus Legatus fuerit Venetias missus, deque morte Mediolanensium Ducis, à qua Principatum occuparit Ludouicus, spreto defuncti filio.

Recensui quæ mari ad Rapulum gesta sunt. Fridericus Pisas rediit exinde & Liburnum, neq; rationem postea habuit peditũ, quos in terrã exposuerat, vnde Florentini ipsi valde succensuerunt, alioquin proniores in Gallicas partes quam Arragoniorum, vt semper. Nostræ copiæ quæ in Romania erant, licet quam hostium longe tenuiores, hoc tamẽ successu animabantur, & Ferrandus Calabriæ Dux, paullatim recedere incipiebat, quod Rex animaduertens decreuit vrgere Fortunam, instigantibus maxime Ludouico & aliis, Ipse Sfortia primũ aduenientem hortatus est: Rex, inquit, ne habeas dubium expeditionis huius euentum. Italia tota tribus, quas nostri homines æstiment, constat Potestatibus: harũ vna, Mediolanum puta, vestri arbitrii est, altera, Venetias puta, nihil

nihil contra molietur, Sic præter Neapolim tertiam nihil restat, cum præcessorum vestrorum fuerint, qui iunctos nos perculerint. Si mihi fidem dabis, mutua ope maior Carolo Magno euades, & nullo negotio Turcam Constantinopolitano Imperio eiiciemus, Neapoli prius occupata. De Turcarũ Imperatore nunc regnante non male locutũ existimo, sed res à nostra parte omnino prudentius fuerant disponendæ. Sic Rex omni cura negotio præsenti ad arbitrium & consilium Sfortiæ incubuit, non sine inuidia nostrorum hominum, inter quos cubicularius quidam Regis cum nescio quo alio satis incaute agebant, cum nullo modo viri ope carere tum possemus: Fiebant autem hæc in gratiam Aureliani, qui & ipse in Mediolani Principatum ius quoddam præferebat; omnium autem maxime Ludouico aduersabatur Brissonetus iam se mirifice magnum faciens, orto quodam inter ipsum & Versium discidio, Ludouicus re comperta Regi nonnihil inde retulit, ne Brissonetus cum nostris progrederetur, monens: Quod iste edoctus iam non clam contra Ludouicum loquebatur, dicens, dolis ab eo Regem Duci, & in fine prorsus deceptum iri. Melius certe eo tempore tacuisset, sed homo numquam rebus præfuerat alicuius momenti, nec capiebat quidem tale quid, & male imperabat linguæ, licet beneuolentia in Principem suum nulli cederet. Itaque conclusum est Legatos Venetias mittendos, interque eos me: Iter aliquot dies moratus est Regis morbus, non sine mortis periculo papulis miscente se febri, sed malum non vltra octiduum stetit, quo elapso Astæ eum relinquens profectus sum, minime credens vltra profecturum. Sexto die Venetias veni cum mulabus & impedimentis, pulcerrimo & amœnissimo itinere, non sine timore suscepto instans, veritus ne regrederentur nostri in Galliam, sed Deus aliter res ordinarat. Ticinum recta trans-

transiens, Casale ad loci Dominam Marchionissam (quam vocant) veni, Principem probam nostrisque rebus apprime fauentem, inimicissimam Ludouico, qui & ipsam extreme oderat. Cum Ticinum Rex venisset, iam suspiciones erumpebant. Hospitium non in Arce, sed in oppido ei assignatum est; sed renuit hoc, &, quia nunciabantur res non sine periculo esse, auctis custodiis corporis in Arcem se recepit. Ludouico ea res non placuit, Regemque rogauit, an qua de caussa ipsum suspectum haberet. Res omnes ita conciliatæ erant vt minime durabilis videretur amicitia, sed nostri incautius loquebantur, non quidem ipse Rex, sed familiares agnatique eius. In arce hac erat Mediolani Dux, de quo supra locuti sumus, Iohannes Galeatius cum coniuge, Alfonsi Regis filia, oppido tristi ob morbum mariti. Ludouicus eum velut custodia ibi attinebat cum filio, nunc quoque superstite, tum annorum, puto, quinque, & vna alteraque filiola. Transii ego illac triduo ante Regem, sed non licuit inuisere, vehementer ægrotare omnibus ferentibus. Rex tamen eum allocutus est, erant enim sanguine iuncti, mihique retulit sermonem, nil vltra communia & sollemnia verba continentem, omni enim modo Ludouicum offendere cauebat, licet adiiceret voluisse eum discriminum suorum admonere. Eodem tempore supplex coram Ludouico procidit in genua Ducis coniux, pro patre & fratre rogans; respondit is, non posse iam cœpta mutari: Suo vero & mariti nomine maiores caussas habuisset hominem interpellandi; erat specie & ætate adhuc amabilis fœmina. Rex inde Placentiam profectus est, vbi nunciatum Ludouico, nepotem iam mori: Itaque Rege relicto rediit Ticinum, reditum stipulatus: Priusquam appelleret, decessit Dux, quare raptim Mediolanum iuit. Mihi res indicata est ostensis litteris Legati Veneti qui cum Ludouico erat, Venetias missis, qui

ſuos monebat,ipſum iam occupare Principatum : quæ res profecto nec Duci nec Senatui eius Vrbis placebat, à quibus interrogabat , num hæredem Rex non eſſet tuiturus? Licet res non eſſet iniuſta. ambiguam tamen feci,ob ea quæ cum Sfortia agenda intercederent. Sic Principem ſe fecit,quæ,multorum ſermone, vnica fuerat cauſſa,nobis emouendis, quin & mors Nepotis non occulte homini imputabatur , qua re comperta Ducis agnati atque amici per Italiam iam in eo erant vt Gubernationem ei excuterent,quod vtique citra Regis ſuperuentum feciſſent,iam enim, vt dictum, copiæ eorum in Romania erant , vnde à Caiazio & Aubignio repulſi ſunt. Aubignio erant ad ducenti Cataphracti Galli cum non paucis Heluetiis, quos declinans Ferrandus retro ad partium ſuarum ſtudioſos cedebat , dimidiæ diei itinere noſtros præcedens Forlium verſus, quod oppidum tenebat Notha quædam Mediolanenſis familiæ Hieronymi Comitis , qui nepos fuerat Pontificis Sixti, vidua. Dicebatur hæc hoſtibus fauere, ſed noſtri præſidium ei quoddam eripuere,dimidio die oppugnatum, quapropter ad nos tranſiit,alioquin prona , vt vndique tum Itala plebs nouas res ſpectabat,animata Regis ſucceſſibus:Videbãt enim quæ hactenus nõ viderant, Tormentorum enim notitiam vix vllam habuerant,quorum per Galliam vſus tum florentiſſimus erat.Fernandus hoc comperto Ceſenam ad Regni limites ſe retulit, quæ in Anconitana Prouincia Pontifici paret non contemnenda ciuitas , plebs autem quos de exercitu eius ſolos adipiſci poterat, omnibus rebus ſpoliabat, per totam enim Italiam omnia in rebellionem tumebant modo Regis res conſultius adminiſtratæ,& ab iniuriis incolarum milites cohibiti fuiſſent:Sed omnia noſtra ex parte contra erãt meo ſummo mœrore ob gloriam & emolumentum toti Gallorum nomini hac expeditione,citra talia impedimenta,

dimenta, parabili: Quocunque enim veniebamus à vulgo hominũ pro diuinitus missis habebamur, adeo fidem & probitatem nobis accredebant; quam tamen opinionem breui posuere tam malis nostris moribus quam inconsultis consiliis; quibus accedebant inimici, omnibus triuiis declamantes rapere & ferre nos quæ possemus barbare omnia, muliebrique sexui nullam violentiam abstinere. Penes Italos non alio poterant nos crimine exosiores facere, est enim tenax suarum rerum & Zelotypa cum primis natio: Quo ad fœminas, mentiebantur isti, reliquum non prorsus negauerim.

CAPVT VII.

Vt Petrus Medices potiora quatuor Florentinorum præsidia Regi tradiderit, quorum Pisas vnum Rex pristinæ suæ libertati restituit.

REgem Placentiæ sermo noster reliquit, qui Iusta ibi faciebat cognato suo, Mediolani Duci, credo nihil quod ageret aliud habens cum recens-Princeps Ludouicus abesset. Narratum est mihi exercitum ad reditum ex eo loco consilia contulisse, timore nouo accedente rerũ necessariarũ defectui. Qui primo expeditionẽ amplexi fuerant, tum vituperabant, inter quos Vrfeius, Magister Equitum Galliæ, Genuæ ægrotans. Ab eo enim aderant litteræ, magnopere augentes conceptas suspiciones, monitis, vt dicebant, amicorum. Verum, vt sæpius iam dictum Deus ostendebat se totius rei Ducẽ: & subito superuenere nuntii Mediolanensẽ redire, & Florentinos ad nos spectare, odio Petri Medicis qui pro Principi in ea ciuitate agebat, agnatorum suorum, aliarumque illustrium familiarum, inter quos erant Nerlii, Soderini, Caponi, & tota pœne vrbs reliqua, magna inuidia.

Huius gratia discessit Placentia. Rex discessit oppida eius ditionis,& pagos vel occupaturus, vel in clientelas suas redacturus, vt cœptam iam hyemem ibi hospitaretur. Aduenienti plurima se ei dedidere oppidula, vt & Luca Vrbs, Florentinorum hostis; quæ Regi omnia officia præstabant. Sfortiæ consilia omnia huc tendebant, ne eo tempore anni Rex vltra procederet, sed hibernaret iis locis, occupatis ciuitatibus, Pisis, Serzana, & Petrasancta, quarum illam aliis caussis posteriores duas suæ potestati subdere volebat, quod ante paullum temporis Genuensibus à Florentinis, auspiciis Laurentii Medicis, fuissent ereptæ. Rex Serzanam obsessum per Pontremum, Sforciæ oppidum mouit. Serzana fortalitium est firmissimum omnium quæ Florentinis parent, tum propter discidia ciuilia, male rebus necessariis instructum, præterquam quod in veritate rei inuiti contra nos erant, vt omni eatenus tempore veri amici clientesque Galliæ Regum, tam ob mercaturæ respectu, quam ingenti emolumento suo in Regno exercent, quam quod ex partibus Guelforum semper steterint. Serzana, si, vt debebat, fuisset instructa, copiæ vtique Regis fuissent fractæ, ager enim circum sterilis est montibusque asperis obsessus, magna victualium penuria, cui tum recens nix solita grandior accedebat. Tres solos dies à nostris obsessum est, & ante compositionem in castra adfuit Sfortia, Pontremum transiens, quo loco ciues & milites præsidiarii collisi sunt Germanis, quos Buserius quidam ducebat, & Germanorum aliquot occisi. His rebus etsi præsens non adfuerim, narrarunt tamen mihi Rex, Sfortia, & alii; atque ex hoc conflictu ingentia post mala prouenerunt, vt sequentibus demonstrabitur. Florentiæ nostras res non pauci agebant, & conclusa est ad Regem Legatio quindecim sedecimve hominum, caussantibus plerisque ciuibus nolle tam grandi periculo viuere, vt inimicos

simul

ſimul haberent Regem & Sfortiam (qui Legatum ſuum ordinarium in ea ciuitate habebat,) conſenſitque ei rei Petrus Medices. Sane neque potuiſſet contraire, vt res gerebantur, fuiſſent enim prorſus miſere afflicti, ita parum ſibi conſuluerant, neque ſciebant quid eſſet rei bellum adminiſtrare. Legationis ſumma fuit, Regem Florentiæ benigne excipiendum, vt & aliis Reipublicæ parentibus locis, neque enim ingreſſum vrbis copiis noſtris prohibere volebant, vel eiiciendi Medicis ſola gratia, & ex Regi familiaribus ipſis fauebant, quorum nomina ſæpe memorari principes. Ex altera parte res ſuas curabat Petrus Medices per Trapezitam ſuum Lugdunenſem Laurentium Spinellum, (prudentem ſuarum rerum hominem, & Gallicorum morum non inexpertum, Aulæ tamen noſtræ eiusque mutationum, vix innutritis ipſi ſatis cognitorum, non, vt decebat, gnarum) cum Breſſæo, poſt Sabaudiæ Duce, & Barone Miolanſio, Regis Cubiculario. Cum Petro Medice ſecuti Legationem primam nonnulli ex ciuibus venerunt reſponſuri Regis poſtulatis, præ ſe ferentes omnia perdita eſſe niſi Galli voluntati per omnia parerent, cui vt placerent præ prioribus, ſatagebant. Aduenienti obuiam miſſi ſunt Piemrius Flandria oriundus, & ipſe Cubicularius Regis Briſſonetusque, ſæpe iam nominatus. Poſtularunt hi à Petro deditionem Serzanæ, quam extemplo conſenſit: Adiecerunt vt in vſum Regi cederet Liburnam, Petram Sanctam, Librefactum; quæ omnia illico tradidit, nec conſultis quidem ſociis, qui ſciebant Regi non negandum vt Piſas recreando exercitui, reciperetur, ſed non eo fine id volebant, vt ne redderentur ciuitates, hoc enim omnem in ſe nobis poteſtatem permittere fuiſſet. Qui Petro collocuti ſunt mihi recenſuerunt, vt & aliis non paucis, irriſo homine, obſtupuiſſe, quod tam facile tantas res tam noſtris partibus inſpera-

tas largiretur. Ad summam, Rex intrauit Pisas, legatique Florentiam reuersi sunt, Petrusque domum suam ornari in hospitium Regis fecit, quæ quidem speciosissima & optime instructa omnium erat vmquam à Mercatore aut Vrbis cuiusdam ciue possessarum. Iam de Sfortia dicendum erit. Is iam tum Regem extra Italiam vouebat, consulueratque & tum quoq; consulebat suis rebus, vt dicta oppida ipsi traderentur. Serzanæ & Petræ-Sanctæ nomine Regi instabat mirifice, quæ dicebat pertinere ad Principatum Genuensem. Regi ibidem mutua dedit triginta millia Ducatorum, mihique, & aliis multis, affirmauit promissa sibi fuisse quæ peteret; itaq; extreme iratus à Rege discessit negatis, caussans auocari à suis negotiis, sed Rex eum postinde numquã vidit; reliquit vero qui omnibus nostris consiliis interessent Galeatium Sanseuerinũ, & Carolũ Belleioyesium, quos supra diximus. Cum Pisis Rex esset Galeatius iste instinctu Sfortiæ hospitiũ suum conuocauit primores ciuiũ, quib. suasit vt rebellionem in Florentinos facerent, & à Rege peterent restitui Libertati, sperans hoc modo in Sfortiæ potestatẽ ciuitatem venturam, vt Iohanni ante Galeatio, primo eius nominis Mediolani Principi paruerat. Hic Ioannes tyrannus fuit ferus & crudelis, sed honoratus ab omnibus. Tamen corpus eius defuncti apud Carthusienses Ticini seruatur, ad Viuarium, altiore loco quam summum Templi altare collocatum. Monachi mihi id ostenderunt gradibus subeunti velut per scalas. Reliquię olebant, vt natura fert humanum cadauer, vnus Monachorũ, Biturix natione, mihi eum Sanctum indigitabat; quem tecte percontatus sum, quid ita talem hominem eo titulo insigniret, cum videret circa monumentum picta non paucarũ ciuitatũ insignia, quas nullo iure sibi subiecerat, Equo etiam, cui ipse subiacebat, marmoreo, sublimiore loco quam ipsum esset Altare, collocato. Respondit

ſpondit mihi occulte homo, nos harum regionum incolæ, Sanctos appellamus omneis, qui nobis boni quid faciunt. Conſtruxerat autem is Princeps hoc pulcerrimũ Monaſterium, eius inſtituti ſane, quæ vmquam viderim, longe ornatiſſimum, totum eleganti marmore factum. Galeatius vero Sanſeuerinus omnia ambitioni ſuæ poſtponebat, vt Magnum ſe faceret. Videbatur Sfortia ei non abſentire, cuius notham filiam duxerat, velut legitimum filium promoturus, maturos rebus gerendis liberos nondum haberet. Piſanos truculenter Florentini tractauerant, fere inſtar mancipiorum, iam centeſimum annum iure belli poſſeſſos. Eodem anno Veneti ſubiugauerant Patauium, primo bello terreſtri ſucceſſu, erantque hæ duæ ciuitates eiuſdem velut rei, ab longo vſque tempore inimicæ dominis ſuis antequam ſubderentur, & potentia fere pares. Itaque Galeatii conſilio admiſſo, conſultarunt quid tanti hominis auctoritate fulti agere deberent. Res eum effectum habuit, vt cum in Templum prodiret Rex, agmine facto vtriuſque ſexus vulgus inclamaret eum, Libertatem cum lacrymis per ora manantibus poſtulantes; Eam daret ipſis Rex, eam ſe ſolam cupere. Præcedebat Regis greſſum Rabotius, ſupplicum Libellorum Magiſter, Conſiliariuſque Statuum Delfinatus; is ſiue pollicitationibus inductus, ſiue quid peteretur nec intelligens, conuerſus ad Carolum; ſane miſerabilis res eſt, inquit, iſta; & conuenire vt adnueret poſtulatis, nullum enim vmquam populum tam tyrannice vexatum fuiſſe. Rex, non ſatis capiens quid vocabulum Libertatis ſinu ferret, quique nullo iure ipſis eam dare poterat, (cum neque ipſius eſſet Ciuitas, & recepiſſet eum ſumma ipſius neceſſitate, inſigni amicitiæ documento.) inſuper prorſus recens cognoſcendis Italorum querimoniis, & poteſtate, qua in ſubditos Principes & Reſpublicæ hoc genus vterentur,

Respondit: Se volente futurum, quod cum Rabotius vulgo enarraret, concursum est in Arno amni impositum, pulcerrimi operis, Pontem, dereptusque Leo Columnæ ingenti marmoreæ illocatus, Florentinum imperium significans; eo in profluentem proiecto imposuerunt Regis effigiem saxo, cum gladio in dextera, qui pedibus calcaret Florentinorum insignia, Leone indicata. Post cum Romanorum Rex intraret, idem Regis signo, quod isti Leoni fecerunt, vt est ingenium Italicum fortioribus semper adhærere, quamquam non negem tam dure habitos Pisanos, vt hoc non citra ius egisse dicas.

CAPVT VIII.

Vt Pisis relictis Rex Florentiam profectus sit, deque fuga & euersione Petri Medicis.

PAucos Pisis dies Rex moratus Florentiam profectus est, vbi demonstrata est ei iniuria qua Rempublicam eam affecerat Pisanis reddita Libertate. Quibus rem commisit, excusando ei protulerunt quod neque intellexisset eam tum, neque iam etiam intelligeret; itaque alio modo componendam censuit, vti mox dicemus, vbi prius Petri Medicis fortunam recensuero, vt & initum Regis in dictam vrbem, postquam præsidio sibi Pisas cum aliis creditis suæ potestati locis firmasset. Petrus, post tradita Regi, cum nonnullorum assensu, quæ dixi, oppida Florentiam reuersus est, arbitratus restituenda mox suæ Reipublicæ omnia, quamprimum Pisis Rex discessurus esset, vbi vltra quartum diem non haberet quod ageret. Credibile vero mihi, si totam ibi hyemem exigere voluisset, libentes hospitium fuisse

præ-

præbituros, licet Pisas, exceptis corporibus & ornamentis pecuniaque, ipsa sua vrbe Florentini potiores haberent. Medices cum patriam reuertisset, à nemine non inimico vultu excipiebatur, neque sine caussa, spoliarat enim ciuitatem omnibus fere fortunis & potentia, quicquid centum annis acquisiuerant, præsagis futurorum malorum pectoribus, qua de caussa præcipue, vtcunque semper dissimulauerint, accedente odio in hominem iam dicto, postposita memoria patris auique meritorum, deliberarunt vrbe eum eiicere. Suspicatus quod erat Petrus, licet certi nihil nosset, in Curiam contendit, vt de aduentu Regis patribus iam ad tertium milliare propinquo, referret, stipatus cohorte solita armigerorum. Cum ad portam venisset, pulsare cepit, sed aditus negatus est à Nerliorum quodam (fratres erant plurimi hoc nomine quos cum patre optime noui, ditissimos) dicente non posse nisi solum intromitti, eratque qui hæc dicebat armatus: Illico ab hac domum se repulsa contulit Petrus armaque stipatoribus sociisque distribuit & ipse sumsit, mox deinde Paulo Vrsino (qui stipendium à Florentinis habebat, agnatus Petro per matrem, eiusdem familiæ fœminam, & ipse atque Laurentius Pater ex ea domo aluerant semper aliquos) rem indicauit, paratus vi aduersariis resistere. Sed clamore extemplo per ciuitatem oborto, Libertas publica vox fuit, & vulgus ad arma decurrit, sic bono vsus consilio cum eodem vrbe Medices Vrsino excessit. Erat hæc miserabilis ipsi profectio, potentia enim atque opibus magnis Principibus fuerat par habitus, iam à capite familiæ vsque Cosmo: Sed vno die impulsum Fortuna honore simul bonisque exuit. Eram Venetiis tum, & relatu Legati Florentini omnia cognoscebam, ægre ferens, qui Petrum non tralatitie amaueram; quod si mihi credere aliquando voluisset, nequaquam puto tale infortunium fuisse

ſubiturum : Cum primum enim Venetias veniſſem ſcripſi ad eum monuique ſtuderet pacificare, data enim poteſtas eius erat verbis Verſii & Briſſoneti à Rege, qui contentus libero tranſitu,aut,ad ſummum, Liburno tradito omnia quæ Petro cõmoda fuiſſent, feciſſet. Sed reſpondit mihi arroganter velut irridens per Caponium, quem ſupra memoraui. Legatus Florentinus Senatui Veneto ſequenti die litteras reddidit,quibus continebatur eiectio Medicis,quoniam ſe voluiſſet Principem Vrbis facere, auxilio Arragoniorum & Vrſinorum,cum aliis non paucis inſimulationibus,maximam partem ementitis. Tales enim ſunt vitæ humanæ ſortes, eum qui fugit non ſolum perſecutores inuenire multos,ſed amicos infortunio inimicos ſibi efficere, vt factum eſt huic legato,Paullo Antonio Soderino nomine,prudenti cum primis tum Italiæ. Præcedenti die de Medice mihi locutus fuerat vt Domino ſuo genuino, tum vero hoſtem profitebatur eidem nomine Reipublicæ, cui aderat;de priuato autem ſe nullam faciebat mentionem. Perendie reſciui Venetias aduentare Petrum, Regemque ſplendido apparatu Florentiam intrauiſſe, Legatoque ſcriptum eſt valediceret Venetis & ad ſuos reuerteretur, oportere enim vt ad hunc ventum vela flecteret, ſic oſtenſis mihi litteris,domum ſe retulit. Tertio poſt die adfuit Petrus Medices ſolo domeſtico habitu veſtitus, pallio ſeruuli cuiuſpiam forte oblato cinctus. Veneti eum magna formidine ſuſceperunt ne Regem offenderent ſcilicet, neque poterant honeſte aditum negare;volueruntque ex me reſciſcere quæ Regis eſſet ſententia, interim duos dies extra Vrbem manendum ei fuit. Cupiebam miſeriis hominis opitulari, & à Rege nihil aduerſum ipſum ad me perlatum erat, itaque fugiſſe eum metu populi, non Regis opinari me dixi. Sic intromiſſus eſt, cumque Senatum allocutus fuiſſet,

viſita-

visitatum eum iui. Exceptus est honeste, permissumque cum armis (hoc est gladiis) esse ei & viginti circiter, quos comites habebat. Honorificentissime etiam habuere de cætero, licet ab auo eius quandoque Cosmo impediti fuissent ab occupando Mediolano, familiæ præcipue gratia totum Christianum Orbem summa laude emensæ. Cum in conspectum eius venissem, sane paruit tantæ gloriæ sustinendæ non esse. Recitauit mox omnem rerum suarum fortunam, egoque, vt potui, consolatus sum erexique eum. Inter cætera narrabat omnia sua bona amisisse, præcipuumque Venetiis vnius Institorum suorum scelus, ad quem suo fratrisque nomine miserat postulatum centum Ducatorum pretio pannum, isque negauerat. Indignissima sane perfidia, ob statum auctoritatemque sexaginta totos annos florentissimæ familiæ. Paullo post ipsi scripsit Bressæus, mox Sabaudiæ Dux, vt ad Regem veniret; sed hic iam Florentia discesserat, vt nunc recensebimus, hactenus enim & huius hominis mentio fuit facienda.

CAPVT IX.

Vt Florentiam Rex intrauerit, quasq; alias ciuitates, Romam contendens, transiuerit.

POstridie Florentiã Rex ingressus est, domum ei dicto modo Petrus Medices suam parauerat, iamq; Ballasatius hospitiũ capere venerat, sed intellecto infortunio Dominædii diripere omnia cæpit quæ offenderet, caussatus Trapezitã eius Lugdunensem æs sibi magnũ debere. Inter cætera rapuit Cornu integrum Menocerotis septem millib. Ducatorum æstimatum, cum alterius duabus magnis portionibus, aliisq; insignibus thesauris. Exemplum id multi secuti sunt; in alias Vrbis ædes pretiosam

sam omnem supellectilem transtulerat, quam omnem populus diripuit. Reipublicæ nomine pretiosissimæ gemmæ ablatæ sunt cum viginti millibus Ducatorum præsentibus, quæ in fœnus parata intra ciuitatem habebat, poculisque ex Agate pulcerrime fabrefactis, tantaque signorum, aliarumque gemmis auroque & argento artificiosissime elaboratarum rerum copia, vt supra tria millia numerarentur, qualia alia nec totam cæteram Italiam habuisse monumenta existimo. Pretium damni longe centum millia Coronatorum excessit. Rege vero iam Florentiam recepto de compositione agi cœptum est, gratissima vtique ei Reipublicæ, Dederunt Regi centum & viginti Ducatorum, quinquaginta statim expensis, cæteris millibus ad duos breui spatio præstitutos dies soluendis; omnia dicta loca præstiterunt eidem, mutatis rubri lilii insignibus in colorem Regiorum, à quo in clientelam & tuitionem suscepti sunt, iurauitque conceptis super S. Ioannis altare verbis omnia quæ teneret eorum præsidia quatuor mensibus, postquam Neapoli fuisset, restituturum, quod si in Gallias reuerteretur, citius etiam. Sed alio fine res cecidit, vt post narrabitur. Non diu Florentiæ moratus Senas Rex petiit, receptus illico, post Viterbium, quo loco hostes, Ferrandus enim Romam se contulerat, castra ponere, & firmare ad conflictum exercitum, si vsus postularet, decreuerant, vt comperi ex Legatis Pontificis & Alphonsi Regis, Venetiis degentibus. Pro certo quidem ego habueram Alphonsum ipsum eo venturum, vtpote magnanimitatis celebrem, filio in Regno relicto, videbaturque locus ipsis peropportunus, nam à tergo futuræ erant ditiones Pontificis & Vrsinorum cum Neapolitano agro, itaque obstupefactus eum cum Regis mihi litteræ redderentur, Viterbii esse indicantes; vbi ope Gubernatoris & Cardinalis Petri-ad-Vincula, Colomnesiorumque ipsi

Arx tradita est. Tum prorsus concludebam Deum optato fine velle expeditionem nostram donare, pœnituitq; scripsisse Regi, mea sententia pacificationem bonam, quæ offerebatur ex voto, amplectendam esse. Ante Viterbium cum Aquapendente & Monte flasconio alia ei oppida circumsita tradita sunt, vt Venetorum Regisque epistolæ nunciabant. Venetis in dies vniuersi successus nostrorum, per diuersorum litteras legatorum indicabantur, quas vel Senatus vel secretarii mihi legendas dabant. Inde Romam Rex profectus est per Vrsinorum territorium, quod totum ei Carolus ex ea familia tradidit, præcepto se Patris facere dicens, qui sub Alphonso militabat, insuper habere in mandatis comitari Regem, per vniuersas Pontificis ditiones, more Italorum, nihil magis timentium quam vt cum imbecillioribus deprehendantur, quo neque hostibus quandoque gratificari dubitant. Sic Brachanium, præcipuum Virgilii Vrsini oppidum Rex iniit, bene comiterque exceptus, ipso præsidio bene munito & victui facientibus instructo. Sane pecunia horum laborabant non mediocriter copiæ nostræ, quarum tot incommoda, & voluntatem reuertendi postquam Vienna discesserunt fere continuam, & quomodo oblatis insperatis commodis iter confecerint, si quis spectauerit, non poterit non confiteri diuino omnia ductu peracta esse.

CAPVT X.

Vt Cardinalem S. Petri Ostiam rex miserit, quidque interim Pontifex egerit Romæ, vtque hanc Carolus inuitis omnibus inimicis suis intrauerit.

BRachanio Rex Cardinalem S. Petri-ad-Vincula, Ostiam misit, cuius loci Episcopus erat. Id oppidum Co-

Colomnesii Pontifici ereptum tenebant, qui dictum Cardinalem inde paullo ante eiecerat; habebaturq; magni cum primis momenti, etsi non esset munitum; nam Romam magno iampridē metu continebat, eiusdē Cardinalis opera, præcipui Colōnesiorū amici, quæ familia Cardinalis Ascanii, Vicecancellarii, quem vocant, fratris Mediolani Principis interuentu, vt & odio Vrsinorū, nostrarū erat partiū. Vrsini vero & Colomnesii antiquissimis inimicitiis dissident, vnde quicquid Italiæ Pontifici subditū multis malis expositū est, cum citra hoc incommodum toto mundo non dicas exstare feliciores regiones, quippe neq; incolis tributi quicquam pendentibus, & parentibus semper Principibus sapientibus, & optimis Consiliariis instructis, quales sunt in vniuersum summi Pontifices. Sed discidiis harum familiarum grandia & crebra id territorium discrimina perpetitur. Quatuor proximis annis cædes & exspoliationes inibi plurimas vidimus, post hæc enim Colomnesii aduersariis nostris accesserunt, magna iniquitate, capiebant enim annuam viginti millium Ducatorum pensionem, ampliusque insignium ex Regni Neapolitani locorum prouentibus, vt Comitatu Tagliacosio, qui Vrsinorum fuerat, & aliunde; neque petentibus quidquam negabat Rex, tam copiarum quam redituum: Quod igitur fecere mera fecere inciuilitate & nequitia, nullis nostris iniuriis lacessiti, sed & antiquitus semper Arragoniorum à partibus fuerunt, contra Gallos, scilicet Gibellinæ factioni addicti, vt Vrsini cum Florentinis Guelfæ. Cum dicto Cardinale Ostiam missus est Peronius Baschæus, Aulæ Regiæ Magister, qui triduo ante Carolo viginti millia Ducatorum mari attulerat, Plombino exscendens naui, pecunia autem erat pars à Sfortia præstitæ. Classem penes reliquerat Principem Salernitanum, & Baronem Sernonium, Prouincia oriundum, sed

ſed ea admodum exigua erat, & tempeſtate Sardiniam adacta, nauis prætoria valde fuerat afflicta; quæ damna dum reſarcire nituntur, nullo noſtris vſui fuerunt, expenſis ingentibus fruſtra inſumtis, Regeque iam Neapolim tenente ad nos peruenerunt. Oſtiæ cum Cardinali quingenti circiter Cataphracti erant cum duobus millibus Heluetiorum, Comite Liniaci, cognato Regis à matre, & Barone Alegrio, qui ibi tranſire ſtudebant Tybrim, vt circumcluderent Ferrandum, Romæ degentem, operam adnauantibus Colomneſiis. Horum præcipui tum erant Proſper & Fabritius, cum Cardinali, cui Rex per Baſchæum duo millia militum alebat, quos vbi lubuerat ipſi collegerant Sanneſonium conſcriptos, oppidum ditionis eorum. Notandum eſt hoc loco plura concurrere, quorum de ſingulis aliquid commemorandum erit. Priuſquam Viterbium Rex occuparet Cubiculariorum ſuorum vnum Tremollium Præſidem Guennæum, cuſtodem ſigilli Regii, & Bidautium, Romam miſerat ad Pontificem cum eo tractaturos. Pontifex enim, more Italico, negotio ſeſe miſcebat, vt poterat. His ibi cōmorantibus Ferrandum vrbe idem Pontifex cum omnibus recepit copiis, noſtris excedere prohibitis, quorum minutus erat numerus. Eodem tamen die dimiſſi ſunt, retentis ſaltim Cardinali Aſcanio, & Proſpero Columna, quod quidam ipſis volentibus factum aiunt. Rex mihi illico vt facta erant per litteras indicabat omnia, vt & Venetis legati ipſorum, pluribus verbis. Hæc omnia, vt dixi, facta ſunt priuſquam Viterbium Rex iniret, numquam enim vltra biduum vno loco ſubſiſtebat, rebus quam ſperari potuerat felicius vndique ſuccedentibus, ſcilicet Domino omnium Dominorum negotium curante, vt nemo non agnoſcebat. Hæ Copiæ quæ Oſtiæ interim fuerant, nullo noſtris rebus vſui fuerunt ob inclemen-

clementiam cœli & tempestatem aduersam, adhæc miles quem Aubignius duxerat, domum fuerat reuersus, nullumque ille munus amplius habebat, Italis dimissis quos in Romania duxerant Rodolphus Mantuanus, Galeotus Mirandulanus, & Fracassius, frater Galeatii Sanseuerini: his stipendia bene erant soluta, quingentis à Rege ea capientibus, vt dictum est. Viterbio relicto Nepam Rex peruenit, Ascanii Cardinalis oppidum. Certissimum est dum nostri Ostiæ fuerunt, murum Romæ ad viginti cubitorum spatium corruisse, quo loco intrare debebamus. Pontifex adolescentē hunc Regem tam propere aduenire, tali prosperitate comitatum, videns, assensus est ei Vrbis introitum, quem & defendere non erat eius opis, petiitque pro Fernandi, Ducis Calabriæ, Alphonsi Regis vnici filii, securitate litteras. Sed Fernandus noctu Neapolim profugit, comitante ad portam vsque Romanam Cardinali Ascanio. Carolus armatus Vrbem ingressus est, vt potestatem habens omnia pro lubitu agendi; Obuiam ei processere Multi Cardinales cum Præfectis & Senatoribus Ciuitatis; hospitiumq; sumsit in Palatio Sancti Marci, quod domicilium erat Columnesiorum, tum clientum & amicorum ipsius: Pontifex autem in Arcem Sancti Angeli concessit.

CAPVT XI.

Vt Alphonsus coronari fecerit Ferrandum filium, ipse vero in Siciliam profugerit: deque maleficiis eius & parentis Ferrandi Senioris.

SVpra fidem fere erat Alphonsum Regem adeo superbum bellisque innutritum cum filio & tota Vrsinorum

tum familia, tam potentium in Vrbe, non ausos Romæ subsistere, etiam manifeste videntes Mediolanensem & Venetos iam in nos animi incerti esse: Fœdus enim nouum cudebatur quod tum conclusum fuisset, si Viterbii aut Romæ vel parum fuisset repugnatum, vt constat in rebus agenti mihi, modo Regis aliquot dies sustinendi consilia cepissent. Sed Numen ostendere voluit totum negotium humanam excedere prudentiam. Diximus mœniorum Vrbis partem concidisse, pariter in Arce Sancti Angeli quindecim cubitorum munimenta corruerunt, vt tum aliorum tum duorum Cardinalium prodigio præsentium, relatu comperi. Nunc de Alphonso quædam dicemus. Dux Calabriæ Ferrandus quamprimum Neapolim rediit, Alphonsus pater indignum se sceptro imposterum arbitratus est ob infinita, quæ crudeliter in plures Principes Baronesque egerat. Hos enim fidei Patris ipsiusque se credentes, ad viginti quatuor numero in vincula coniecerat, & mox ab excessu Patris, qui ob bella in Aragoniam domum mota assensus fuerat cõprehendẽdis, omnes interemerat. Adhæc ab eodẽ contra fidem datam custodiæ mancipatos interfecerat Ducem Sessæ, maximæ auctoritatis hominem & Principem Rosanum. Hic in coniugio habebat sororem Ferrandi senioris, & inde pater erat eximii filii; sed summo scelere Regem læserat, dignus atrocissima quaq; pœna, nisi sub fide data aduenisset. Fernandus vero credentem à se pręstitæ in teterrimum & horrendum carcerem coniecit, vt & post filium, sedecim annorum adolescentem; Pater ad triginta quatuor annos inibi fuerat cum Alphonsus Regnum cepit, qui illico ab hoc in minutam quandam Insulam, Neapoli proximam, Iselam nomine, omnes captiuos deportauit, ibique cruciabiliter interemit, paucis demtis quos in castrum Neapolitanum transtulit, interque hos dictum Rosani Principis filium,

cum nobili illo Comite Popolio. Exacte inquisiui quo pacto tam immaniter fuerint peremti, multi enim adhuc ſupereſſe in viuis arbitrabantur cum Carolus occuparet Neapolim, comperiq; intimorum miniſtrorũ relatione, Mauri hominis de Africa miniſterio excarnificatos miſere interiiſſe tot tantæ Nobilitatis viros, quorum nonnulli ad ſeptem luſtra in fœdis carcerib. computruerant. Maurum ipſum à patratis cædib. in Africã mox remiſſum, ne rei indiciũ exſtaret, aiebant. Alphonſo nemo vnquã homo crudelior, atrocior, vitioſior, immanior, & gulæ ventriq; magis deditus fuit. Pater fuerat nocẽtior; non enim erat qui ingenium eius cognoſceret, aut iracundiam poſſet cauere, hilari enim animo capiebat & perdebat homines, vt Comitem Iacobum filium Nicolai Picinini. quem perfide immaniterque occidit, Legati munere fungentem à Franciſco, Mediolani Duce, cuius notham filiam matrimonio habuerat. Dux tamen aſſenſus eſt huic ſceleri, ambo enim metuebant Comitem ob clientelas Braciamorum, qui noti latrones tum fuere per Italiam. Sic Ferrandus cæteros, quos diximus, omnes cepit, neque vnquam clementia aut miſericordia in eo locum habuit, vt agnatis amicisque eius referentibus comperi; vt nec exigendis populo atrociter tributis. Mercaturæ omne genus per Italiam exercebat, vt porcos quoque alendos ſaginandosq; diſtribueret, vnde lucrum caperet, quos ſi mori contingeret, pretium ſoluendum erat. In Apulia, aliisque locis olei feracibus & ipſe & filius mercabantur vt lubebat, neque ſecus frumentum, priuſquam matureſcerent fructus, poſtque reuendebant quam maximi poterant, quod ſi vileſcere annona inciperet, nemini præter eos quicquam diſtrahendi copia erat. Si Magnatum aliquis bonus eſſet Paterfamilias, aut rem quampiã cõparcere ſtudebat, mutuam eam poſtulabant, neganti eripiebant vi. Equorum nobilio-

biliores propagines magna cura iis locis seruatas, subducebant suis commodis, adeo vt plura millia talium alerent per Regnum, tam pullorum, quam admissariorum, quos intrudebant violenter pascuis colonorum ditiorum, magno omnium detrimento. Ambo plurimas matronas virginesque vi corruperunt. Sacris sacrificisque nullum omnino honorem deferebant; Episcopatus vendebant, vt Tarentinum pater tredecim millibus Ducatorum Iudæo, qui filio suo traderet, recens Christianis adscripto. Abbatias dabant Accipitrum curatoribus, sæpe & horum filiis, pacti certum numerum alendarum auium, ministrorumque aucupii, ex annuis reditibus. Ecclesiasticis præceptis ordinata contemnebat Alphonsus omnia, vt nec vetito tempori carnis esu abstineret, nec Confiteretur vmquam peccata, aut Sacrosancta Synaxi vteretur. Ad summa fieri peius nihil poterat quam ambo fecerunt omnia. Ferrandum iuniorem his quoque ingenio deteriore fuisse ferebatur, licet cum moreretur, humilis ciuilisque erga omnes esset, necessitate forte tegente immanitatem naturæ. Iam arbitrari nonnulli lectorum possint domestico quodam priuatoque odio me ista conscribere, sed, tuta fide, nihil horum ago; sed quia pertinere ad seriem commemorationum mearum videntur, vt ab vltimis principiis expeditio hæc cognoscatur, sciantque omnes solius Dei opem nobis adfuisse, qui commiserat adolescenti huic Regi, tam parum omnibus instructo necessariis, castigationem tam prudentium, opulentorum, exercitatorumq; bellicis rebus Regum; quorum tot erant amici, ad quos Regni conseruatio summopere spectabat, tot ipsi sociis instructi, & longe venientem tempestaté prospicere poterant, nec tamen vel resistere vllibi nec rebus suis consulere permittebantur. Excepta enim sola arce Neapolitana, non inuentus est vllus vel homo vel locus

qui vnam modo diem victoriæ Gallicæ cursum attineret, vt vere dixerit Pontifex Alexander, gentem nostram ligneis calcaribus, & cretam ad præsignanda hospitia manu tenētem Italiam peruasisse; isto more noto, lignea autem calcaria dicebat, quod nobilitate nostra per ciuitates equitatura, famuli consueuerint calceis quasdam fistucas aut ascellas indere, quibus concitentur mulæ aut equi. Paucissimis locis armati incessere nostri, & quatuor mensibus nouendecimque diebus Asta Neapolim profectæ copiæ, omnia obuia tenuerunt, itinere vel Legatum ex parte moraturo. Itaque persto in sententia, multis piis probisque hominibus, qui Dei quædam voces sunt, claris eidem verbis adsentientibus decreuisse Dominum nostrum IESVM CHRISTVM coram omnibus, inque oculis gentium exemplum statuere Regibus & Principib. ad præcepta diuina vitam exigendi. Arragonii enim amisere dignitatem & Regnum cum ingentibus opibus & omni diuitiarum genere, adeo vt nec sciri possit quo tanti thesauri peruenerint. Post tres vno anno vita exuti sunt humana, licet de cœlesti desperare nolim. Ferrandus, Magni Alphonsi Nothus, Regis probissimi, sapientissimi, & honoratissimi, magnis ærumnis cor conflictatus est videns ingruere sibi belli huius molem, nec remedium contra vllum: conscientia regerente infinita sua ei & filii maleficia, totam vitam sceleratam, & odia omnium in vtrumque conuersa: erat enim homo valde astu pollens, & prodigio repererat, dum sacellum quoddam deruit (vt ex pluribus familiarissimis ipsi didici) librum inscriptum VERITAS CVM SECRETO SVO CONSILIO; cui inscriptum fuisse aiebant omnem sequentium malorum ordinem, nec præter tres eum homines vidisse, flammis mox abolitum. Accedebat huic ægritudini altera, quod nec Filius Alphonsus, nec Nepos Ferrandus credere vellent Gallicam expeditionem,

tionem, ſed arrogantiſſime & ſummo Regis noſtri contemtu omnia floccifacerent, minabundi & iactantes obuios ipſi ad montes vſque profecturos. Sed fuere contra qui à Deo Omnipotente nihil magis peterent, quam ne vmquam Galliæ aliquis Rex in Italiam veniret, qui viderant modo familiæ Andegauenſis aliquem egenum hominem tot malis omnia afflixiſſe, videlicet Iohannem Ducem, Regis Renati filium. Eadem ſentiens Ferrandus per Legatum Camillum Pandulfum omnia fecerat, vt conſilio itineris Carolum deuerteret, idque toto præcedente id anno. offerens annua quinquaginta in tributum Ducatorum millia, & fidelitatis iuramentum: Cum vero nec ſic quicquam proficere videret neque Mediolanenſem rem componi poſſe, morbum concepit, fatoq; conceſſit, vitæ fine, vt ſperare velim, ſcelera præterita emendans. Alphonſus tam crudelis, terribilis, belliſque induratus, Princeps, priuſquam Roma Rex decederet, Regno renunciauit, tantoque pauore inhorruit, vt continuas noctes vociferari non deſineret ſe Gallos ingruentes audire, ſaxa & arbores iam Gallos vndique inſonare: neque vmquam Neapoli prodire auſus eſt, ſed reducem Roma filium Regno impoſuit, Coronam ei dedit; equoque per ciuitatem, ſociis Proceribus, Friderico Fratre, & Cardinali Genuenſi, vectum, omnibuſque Regiis inſignibus honoribuſque, & Legatorum obſequio inſtructum, proclamari ſollemniter Regem fecit: ipſe ſe præceps mox in fugam coniecit verſus Siciliam cum matre, ſorore Ferrandi Hiſpaniæ regis, nunc etiam ſuperſtitis, hæredisque inſulæ, aliquod ibi præſidium poſſidente. Toti mundo illa res prope incredibilis viſa eſt, præcipue Venetiis, vbi ego tum viuebam. Hi ad Turcam Imperatorem contendere dicebant, alii id agere vt filium amori ſubditorum inſinuaret; ſed eum nemo oderat. Meo autem arbitratu vera vecordia omnia fecit, numquam

enim post homines natos crudelitas cum magnanimitate iuncta fuit, vt Historiæ docent, & Nero cum aliis infinitis tyrannis desperatis rebus perierunt. Alphonso isti tantus fugiēdi ardor fuit vt Nouercæ suæ, relatione præsentium, eo quo discessit die diceret, relicturū se eam nisi maturaret abitum; ipsa vero respondente triduum etiam vnum, vt annum, integrum Neapoli absolueret, restiturā, adiecit, se nisi dimitteretur, fenestris euasurum, iterans consuetas voces circum omnia Galliā insonare; & sic nauim adscenderunt. Deferebat secum vinorum omnia genera (ea enim amplius cæteris rebus dilexerat) seminumq; ad instruendos hortos nulla ratione habita pretiosæ supellectilis aut opum cæterarum, plerisque in Neapolitana arce relictis. Pecunię gemmarumq; aliquid absportauit; Dicto præsidio in Sicilia Messanam se contulit, quo conuocauit secumque duxit plurimos diuersi instituti Monachos, vouens mundana omnia deserturū; præ cæteris Montis-Oliueti, quos dicunt, Ordinem amplexus; Ii monachi albo habitu vtūtur, & Venetiis in suo Cœnobio habent Beatæ Helenæ corpus, mihiq; omnia ista retulerunt: cœpitq; totos dies vitæ sanctiori cum noctium parte impendere. Deo reliquam consecraturus in contubernio dictorum hominum, ieiunando, parceque viuendo & Eleemosynis districtus: Mox superuenere diuersi morbi, vt iidē mihi dixerint nō vidisse miserabilius excruciari quemquam, patientissime vero tulisse omnia, Valentiam Magnam proficisci volentem, vt ibi habitum dicti Instituti caperet: sed aucta vis ęgritudinū breui eum abstulit, animam, vt spero post reditum ad Deum, æternę Saluti tradentem. Secutus patrem filius febrī & dysenteria paullo post periit, vterque commode decedens. Intra enim bienniū Coronati quinque Reges Neapolitani fuere: Tres iam dicti videlicet, Carolus Octauus Galliæ, & Fridericus, Alphonsi frater, qui nunc rerum potitur.

CAPVT

CAPVT XII.

Vt Ferrandus Iunior poſtquam Neapoli Rex Coronatus fuit, caſtra poſuerit ad SanGermanum Carolo reſtiturus, deq; compoſitione huius cum Pontifice dum Romæ eſſet.

FErrandus recepta Regia poteſtate prorſus in nouum velut hominem euaſit, exiſtimans profugientem patrem omnes ſubditorũ odium offenſionesq; abſtuliſſe ſecum, quare quicquid peditũ equitumq; potuit contraxit, & caſtra poſuit ad SanGermanum, quod ad limites regni præſidiũ eſt munitiſſimũ & facile defendi, vbi antea aliquoties irruperant Galli; eo neceſſariis rebus inſtructo rediit animus Aragoniæ familiæ amicis. SanGermanum præfluit amnis quidam modicus, quandoque vado peruius, deſuperq; imminens mons ſitu ipſo communit. Rex interibi Romæ erat ad viginti vſque dies, vbi diuerſa negotia tractabantur; ei aderant octodecim Cardinales aliique hinc inde partium commeantes, inter hos Aſcanius, Vicecancellarius, Frater Ducis Mediolani, & Cardinalis Petri-ad-Vincula, vterque Pontifici inimiciſſimi, inter ſe vero amiciſſimi, Gueſæus, SanDionyſianus, SanSeuerinus, Sabellius, Colomneſius, aliique ſtudentes noua Electione facta Iure ordinario Pontificem dignitate mouere, tum, vt dictum, caſtro ſuo incluſum: Bis tormenta fuere diſpoſita, vt magnatum non pauci mihi retulerunt, oppugnandæ; ſed Rex probitate ſua malum ei auertit. Ipſum caſtrum defendi non poterat, exiguus enim collis eſt, & manufactus, cui inſitum. Adhæc prodigio velut procumbentes muri animum addebant vulgo. Pontificem auro redemtæ Dignitatis Sacræ arguebant, resque ita ſe habebat. Sed Aſcanius inter primos ei præfuerat, magno ſuo lucro, tenebatque aulam omnem Vicecancellarii titulo, eum ſupellectile Pontificia pretioſa & non paucis territorii locis. Inter hos enim duos concertatum fuerat de

fastigio. Mihi persuasum est, ambos in nouum fuisse consensuros, si Rex id egisset, etiam de Gente Gallorum: neque possim decidere bene an secus Rex fecerit, vt videatur tamen optima ratione pacificasse, erat enim ætate adolescens, & inepto ad tam arduum negotium comitatu, quale erat tum Ecclesiastici status reformatio, licet omnia in potestate haberet. Sed si fortuna vti sciuisset omnium prudentium hominum sententiæ consuluisset, qui necessarium tale quid esse videbant, non tamen sine sapientissimo consilio transigendum. Illud certum habeo, Regem cupiuisse, & adhuc, si auxilia adsint, rem aggressurum. Transactum est cum Pontifice compositione minime perstitura, vi enim res agebatur in nonnullis articulis, magnaque iam exspectatio erat noui fœderis de quo post dicemus. Hac pacificatione dissidium inter Pontificem & Cardinales aliosque sublatum esse debebat, reditibus Dignitatis Cardinalibus tam absentibus quam præsentibus præstandis; Regi præstanda erant quatuor loca, Terracina, Ciuitauechia, Viterbium, iam occupatum, & Spoletum; (quorum hoc promissum quidem, sed numquam nostris traditum est) quæ restitueret Neapoli rediens, quod & fecit, licet à Pontifice deceptus. Eadem compositione Regi tradidit fratrem Imperatoris Turcæ, à quo annua habebat sexaginta Ducatorum millia, eo Principe fratrem eximie metuente: Pontifex itidem promisit nulli vrbi ditionis suæ Legatum sine auctoritate Regis immittere, cum aliis transactionis articulis Consistorium Romanum cernentibus; insuper obsidem dedit filium suum, Cardinalem Valentiæ, Legati vice apud Regem fungentem. Rex contra omne filiale obsequium Pontifici, quale vmquam tanti fastigii princeps, præstitit. Ei duos fecit Pontifex Cardinales, Brissonetum, qui iam Episcopus San mali erat, sæpe hactenus memoratus, & Antistitem Ceno-

manen-

manensem ex familia Luxemburgica, in Gallia tum degentem.

CAPVT XIII.

Vt Neapolim Roma rex profectus sit, quæque interim per Regnum Neapolitanum euenerint, quasq; eo itinere ciuitates transierit.

HIs effectis Roma rex discessit, vt videbatur, Pontificem relinquens amicissimum. Octo vero Cardinales indidem abiere male contenti ea pacificatione, quorum sex erant partium dictorum Vicecancellarii & Petri-ad-Vincula, licet rumor esset Ascanium animo fauere Pontifici, diuersum autem simulare. Frater huius nondum hostem se nobis professus fuerat: Sic Rex Iannesamum profectus est, inde Belistrum, vnde fuga elapsus Cardinalis Valentinus. Postridie nostri ceperunt per vim Castelfortinium, occisis qui defenderant, locum Iacobo Comiti parentem, qui pecunia à Rege accepta ad hostes defecerat, ii enim Comites Vrsinis adhærēt. Hinc Valmontonium motum est, Colomnesiorum oppidum, deinde castra posita ad quartum milliare à MonteSancti Iohannis, quod est munitissimum præsidium, restititque octo circiter horis, quibus vi tormentorum concussum vi captum est, & interemti pariter defensores. Erat de territorio Pontificis, sub Marchione Piscariæ, ibique omnes nostræ copiæ coniunctim fuerunt. Inde SanGermanum sedecim milliaribus distans, ventū est vbi congregauerat Ferrandus quicquid contrahere copiarum potuerat, locus ipse ita conciliatus vt aut ibi aut nullibi nostris resistendum esset, limes quippe Regni, & tenenti opportunissimus tam ob diuersos riuos, quam montem. Ferrandus etiam Cancellum Sex SanGermano millibus

diſtans,miſſo milite munierat: Sed non exſpectato Caroli aduentu inſigni tumultu confuſisq; ordinibus SanGermanum reliquit,tam ciuitatem quam regni clauſtra. Primam noſtrorum aciem ducebat Guiſius; Rieuſius ad Cancellum profectus erat in hoſtem, ſed & id deſeruerunt Aragonii, & nullo iam obſtante Rex SanGermanum tenuit.Ferrandus recta Capuam ſe retulit,ſed ciues militem admittere noluerunt, ipſo cum paucis ſtipatoribus recepto; itaque precatus in fide manerent, abiit, altero die rediturum promittens,properabat enim Neapolim rebellionem,quæ & accidit, metuens. Pleraque pars militis ad Capuam eum præſtolari iuſſa erat, ſed cum poſtridie rediſſet omnes Nolam verſus diſceſſiſſe offendit ad Virgilium Vrſinum,& cognatum ipſi Comitem Petilianum,vbi à noſtris capti ſunt. Prætendebant fidem datam ſecuritatis,itaque contra ius fasque cum iis agi,quod & verum erat; Sed inſtrumentum contractus nondum acceperant,nec quicquam tamē ſoluerunt pro libertate, ad iniuriam vero etiam damna non modica ipſis illata ſunt. SanGermano Rex Mignianum profectus eſt inde Triagium, caſtraque poſuit ad Caluium duobus milliaribus à Capua,quo eius incolæ venere cōpoſitioni cernendæ, Rexq; vrbem cum omnibus copiis intrauit.Poſtridie Averſam medio inter Capuam & Neapolim quinque milliarium vtrinq; itinere profectus eſt, eo Neapolitani pacificatum proceſſere, priuilegiis antiquis cauentes. Vrbem Rex præmiſit Mareſchallum Giæum, Seneſchallum Beaucairium, Præſidem Ganaium, ſigilli tum cuſtodem, cum nonnullis Secretariis. Ferrandus ſucceſſum harum rerum videns, nobilitatem vulgusque contra in armis, direptis præſente ipſo regiis ſtabulis, Iſclam nauigio contendit, inſulam octodecim Neapoli milliaribus diſtantem. Neapolitani Carolum inſigni pompa & ceremoniis ſollen-

nibus

nibus introduxere obuiam procedēte tota vrbana multitudine: qui Arragoniis plurimum debebant horum fuere primi, vt Caraffarum familia, qui fide iurata ipsis obstricti erant, vnde ad quadraginta annua Ducatorum millia capiebant. Reges enim eius ditionis dominia vsu cedere possunt, vt & aliorum tradere aliis, neque toto Regno tres exstare existimo qui quæ tenent non debeant Regi, aut alteri alicui magnatum. Nemo vmquam plus Regi Principive beneuolentiæ obtulit, quam isti nostro fecere, arbitrati iam demum omni tyrannide solutos esse, & vere animam recipere, itaque ipsimet sese capiebant. In Calabria omnia vltro nobis accessere, eoque missus est Aubignius cum Perone Baschio, sine milite, idem Abruccii fecere, initio ab Aquileia ducto, quæ ciuitas præcipue semper Gallis fauit; pariterque Appulii, sola Brundusii arce munitissima & instructissima, excepta, & Callipoli, quæ & ipsa vi militari retenta est. In Calabria supererant tria præsidia Ferrando fidem seruantia, Mantia, Turpia, antiquitus fauentia Andegauensibus, & iam quoque Caroli Vexilla præferentia: sed quoniam Regiæ ea possessioni exemta Persio donauit, Arragoniorum insignia resumserunt: Tertium fuit Regium, & ipsum Ferrando se seruans. Omnia vero quæ nobis non accesserunt neglectu nostro elapsa sunt, nemo enim missus est qui in fidem reciperet, nec enim nostrorum hominum in Apuliam Calabriamque vel vno castro defendendo sufficiens copia venit. Tarentum se dedidit cum Arce & oppido, moxque Hidruntum, Monopolis, Tranium, Manfredonia, Barlium, & omnia, exceptis quæ nominaui. Tridui itineri nostris obuii venerunt ciuitatum incolæ tradentes suas; omnes Neapolim misere, quo conueniebant principes Magnatesque vniuersi Regni, iuramento fidem nouo Regi addicturi, excepto Marchione Piscariæ, cuius tamen cognati fratresq; adfuerūt.

Comes Acrius & Mareſchallus Squillazius in Siciliam confugerunt, quod regionem ipſorum Rex Anbignio donaſſet. Eodem venit & Princeps Salernitanus à claſſe reuertens, qua nullo noſtris vſui fuerat: Frater huius, Princeps Biſignianus cum filiis; Melfitanus, Grauinius, Seniorque Soræ (qui ditionem ſuam vendiderat Cardinali Petri-ad-Vincula, nunc quoque fratri huius parentem,) Duces, Montorius, Fondius, Tripaldius, Celanius (longo tempore exſul, nunc cum Rege rediens) Troius, (natione Scotus, in Gallia educatus) Pepolinusq; in carcere inuentus, Comites, eodem conuenerunt. Roſani iunior Princeps, de quo ſupra locuti ſumus, longo tempore cum patre in cuſtodia moratus (ad triginta, vt memorauimus, annos) liberatus fuerat, & cum Ferrando vel vi vel per amicitiam profugerat. Pariter adfuerunt Marchio Guefronius, omnes Cadoreſci, Comes Matalonius, Merillianusque, qui cum aliis de ſua familia Aulam Arragoniam fuerant moderati; ſumma quicquid Procerum regni erat, demtis ſolis, quos memorauimus, tribus.

CAPVT XIV.

Vt Carolus coronatus fuerit Rex Neapolis, deq; erroribus ab eo commiſsis in tuendo tali Regno, vtq; expeditio pro cumq; eo in Turcam adornata à Venetis fuerit indicata.

CVm Neapoli profugeret, vt diximus, Ferdinandus, in Arce reliquit Marchionem Piſcariæ cum nonnullis Germanis, ſperans à patre in Sicilia auxilia habiturum. Fridericus Aragonius mare nonnullis cum nauibus tenebat, & fide data bis cum Rege in colloquium venit. Poſtulabat nonnullam Regni portionem relinqui nepoti ſuo cum Regis titulo, ſibi autem ſuas coniugisq; poſſeſ-

poſſeſſiones. Rex in Gallia obtulit alias tam ipſi quam nepoti eius, credoq; Principatum non exigui pretii collaturum fuiſſe; ſed renuerunt. Certe nulla ſpes ſeruandæ pacis, quibuſcunque etiam conditionibus partæ, fuiſſet ipſis intra Regnum receptis, cum primum opportunitatem rebellandi habuiſſent. Arx Neapolitana tormentis oppugnata eſt; non inerāt præter paucos Germanos cum Marchione Piſcariæ, & ſi quatuor ſola in inſulam tormenta fuiſſent transmiſſa, vtique capta eſſet: & hinc malum noſtros repetiit: pariter cū hac occupari potuiſſent reliqua omnia hoſtibus præſidia, quinq; circiter numero; ſed noſtri id ſolum egerunt vt feſtiuos dies conderent, tantum arrogantiæ ſibi adſciſcentes, vt nec pro viris iam aduerſarios haberent Italos. Rex Coronam cepit; hoſpitium vero habebat Capuani, & nonnumquam Montem Imperialem ibat. Subditis multa magna beneficia contulit, remiſſis acciſisque tributis; vt credam ſuo conſilio vulgus non fuiſſe rebellaturum, vt vt ſit mutabile, modo paucos quoſdam de Nobilitate ſibi conciliaſſet. Sed nemo huius rationem habebat, & ad portas vrbis indigne tractabantur, vt fuerint optime tractati Caraffæ primi Arragoniorum, quibus & ipſis tamen pars bonorum demta eſt. Nulli ſuum officium manſit, aut munus; & Andegauenſes prius excepti Arragoniis: Comiti Merilliano quoddam officium conceſſum eſt, Gannæio, vt ferebatur, pecunia corrupto; Beaucairius nouū Nolæ Ducem fecit & magnum Regni Cubicularium. Eo modo quiſque in ſua poſſeſſione ſeruatus eſt, Andegauenſibus excluſis à ſuis dignitatibus, niſi iure eas ordinario repeterent. Qui ſuis artibus intrauerant, vt Comes Celanius, vt ſemouerentur, vis adhibita eſt. Omnia munia atque Officia Gallis tradebantur, eaque duo etiam aut tria ſingulis. Quicquid victui faciens in Arce Neapolitana cum caperetur repertum eſt, (ſane magni pretii,) &

ad

ad Regem delatum, dedit poſcentibus. His ita ſucceden-tibus cõpoſitione Germanorum, qui bona infinita inibi ſeruata ſibi paciſcebantur, dedita eſt Arx, alteraque, ab Ouo nomen habens, tormentis expugnata. Omnia vero hæc manifeſto docent nihil horum negotiorum confe-ciſſe qui ea gubernabant, ſed ſolius Dei potentiã omnia tranſegiſſe: Errores autem ex inoportuna arrogantia ho-minum fuerunt opera, nolentium agnoſcere vnde tanti ſucceſſus ingruerent, & ſecundum ingenium & expe-rientiam ſuam graſſantium. Itaque æque euidenter promteque fortuna mutata eſt, atque diem videmus
L. Iſlãde. verti in Holandia aut Hibernia, vbi æſtiua lux longe quam alibi longior lucet, adeo vt ſimul fere cum occaſu, (certe vix quarto horæ ſpatio interiecto) ortus Solis re-naſcentis conſpiciatur; ſic ſapiens quilibet homo, nul-lo pene medio tempore videre potuit bonum felicem-que hunc initum aduerſitati conceſſiſſe; qui ſi fine ſuo ſtetiſſet, infinitis bonis totum Chriſtianum orbem vtiq; mactaſſet, modo pro munere eius, à quo veniebat, po-tuiſſet à noſtris hominibus æſtimari. Turcæ enim non multo difficilius Imperium concuti potuiſſet, quam Al-fonſi regnum fuerat: ipſe Princeps nullius pretii erat & nunc quoque eſt, & Rex in poteſtate habebat fra-trem (qui paucis à fuga Cardinalis Valentini diebus exſpirauit, vt veneno confectum dicerent) quem vltra omnes homines idem metuebat; infinita au-tem millia Chriſtianorum rebellioni parata intra vi-ſcera prouinciarum eius morabantur. Iam Hydrunto Apollonia diſtat ſexaginta milliaribus, vnde Conſtan-tinopolim ſæpe octodecim dierum itinere merca-tores commeant, viæ adſueti, neque media ſunt mu-nita loca præter tria ad ſummum: Cætera omnia di-ruta ſunt, totum Albanis, Sclauis, Græcisque magna in-colarum copia habitantibus, ad quos rumor Regis no-

ſtri

ſtri ſucceſſuum à neceſſariis Venetiis inque Apulia degentibus, deferebatur: ipſi quin etiam ſollicitabant notitiam eorumdem per litteras, omnibus rebellandi momentis imminentes, exſpectatis ſaltim nuntiis. Rex eo miſit Archiepiſcopum Dyrrachienſem, Albanum gente; Hic pluribus Procerum quondam Chriſtianorum filiis & Nepotibus, etiam citramarinis Principibus agnatis, collocutus, neminem fere non ſuæ ſententię offendit, inter eos fuerunt Scanderbegius, filius vnus Imperatoris quondam Conſtantinopolitani, nepotes Conſtantini nunc Montisferrati Principis, agnatique Regis Seruiæ. Per Theſſaliam plus quinque millibus nobis acceſſiſſent, & occulta tranſactione captum fuiſſet Scutarium, opera Conſtantini, qui occulte Venetiis penes me non paucis diebus delituit. Huic ſucceſſionis iure debebantur Macedonia & Theſſalia, (Alexandri quondam Magni patria) ad quas ſpectat Apollonia. Scutarium & Croya non longe diſſident, quæ ſuo tempore pater aut patruus eiuſdem oppida Venetis oppignorauerat; iis ademta eſt Croia, Scutarium ipſi Turcæ reddiderunt, cum pacem paciſcerentur. Iam tria ſolum milliaria à loco aggrediundæ rei aberat Conſtantinus iſte, & vtique ſucceſſiſſet, niſi Dyrrachienſis Præſul aliquot poſt eum dies Venetiis ſubſtitiſſet, quē vrgebam inſtantiſſime de profectione; erat n. homo leui lingua, & iam dum non temperans iactare, facturum ſe facinus breui aliquod cuius futura ingens fama eſſet: Malo adhæc infortunio eo die cum mortem fratris Imperatoris Turcici reſcirent Veneti, deliberarunt id Turcæ indicare per ſecretarium quemdam, vetito ne nocte illa vllum nauigium per duo caſtella, portum claudentia, emitteretur: ei mandato cuſtodes ſunt additi, metu nauicularum minutarum, Gryphes vocant, quib. magno numero Albania & Venetorũ in mari Græco Inſulæ vtuntur.

tur.

tur. nouerant enim ingens donum recepturum primum huius nuntii indicem. Bonus Archiepiscopus autem noster eadem nocte profectionem ad Constantinum instituerat cum magno onere gladiorum, scutorum, iaculorum, iis deferendo qui rei occultam habebant conscientiam, hæc enim & alia arma bello subiectis adimunt Turcæ: Cum itaque inter dicta duo Castella transitum pararet, captus Præsul, alteroque illorum cum ministris inclusus, nauigium autem dimissum est. Cum Præsule in manus Venetorum litteræ non paucæ venerunt, omnem rem manifestam facientes, retulitq; mihi ipse Constantinus Venetos misisse indices proximis Turcarum præsidiis, ipsique Imperatori: Quod si nauigium præter, quod dimissum diximus, fuisset, Gubernatore Albano rectum, vnde de periculo monitus ipse fuit, cepissent hominem Turcæ; sic quoque vix in Apuliam mari effugere potuit.

CAPVT XV.

Digreßio amplior super Venetæ Reipublicæ Statu & Imperio, quæq; inibi viderit obseruaueritq; Auctor dum Caroli Regis nomine Legatus ibi egit.

IAm tempus est vt de Venetis quędam commemorem, quaque de caussa in eorum ciuitatem missus sim, Rege Neapoli occupatæ inrelicto. Asta discessi versus eos, gratiis agendis ob bona responsa duabus Regis legationibus data, continendisque in fauore nostrarum rerum, quantum valerem. Consideratis enim prudentia, consiliisque & viribus eorum, poterant amplius nostris rebus nocere quam cæterorum Italiæ Procerum quisquam. Dux Mediolanensis mihi mittendo operam adnauabat; scripsitque ad suum Legatum, semper Venetiis commorantem,

rantem, vt frequens mihi adesset, & iuvaret imperitiorem. Veneti ei legato menstruos centum Ducaros dabant, domumque opipare instruxerat, ministratis insuper tribus nauiculis quæ, sumtu ipsorum, per vrbem vehendo essent. Veneto paria vicissim Mediolani præstantur, exceptis ratibus; quibus opus non habet ea in vrbe, equis permeanda. Iter habui per eorum ciuitates, Bressam, Veronam, Vincentiam, Patauium, aliasque. Vbique magnifice habitus sum, Regis mei honore, magnaque frequentia obuiam mihi ibatur à vulgo & Magistratibus. Mos harum est numquam simul procedere, sed populo exeunte; ad portas resistunt Magistratus. Intra mœnia deducebar ad hospitium vsque, hospitique præcipiebatur splendide & copiose me haberet: sumtus omnes ipsi faciebant, adiectis honorificentissimis verbis. Sed qui rationem subduxerit eorum quæ talium pomparum ministris deferenda sunt munera, inueniet nihil lucri redire ad Legatum ab his expensis. Quo die ipsam vrbem adii obuiam mihi processere vsque ad Chafusiniũ, quinque milliaribus: illic relinquitur nauigium quo Patauio descenditur secundo flumine; præstanturque minutæ raticulæ fabre expolitæ, & tapetibus ornatæ, sedilibus serico instratis considetur. Eo vsq; progreditur mare, neque propior ciuitati tellus est. Mare admodum planum, nisi vbi tempestate concutitur; quare piscatus copiosus prouenit, omni genere marinæ venationis. Situm vrbis conspicatus magnopere mirabar, tantũ ingentium ædificiorum & saxearum molium aquis impositum, neque alio hinc inde populum cõmeare, nisi nauigiis; quorum ad triginta millia confici posse putem, valde quidẽ exiguarum. Circa vrbem ad Septuaginta Monasteria (spatio dimidii milliaris Gallici in circulum vt computes, omnia in Insulis sita vtriusque sexus hominibus, opulentis & speciosis, habitationibus & supellectile, hortis-

que amœniſſimis prædita,) exædificata ſunt, non accen-ſitis quæ intra eam viſuntur: In his ſunt quatuor Mendicantium ordines, Parochiæ Septuaginta duæ, ingensque contuberniorum Monachicorũ numerus. Sane ſtupenda res eſt tam pulcra & magna templa maris fundamento educta cernere. Ad Chafuſinium obuiam mihi prodiere Vigintiquinque è Nobilitate vrbana, opulente veſtiti, laneo ſericoque pretioſiſſimis pannis. Receptus ibi ſum alloquio amiciſſimo & ad Templum vſque B. Andreæ deductus; ad hoc totidem alii pari genere ſeſe obtulere, cum Legatis Mediolani & Ferrariæ Ducum, ſecundaque oratione ſum exceptus. Inde aliis nauigiis grandioribus multo, quæ plana vocant, inditum, (quorum duo intra tapetibus, tota extra holoſerico inducta rubro erant, ſpatio tanto vt quadraginta viros facile reciperent) medio loco inter dictos Legatos collocarunt. Italis enim medius locorum honoratiſſimus habetur; ſicque ampliſſimæ ciuitatis plateæ, quam Canalem magnum appellant, induxerunt. Ingentes onerariæ quas Galeras vocant eum vicum permeant; vidique prope ædificia aduectas quæ quadringentiarum cuparum pondus, ferrent. Ipſum vicum omnium toto mundo pulcerrimum dixeris, prætoriis vtrimque mirifici operis admirabilem; tranſiturque eo tota, quam longa eſt, ciuitas. Ædificia ampla atque excelſa ſunt, ſolido bonoque ſaxo exſtructa, vetuſtiora tota depicta: Cætera à centum annis facta omnia anterius marmore ab Iſtria centum milliaribus aduecto candido veſtiuntur, interſitis crebris Porphyretici & Serpentini lapidis portionibus. Pleræq; domus opulentiorum ad minimũ duo conclauia habent inauratis inducta tabulis, cruſtisque fabrefacti marmoris metallo ornatis eodem, lectis poſtibusq; feneſtrarum auro pariter relucentibus: vno verbo, ſplendidiſſima eſt Vrbium quas ego vidi, omnium

erga

erga Legatos Peregrinosque honorificentissima, & à sapientissimis viris moderata, ceremoniis etiam sacrorum religiosissime studens. Quod si alii insint errores, emendari tamen putem cultu Numinis, & opem diuinam ei rite conciliari. Hoc agmine Quinquaginta Nolilium hominum stipatum ad Templum B. Georgii me perduxerunt, quod est Monasterium nigro habitu vtentium, Ordinis Reformati, vt vocant, quo loco hospitium datum est. Postridie visitatum me venere, & Senatui induxerunt, vbi Duci Litteras reddidi, qui Regia quadam veneratione omnibus Consiliis præsidet. Huic omnes inscribuntur litteræ, sed per se solum nihil potest magni. Hic tamen qui nunc est maiorem auctoritatem omnibus præcessoribus suis habet; iam enim duodecimum annum Dux est, agnouique eum hominem probum, sapientem, Italarum rerum experientissimum, ingenio placido & affabili. Eo die nihil præterea locutus sum, & ostensa sunt mihi aliquot conclauia tabulatis, tricliniis, & fenestris auro pingui indutis. Palatium totum pulcerrimum & ditissime exornatum est, marmore artificiose sculpto facto; anteriore facie lapidum ad pollicis latitudinem inaurata. Deambulatoria quatuor habet ampla, & metallo pariter culta, sed atrium exiguum. Dux de cubiculo suo audire potest sacra in B. Marci Orario ad magnum altare celebrata. Ei toto orbe par esse omnis generis opulentia sacellum non existimo, quod quidem ampliori nomine non censeatur: Totum Mosaico, quod appellant, opere effectum est, cuius inuentionem ipsi sibi artificii vindicant, aluntque gnaros non paucos summo studio. In hoc Sacello thesaurus eorum est tantopere celebratus, quæ sunt fere factæ ad exornãda templa res. Maximi duodecim aut quatuordecim Vniones, quorum magnitudine nullos vidi; Duo alter

 septin-

ſeptingentorum alter octingentorum Carattorum pondus habent, non tamen prorſus ſine maculis ſunt. Armaturas ibidem vidi aureis laminis factas duodecim, margaritis gemmisque oris obſitis pretioſiſſimis: parem item Coronarum numerum, quibus antiquitus totidem fœminæ ornabantur, quas Reginas vocabant, certis anni temporibus, vt eo modo inſulas & Templa circumirent. Has contigit rapi cum vrbano cætero Gynæceo à piratis Iſtria, vel propinquiore Italiæ ora, ex inſidiis inuectis: viri autem fugientes ſequi non prius deſtiterunt, quam comprehenderent, & monumentum rei ſtatuerunt in loco, vbi Senatus quotannis victoriæ die conueniret hoc Sacellum, ſpoliis receptis B. Marco conſecratis. Ornando Templo ingens ibidem theſaurus eſt, cum aurea alia infinita ſupellectile, Amethiſto, Agate, copioſo, nonnullo & Smaragdo. Hæc vero non magni ſunt pretii ſi cum theſauris præſentis auri aliorum conferre velis, cuius illi nihil reconditum habent, Duxq; corã Senatu mihi dixit, capitali pœna inter ipſos vetitum eſſe, ne reponendæ pecuniæ mentio fiat; ratione, puto, non abſurda, ne inter eos exorerentur diſcidia. Ab hoc alterum ſuum theſaurum mihi oſtendere, quod eſt Armamentarium nauale, vbi quicquid claſſibus inſtruendis neceſſarium eſt, contexitur. Sane principem toto orbem terrarũ hanc domum puto, talibus rebus expediundis, vix paré cæteris omnibus facturis, pręcipue quo ad congruum omniũ ordinem. Octo menſes, ſumtũ Senatus, vt & cæteri Legati, ibi commoratus ſum, quo tempore affirmare poſſum tam ſapientes promtosq; ad augendum imperium Venetos perſpexiſſe, vt omnes aſſitos Principes, niſi mature præuiderint, magno periculo eſſe & ſero quandoq; rem deploraturos cenſeam. Tuendis enim rebus ſuis cautiores facti ſunt poſt Regis noſtri expeditionem & ex ea, quam vmquam fuere, durat n. nunc quoq; cum ipſo

ipſo bellum iis, & auſi ſunt protendere limites, vt in Apulia pignori acceperint ſeptem aut octo ciuitates, quas neſcio equidem an vmquam ſint redditurí. Rege vero in Italiam veniente non poterant credi eo modo capi oppida, neq; tam paruo tempore valere, neque n. hactenus eo pacto graſſati fuerant, ſed exinde muniuere & muniunt etiamnum multa loca, aliaq; conſtruunt in Italia. Conſilia eorum non eo tendunt vt præcipitent rerũ ſuarum augmenta, more Romanorum. Non habent enim tali virtute præditos homines, & nemo Procerum terreſtri bello adſueſcit inſtar eorumdem, ſoli Quæſtores forte & Prouiſores, quos vocant, qui Imperatores in expeditionem ſequuntur, conſiliisque omnia & rerum neceſſariarũ cura dirigunt: Maritima ſolum bella è Nobilitate aliisque ſubditis lectis militum ductoribus ipſi adminiſtrant. Sed alio nituntur commodo ne terreſtri militiæ ipſi adeſſe poſſint, Magnates, videlicet ne eo virtutis autoritatisve quis adſcendat vt noua pro Imperio ſibi arrogando moliatur, quæ res Romanos peſſumdedit, his vero contingit huius cautione omnium ciuilium tumultuum expertibus eſſe. Quæ ſumma prudentia, mea opinione, huius Reipublicæ eſt, quam multis omnino modis emuniuerunt: non enim habent Tribunos Plebis vt Romani, quorum perditioni cauſſam dederunt iidem, neq; populi vlla auctoritas eſt, neque plebs conſulitur in rerum negotiis, ſed cum Secretariis omnia cõficit Nobilitas: adhæc pleraque ſubditorum pars extranei ſunt. Quæ Romani in ſuis rebus peccarint apprime bene norunt, Liuii enim hiſtorias didicerunt, & oſſa ſeruant Patauii in Curia. His aliisque plurimis de cauſſis, quas perſpicere ego potui, denuo affirmo inſtitiſſe viam quæ futuris temporibus ducere eos poſſit ad ſummam Imperii amplitudinem. Iam memorandum erit quæ fuerit ſumma Legationis meæ. Cauſſam huic dediſſe bona

Venetorum responsa Regis ministris data supra dixi, nimirum confidenter venia ipsorum Italiam peteret, procederetq; Asta, vbi tum morabatur. Pariter ipsis demonstraui veteres diuturnasq; confœderationes inter maiores ipsorum & Galliarum Reges, offerens nomine Caroli Brundusium & Hidruntum, quæ in Græcia melioribus post oblatis vrbibus, nobis restituerent. Responderunt Regi amicissimis omnino verbis, quoad res & personā ipsius, nequaquam n. credebant longe vltra processurū; quod ad dictam oblationē, dixerunt, Regis se esse amicos & ministros, neque amorem suum vendere velle, quod si cuperent, bellum non difficulter capturos: sed hoc nullo modo vt facerēt persuaderi potuerunt, quamuis missis Neapoli Legatis impense orarentur, contra quæ vellent offerentibus Arragoniis. Rex Alphonsus, qui tum regnabat, fatebatur in eos peccasse, & demonstrabat periculum, vbi Carolus destinata confecisset. Ex altera parte Turcicus Imperator minacibus per Legatū illico nuntiis adoriebatur, instinctu Pontificis, Gallo sese nisi opponerent. Cuique optime respondebant; nos principio vero neutiquam metuebant, risu conata Caroli nonnumquam prosequentes, Et Mediolani Dux Legato misso ne solliciti essent, monebat, nota enim retrorsum Regis deducendi sibi esse remedia, vt nihil in Italia retineret; qualia & Petro Medici nuntiauerat idem, à quo relata sunt mihi. Verum cum & Mediolanensis & ipsi viderent Florentinorum ditionem omnem in potestate Caroli esse, præcipue Pisas, contremiscere animis cœperunt, & loqui de continendis eius progressibus; Consilia vero ex longinquo capiebant, interimque Rex mirifice instabat ferenti Fortunæ dum citra vltraq; commeatur. Hispanus pariter pauere incipiebat ob Siciliam & Sardiniā assitas insulas, Inuidebatq; Romanorum Rex, cui Imperatorium ipsum fastigium vacillare videba-

videbatur, dicenti Carolum eam ambire, & à Pontifice postulaſſe, quod verum non erat: His ſane de cauſſis duo iſti Reges Venetias miſerunt, cum ego ibi degerem; prior vero, vt proximior, Romanorum. Legatorum huius princeps Epiſcopus Tridentinus, cæteri de nobilitate erant duo, & vnus Iureconſultus. Omnes honorifice Veneti habuerunt, hoſpitiis non ſecus ac meo, ſplendide inſtructis excepere, præbitis in dies denis ducatis, & in equos ſumtu miniſtrato qui Taruiſii remanſerant. Non diu poſt hos aduenit illuſtris ab Hiſpania homo, ſplendide cultus & ſtipatus, pari impenſa & honore exceptus. Dux Mediolanenſis præter Ordinarium quem ibidem Oratorem habebat, ſubmiſit & Epiſcopum Comenſem, & Franciſcum Bernardinum, Vicecomitem. Tum ſecretim, deque nocte conuentus habiti ſunt, primo per Secretarios, non auſo quoquam noſtris ſe opponere, præcipue Venetis & Duce Mediolanenſi, ignaris an confœderatio cœpta concludi poſſet. Mediolanenſes cum ad inuiſendum me veniſſent, attulere à Principe ſuo litteras, dicētes adeſſe ſe, quod Veneti duos Mediolanum legatos miſiſſent cum eatenus vno fuiſſent contenti, ſed hoc erat mendacium, & deceptio fraudulenta: nullo enim alio præter dictæ confœderationis fine cōuenerant omnes, Regi vt ſeſe iunctim opponerent. Sed tantum vigiliarum paruo tempore elucubrari non poterat. Poſt ex me quæſiuerunt, cuius rei cauſſa Hiſpanus Romanusque nuntii veniſſent, vt indicare ſuo poſſent Domino. Ego vero iam monitus fueram idq; ex pluribus locis tam à miniſtris Legatorum quam aliunde, Hiſpanum tranſiiſſe Mediolanum ab omnibus agnoſcendum & Germanos à Sfortia, qua vellet, duci. Adhæc noram quotidie Neapolitanum Legatum ab Arragoniis miſſarum litterarum faſciculos tradere, omnia enim hæc prius geſta ſunt quam Flo-

rentia Carolus decederet, & talibus intelligendis nonnihil sumtuum faciebam, bona occasione. Iamque fœderis primum propositos articulos sciebam, neq; adhuc tamen firmatos, Veneti enim conclusionibus id genus admodum lenti sunt. His de caussis, & fœdus iam eousq; processisse videns nolui simulare porro ignorantiam, respondique Oratori Mediolanensi, postquam tam indignis verbis compellari viderem, velle ostendere ipsis, nolle Regem amittere fauorem eorum Principis, siquidem posset eum retinere, meque, vt ministrum, omnem operam daturum quo animo Sfortiæ eximerentur male illati rumores, eumque prudenter facturum si nihil non excuteret prius, quam recompensationem Regi præstitorum officiorum perderet. Reges nostros nullo vmquam tempore ingratos inuentos fuisse; sic neq; ob verbum aliquod nescio cui probatum, debere amicitiam horum duorum rescindi, cuius tantopere vtrique parti interesset, oraui que insuper querelas occultas suas mihi crederent, Regi indicandas, priusquam quicquam vltra molirentur. Iurauerunt mihi omnes Legati magnis additis deuotionibus nihil talium sese coquere, mentiebantur tamen, & nullo quam fæderis fine venerant. Postridie Senatum adiui eiusdem rei gratia, dicturus quæ commoda viderentur: Hic memoraui inter cætera ex conuentione pacta cum Patre huius Regis Ludouico, non posse fouere alteram alterius partis inimicos, itaque nec fœdus hoc, de quo rumor esset, ipsis licere inire, nisi velint contra iuratam fidem agere. Iussus sum egredi Senatu, reuocatoque mox Dux dixit, non debere omnibus fidem habere quæ per Vrbem differrentur, omnibus saluam libertatem esse loquendi quæ vellet, Ipsis tamen numquam animo fuisse contra Regem fœdus iciendi, neque de tali aliquo inaudiisse: potius laboraturos vt inter duos dictos Principes & eum confœderatio

deratio fieret iunctis vniuersæ Italiæ viribus, quo Turca expelletur; ei rei cuique partem expensarum adscribendam, quã si ferre aliquis recusaret per Italiam, cum Rege iuncturos copias ad cogendum. De cætero commodam transactionem facturos, vt Rex præsentis pecuniæ congruam summam caperet, cui rei ipsos adfuturos, captis in pignus Apuliæ aliquot ciuitatibus, (vt nunc fecere.) Regnum Neapolitanum ipsi fidelitatem iuraturum, consensu Pontificis, soluturumque certam in annũ auri summam. Insuper Carolum tres inibi vrbes retenturum. Vtinã tum his assensum Rex præbuisset. Respondi huic transactioni non audere me assentiri, precatus ne præcipitarent consilia noui fœderis, me enim omnia ad Carolum relaturum, adiiciens, si quas animo suspitiones admisissent, ne reticerent eas, vt fecissent Mediolanenses Legati. Ægre se ferre retulerunt quod Pontificiæ ditionis loca Rex occupasset, ægriusque quod Florentinorũ, præcipue Pisas; Non ea eum litteris scriptis promisisse tum aliis tum ipsis Venetis, sed nihil Italiæ ademturum præter Regnum Neapolitanum, post in Turcam profecturum, iam vero ostendere omnia sibi subdita velle illîc, istius autem prorsus esse oblitum, adhæc Ducem Aurelianum, qui Astæ remansisset, Mediolanensi terrorem incutere, eiusq; ministros multa mala minari. Attamẽ noui nihil ipsos molituros antequã responsum à Rege haberẽ, vel tempus tale quid recipiendi esset elapsum, plusq; mihi honoris quã Mediolanensib. legatis exhibuerunt. Omnia ego ad Regem retuli, sed responsum est perquam ieiune, ex quo tempore dicti Legati iam singulis diebus conuenire cœperunt, gnari videl. confœderationem esse apertam. Eo adhuc tempore Florentiæ Carolus erat, cui si Viterbii hostes restitissent, vt opinabantur Veneti, suos Romam misissent; quod fecissent etiam si in Vrbe Ferrandus mansisset, neque enim vllo modo poterant me-

tuere eum Romam relicturum, qua à nostris occupata sane timere cœperunt. Hinc duorum Regum legati cõclusionem fœderis vrgebant, secus, discessum minati, quaruor enim iam menses affuerant singulis diebus Senatui admissi: quos contra quæ poteram ego faciebam. Veneti videntes omnia illa perdita, Regemque iam Neapolim tenere, accersitum me edocuerunt quæ comperissent, præferentes hilaritatem; Arcem tamen dicebant perquam munitam instructamq; esse, animaduertebamq; bonam spem firmamq; haberé, non iri occupatum, Legatoq; Neapolitano permiserunt militem Venetiis conscribere, qui Brundusium mitteretur; iamq; confœderationi concludendæ aderant, cum à Legatis accepere suis litteras, Arcem Neapolitanam deditionem fecisse. Tum orto primum Sole me denuo accersiuere, offendiq; Senatum solito frequentioré ad sexaginta hominum numerum coiisse in Conclaue Ducis; qui colica decumbebat: Dux vultu ad lætitiam composito quid accepissent retulit, cæterorũ auté nemo æque animi sensum tegebat. Pars capite manib. suffulto & gradus lecti consedebat, pars alio tristitiam habitu fatebatur: Non crediderim magis attonitos fuisse Romanos Senatores cum cladis ad Cannas Annibale victore nuntius in vrbem allatus fuit; nemo enim videri voluit præsentem me cernere, aut allocutus est, solo Duce excepto, quare summa admiratione eos conspexi. Dux ipse me percontatus est vtrum Rex quæ eatenus semper promisisset, seruaturus esse vt ego ea retulissem: Affirmaui magnopere, ita prorsus facturum, obtulique pacis conseruandæ modos non difficilimos, cui omnia facturus essem, sperans suspicionibus eos exuturũ. Sic discessi. Confœderatio tum etiam nec facta nec rupta fuerat, & Germani indignati abire parabant. Dux Mediolani nescio quo super articulo adhuc rogari volebat, ad vltimum tamen suis matura-

turarent mandauit,& effectu ipso fœdus conclusum est. Dum ista geruntur sine intermissione omnia ad Regem referebam, vrgens concluderet negotium, aut in Regno capto permaneret peditemque & pecuniam vnde posset colligeret, aut quam maturime firmissimis locis idoneo præsidio firmatis se reciperet, periculum enim summum in Sociorum copiis vno loco conductis futurum. Pariter Aureliano scripsi Astæ cum aulicis saltim suis commoranti, cæteris cum Rege profectis, militem vrbi induceret, affirmans illico eum oppressuros. Scripsi etiam ad Borbonium, qui Regis absentis nomine Galliam regebat, vt & Principi Monferratensi, fœminæ Gallicis rebus bene volenti, hostique Sfortiæ, vt adsisterent, Aureliano misso, si quem haberent, isque eum posceret, milite: Asta enim amissa, amissæ fuerint & Salusii Monferratensiumque ditiones. Fœdus sero quodam die conclusum est. Altero Senatus me accersiit maturius quam de more, cum assedissem Dux mihi dixit, in honorem SS. Trinitatis fœdus conclusum esse inter Pontificem, Reges Romanum & Hispanum, ipsos, & Ducem Mediolani, tribus de caussis. Primum Christiano orbi contra Turcam defendendo, deinde Italiæ asserendæ, Tertio, vt suam quisque dignitatem conseruaret, id vellem Regi meo significare. Conuenerant magno numero vltra centum ipsos, erectis capitibus, hilarique animo, plane absimiles illis qui retulerant mihi Neapolitanæ Arcis deditionem. Narrauit etiam Dux reuocasse suos, qui apud Regem essent, Legatos: horum vnus Dominicus erat Lauredanus, alter eodem prænomine Treuisanus. Anxium mihi cor erat, & Regis personæ metuebã cum omnibus eum secutis, ratus paratiores ad omnia esse, quam erant, quod simulabant etiam ipsi; præcipue verebar ne Germanos haberent expeditos, quod si fuisset, numquam Italia pedem Rex extulisset. Statui non nimis

nimis verborum facere ea iracundia, tamen fateor eos bilem nonnihil mihi acuisse. Respondi præterito vesperi Regi me scripsisse, vt & sæpius alias, qui rescripsisset Roma iam atq; aliunde se comperta eadem habere. Torue adhæc me intuitus est Dux, quod dixissem pridie Regi scripsisse, non est n. Venetis gens vlla suspiciosior, quæ ve consilia omnia sua secretius habeat, & opinione sæpe mera concepta suis nocuerunt, qua etiam de caussa hæc dicebam. Addebam porro Aureliano eadem enuntiasse & Borbonio vt Astæ prospicerent, hoc ideo vt moram quandam eius oppidi inuasioni obiicerem; nam si tam fuissent parati quam iactabāt, citra dubium id cepissent, à longo enim tempore rebus necessariis destituebatur. Responderunt mihi nihil se contra Regem moliri, sed defensioni ab eo omnia facere, neque æquo animo ferre illusiones omnium ferre posse, dum caussetur Rex nil præter Neapolitanum Regnum petere, postilla in Turcam moturum, qui contraria autem agat Florentinos & Mediolanensem destruere cupiens, & Pontificis tenere ditionem. Ad hæc ego Regem Galliarum tantum abesse vt Ecclesiæ Romanæ terram inuadere velit, vt maiorum exemplo malit amplificare eius bona, ipsis autem nouarum rerum non has esse caussas, sed cupiditatem turbandi Italiam, & studium augendi suas res, quod & successurum arbitrarer. Moleste eos nonnihil habuisse hunc sermonem postea audiui, veritas tamen coniecturæ ex iis quæ in Apulia postea gesserunt elucet, cum pignori cepere loca nonnulla à Ferrando, vt contra nos essent. His vero dictis surgere volui vt abirem, sed voluerunt residere, & Dux interrogauit, numquid nullas pacis conditiones offerre vellem, cum præcedenti die mentionem eius fecissem. Sed hoc aliud nihil fuerat, quam vt dimidium mensem fœderis conclusionem extraherent, me interim à Rege responsum habituro. Ab his in hospitium

meum

meum reuerſus ſum, ipſi vero ordine Legatos ad ſe vocarunt;cumq; concilium dimitteretur offendi obuium Neapolitanum ſplendida noua veſte indutum, qui hilaritatem magnam, nec immerito, præferebat, hæc enim optatiſſima ipſius rebus accidebant. Poſt prandium noui fœderis Oratores cõuenere nauigiis (quæ eſt Venetorũ lætitia, quam quiſq; participat ſecundum ſuum ſtatum, ſumtibus Senatus,) ad quadraginta numero, omnib. inſtructis Dominorum inſignibus; omnem ordinem procedentium de feneſtra hoſpitii mei conſpicere poteram, inſtructique erant multis nauticis miniſteriis. Mediolanenſium vnus, familiaris eatenus mihi, ſimulabat non noſſe: ipſe me triduo in ædibus continui cum omnibus meis domeſticis, quamlibet nec mihi nec vlli meorum vel verbum vnum in ciuitate aduerſum dictum fuerit. Veſperi mirifice ignibus feſtis vrbem illuſtrauerunt, in ſummis turribus & Legatorum habitationibus ingenti facium vi coruſcante, accedente fremitu Tormentorũ: Ego tecto nauigiolo in riuum proceſſi contemplaturus feſtiuitatum pompam, mediam circiter noctem, præcipue ante dictas Oratorum ædes conuiuiis tripudiisque feruentem. Eo die nondum publicatum eſt fœdus, neque ſumma feſti tranſacta eſt, Pontifex enim mandato protulerat diem ſollemnem, ob inſtantes ferias, quas Dominicum Oliuarum diem appellant, volebatq; quemlibet Principum, quo loco Fœdus proclamaretur, aut Legatum ipſius, oliuæ ramum manu præferre, quam arborem pacis inſignia habere dicunt, vtq; eodem die ſolemniter tam in Hiſpania & Germania publicaretur. Venetiis ligneis ſudib. alte limes exſtructus eſt (qualem ſolent, cum Duces ſuos inaugurant) tapetibus pulcre exornatus, à Palatio ad exitum vſque fori, quod Sancti Martii ſpatium vocant; poſtque ſacrum decantatum ab Pontificis Legato, qui eo die peccata cum

pœ-

pœnis & culpis omnibus publicationi affuturis, remisit; processione solemni eo limite Senatus cum Oratoribus transiit, splendidissimo omnes habitu culti, plerique rubro Holoserico à Magistratu donatis tunicis, præcipue Germani, cum omnibus ministris suis; sed eæ tunicæ oppido curtæ erant. Processionis exitu artificiosis figmentis ostensi sunt populo Proceres, primoque loco Italia, post Reges Principesque cum Regina Hispaniæ: quo spectaculo finito ad Porphyreticam quandam Columnam, vbi solent talia, fœderis formula publicata est; præsens hæc videbat & Turcæ Legatus in fenestra quadam tecta, licet enim dimissus iam esset, voluerunt tamen hæc eum videre: ea nocte idem, Græco quodam interprete, ad me in colloquium venit, vbi quatuor horis meo in cubiculo hominem attinui, enixe volentem Imperatorem suum Regi nostro conciliari. Ad festum duabus vicibus inuitatus sum, sed excusaui honeste præsentiam, mansique post integro mense in ciuitate, non secus atque antea bene habitus; hoc elapso Rege vocante discessi, ab ipsis eorumque sumtu tuto deductus vsque Ferrariam. Ferrariæ Dux obuiam mihi venit meque suis impensis biduo detinuit, omnia præstans officia vt & Ioannes Bentiuolus Bononiæ; vnde à Florentinis accersitus sum, quorum Vrbem intraui aduentum Regis exspectans, ad cuius res iam reuertetur oratio.



PHIL. COMINAEI COMMEMORATIONUM RERUM GESTARUM CAROLI VIII. Gallorum Regis,

LIBER OCTAVUS.

CAPUT I.

Quo pacto Rex ordinauerit Neapolitani Regni negotia, volens in Gallias reuerti.

VT series narrationibus constet ad Regis res reuertatur oratio. Is occupata Neapoli ad excessum vsque inde nihil egit nisi animum oblectare festiuitatibus, Aulici autem vt pro se quisque lucrum opulentum faceret, & quāplurimis bonis potiretur. Regem adolescẽtia poterat, cæteri quibus se excusarent socordiæ minime habuerunt, cum Princeps omnia illis crederet: quod si suasissent tria aut quatuor Regni occupati præsidia, (velut, Caiettanum aut solummodo Neapolitanum, cuius instructum dono dedisse supra diximus,) munire & necessariis rebus instruere, mihi non est dubium etiamnum in nostra potestate omnia fuisse permansura. Si enim arx Neapolitana seruata fuisset neutiquam ciuitas rebellasset. Fœdere concluso omnem militiam circa se coegit, ordinatisq; bis mille quingentis Heluetiis, peditibus,

tibus, paucisq; Gallis & quingentis cataphractis Gallis ad tuitionem Regni, cum cæteris copiis in Galliam redire quo itinere venerat, statuit; quod vt prohiberent confœderati laborarunt. Rex Hispaniæ classem nonnullarum nauium cum paucis militibus in Siciliam miserat, quæ iam vicinam insulæ ciuitatem, Regium Calabriæ occupauerant. Sæpius ante Regi scripseram, à Legato Neapolitano expiscatus illîc exponendas, mitterent occupatum eius loci castrum, nam oppidum nostrarum partium erat; quod facile effecisset. Pariter Sicilia veniens miles Mantiam & Turpiam occuparunt, à nostris custodiri neglectas. Hidruntini in Apulia Regis Vexillis iam prælatis, cum Fœdus edocti essent, neque possent defendendis idoneas copias sperare, siti prope Brundusium & Gallipolim, Aragoniorum in partes etiam rediere; quibus Federicus Brundusii degens necessaria suppeditauit. Hinc toto Regno mutati sunt animi & Fortuna vertere paginam cœpit, vix duos menseis nostros morata, tam propter Confœderationem dictam, quam Caroli discessum, accedente inopia rerum omnium, in qua relinquebatur Regnum, magisque Præfecti quam vulgus etiam militare. Regni suprema cura commendata est Mompenserio, de familia Borboniorum, strenuo animosoq; viro, sed parũ sapienti: Cubili is non procedebat nisi meridie. Calabris præfectus est Aubignius Scotus, militiæ expertus, cordatusque homo, venerabili omnibus virtute, qui Conestablius Regni Magnus erat, dono accepto à Rege Comitatu Acriensi, & Marchionatu Squilladziensi. Principio fecerat Cubicularium magnum, Stephanum Versium, Capitaneum Caiettæ, Ducem Nolæ, aliorumque Locorum Dominum, cuius curę demandati sunt omnes reditus, recepitque plura quam præstare posset, licet optimo animo in custo-

custodiam Regni esset. In ciuitate SanAngelo reliquit Lotharingum natione, Baronem San Iuliani, qui mirifice bene officio suo præfuit. Manfredoniæ præfectus est Gabriel Monfauconius, Regi cumprimis æstimatus, qui & cæteris magnas possessiones contulit. Monfauconius male administrauit sua, quatriduo enim obsessam vrbem inopia victus hosti tradidit, quam bene instructam ingressus fuerat, & in agro frumenti sita erat feracissimo. Plurimi quæ in præsidiis inuenere, vendiderunt. Eumdem Monfauconium ferebatur Gulielmo Villanouano cuipiam gubernationem sui præsidii cessisse, cuius famuli pecunia vendiderint Federico, in classe longo iam tempore degente. Tarento imposuit Georgium Suillium, qui egregie se gessit, mortuus post pestilentia; extrema enim omnia perpessus est priusquam fame cogeretur hosti ciuitatem permittere. Aquileiam habuit Balliuus Vitriaci, optime rebus suis consulens; & Gratianus Bellator cognomento, Abruzzi loca pari virtute. Omnibus de pecunia male prospectum est, quæ exigenda per regnum relinquebatur, sed nulla prorsus redacta est. Salertinanum & Bisignianum Principes, qui summa ope bene meriti fuerant, idoneis præmiis Rex cohonestauit, vti & Columnesios, ad votum omnia præstans, hisque vltra triginta loca contulerat. Hæc si Carolo isti seruare voluissent, oppido bene de eo promeriti fuissent, vt debebant certe iuramentoque receperant, & ipsorummet emolumenta poscebant, à centum enim annis tali non fuerant dignitate; sed ante discessum etiam Regis cum aduersariis occulte ceperunt agere, licet & Mediolani ratione Carolo essent obstricti; Gibellinorum ex antiquo factioni addicti; sed nihil illos prorsus à fide data totaq; præmiis firmata diuertere debebat. Amplius etiam Rex illis eo benefecit, quod hosteis ipsorum Virgilium Vrsinum & ex eadem familia Comitem Petilianum

num captiuos adduxit, amicitiæ quidem prætextu, nec sine iniuria, quamlibet enim forent captiui, interuenerat tamen, vt sciebat & fatebatur Carolus, fides: ideoque & non vltra Astam abducti sunt, sed inde remissi; quod factum est Colomnesiorum postulatu. Sed vt innui, antequam Astam reuerteretur Rex, iam, nulla prorsus caussâ, defecerunt primi omnium iidem Colomnesii.

CAPVT II.

Vt Neapoli Carolus decesserit Romamque retransierit, Oruiettum profugiente Pontifice; quid Comin:o Venetiis reduci Rex dixerit, de consiliis restituendi Florentinis ipsorum oppida. deque Hieronymi monachi prædictionibus, commemorari dignißimis.

REx, rebus suis dispositis, vt volebat, itineri se commisit cum iis quas habebat copias, mihi æstimatis ad nongentos cataphractos; connumeratis aulicis, duo millia & quingentos Heluetios, septemque mercede militantium per omnia: His accedebant mille quingenti instar ministerii aulici castra sequentes, non tamen armis inutiles. Comes Petilianus qui diligentius me numerauerat, nouem millia summam fuisse memorabat à prælio nostro, quod sequentibus prodemus. Rex Romam iter direxit, vnde ante discedere voluit Pontifex & Patauiũ se conferre in Venetorum tutelam, iamq; parata ei rei fuerant hospitia; sed mutauit consilium, misereq; ipsi Veneti & Sfortia nonnihil copiarum, non tamen, licet tempori his venientibus, ausus est manere; etiam cum Rex legato misso precatus esset mansionem, & obtulisset omnia humanitatis officia; sed Oruiettam inde Perusiam recessit relictis Romæ Cardinalibus. Ab his Carolus bene exceptus est habitusq;, nec diu tamen restitit intra Vrbem,

nec

nec vlli molestum quid fecit. Mihi scripsit Senis ad eum venirẽ, quod feci, ingenio ipsius, humanissime receptus. Inibi ridens me percontatus est an obuias missuri essent copias Veneti, nam omnis ipsius Comitatus hominum erat adolescentium, rentium non esse præter ipsos vllibi qui arma gestarent. Ego retuli ipsi, Senatum præsente secretariorũ ipsius vno, Lourdino, mihi dixisse, cum Sfortia quadraginta millia militum breui habituros, non tamen vt Regem adorirentur, sed defendendis suis rebus: & Patauii mihi ipso discessus die per Prouisorum, quos vocant, vnum contra nos proficiscentem, indicari fecerunt quemdam riuum copias non transituras, qui prope Parmam ipsorum ditionis esset, vocabulo si memini, Oliæ, nisi Mediolanensi nos noceremus. Is Prouisor à me insignia certa sumsit, quibus, rebus posci turis, occulte quædam paci componendæ argumenta alter alteri possemus indicare: Non enim volebam hostem Venetis Regem facere, cui quid accidere posset non valerem diuinare; his præsens erat quidam alius, Ludouicus Marcellus nomine, Quæstor quibusdam eo anno reditibus exigendis, missus ad deducendum me: aderant etiam nonnulli ministrorum Ducis Mantuani, pecuniam ipsi afferentes, sed non vt hæc nostra consilia intelligerent. Ab his aliisque scriptum Carolo numerum copiarum noui Fœderis afferebam, vna cum Præfectis, Ductoribus, Equitum turmis, & aliis Officia militaria habituris. Pauci Regiorum dictis fidem adhibebant. Senis vrgebam discessum biduo refectis ex itinere equis, neque enim hostes adhuc conuenerant, nihil enim magis metuebam quam Germanorum superuentum, Rex enim Romanorum vndiq; eos cõscribebat & pecuniã omni conatu comparabat iis numerandam. Quicquid dicerẽ, duæ res consilia nostra occupabãt, exiguæ quidẽ admodũ. Altera erat, vtrũ Florẽtinis reddenda essent eorũ oppida, capiẽ-

daque triginta millia illa Ducatorum, quæ ex dono reliqua debebant, cum septuaginta aliis, quæ mutua pollicebantur, vt & assistere trecentis cum cataphractis, & duobus millibus peditum, quos duceret Franciscus Seccus insignis virtute militari vir, & cui magnopere Rex fidebat, reditui nostro. Mihi videbatur Regem hoc facere debere, solo Liburno retento, dum Astam perueniremus, vt & cæteris. Sic potuisset militibus suis stipendia exsoluere, superfuturo etiam quo debilitaret hostium, & suas augeret copias; Tamen hoc non obtinuit, Ligniacensi præcipue impediente, qui ex Regis cognatis erat admodum adolescens homo, neque sciebat quare id faceret, nisi forte Pisanorum commiseratione. Altera dictarum rerum erat ab eodem Ligniaci Comite producta per Gaugerium Tinteuillium cum Senensium non nemine, qui Comitem eum sibi optabant Dominum, dissidiis enim intestinis semper hæc ciuitas laborauit, deterius recta vel omnibus Italiæ cæteris. Primus sententiam ego rogatus dixi, videri, Regem contemtis istis minutiis iter suum vrgere debere, cum nec octiduo vno tantæ futilitatis oblationes constare possint, præterea ciuitatem Imperialem esse, qua occupata Imperium in nos commoueremus. Omneis eiusdem fuere sententiæ, contra tamen factum est, & Senenses Ligniacensem Capitaneum sibi adsciuere promissa annua pecunia, cuius nihil tamen vmquam vidit. His sex septemue dies elapsi sunt, Rege Gynæceum vrbanum interea visente: Inibi reliquimus trecentos cataphractos, valde debilitatis nostris copiis. Pisas deinde ventum est transito Pogibonzio, Florentinorum castro, quos vero Senis imposuimus intra mensem eiecti sunt. Pene oblitus fueram Florentiam cum Regi obuiam iens venissem, visitasse quemdam Fratrem, quos vocamus, Prædicatorem, degentem in Monasterio Reformato: Homo e-
rat

rat ſanctæ vitæ, quintum decimum inibi iam annum condens; viſitanti mihi aderat Regiæ Aulæ præfectorum vnus, Iohannes Franciſcus, homo ſapiens cordatuſque. Vt eum conuenirem cauſſa fuit quod Regis noſtri fauore ſemper multa fuerat concionatus, adeo vt Florentini eius dictis moti à noſtris partibus non ſeceſſerint; non enim poterat maiori apud ciues auctoritate eſſe. Semper aduentum Regis affirmauerat, quicquid contra diceretur aut ſcriberetur, perhibens mitti à Deo caſtigandis Italiæ Tyrannis, neque quicquam venientem auertere aut ei reſiſtere poſſe. Prædixerat etiam Piſas introiturum eoque die Statum Florentinorum commoriturum, quod & accidit eo die Petro Medice expulſo. Alia multa pariter prædixerat vt acciderunt, vt Laurentii etiam Medicis exceſſum, palamque profitebatur diuina reuelatione hæc ſcire, Eccleſiæque ſtatum eſſe reformandum armis. Hoc nondum quidem accidit, prope tamen fuit vt fieret, nec ille nunc quoque alterius ſententiæ eſt. Plures vituperabāt quod de diuinis manifeſtationibus dicebat, alii credebant dictum. Ego probum hominem æſtimo. Percontabar ecquid rediturus ad ſuos eſſet Rex ſine ſui corporis periculo, cum tantum copiarum Veneti contraherent, vti ille melius ſciebat, meliuſque de omnibus me ipſo loquebatur, licet inde tam primum veniente. Reſpondit moram inuenturum in itinere, ſed honorem penes ipſum futurū, etiamſi centū ſolis hominibus comitatus foret, Deumq; qui dux fuerit venienti, non defuturū reducendo. Verum quia Reformandæ Eccleſiæ operam debitam non dediſſet, paſſuſque eſſet milites ſuos ſpoliare & affligere innocentem populum amiceque recipientes inſtar hoſtium tractari permiſiſſet, Deum in eum ſententiam ſtatuiſſe, breuique experturum ictum caſtigatoris: me autem indicare ei debere, ſi miſereri velit popu-

populi,& ſuos qua liceat ab iniuria innocentium milites continere,contraq; agentes punire, vt Officio Regio cōgrueret,ſententiam dictam reuocari poſſe, aut rigorem eius à Deo remitti. Non autem excuſari poſſe arbitraretur dicendo: Ego nemini nocui, mea opera nemo læſus eſt:adiecitq; ipſummet ad Regem profecturum eadēq; indicaturū,quod & fecit, reſtitutionemque Florentinis præſidiorum ſuorum ſollicitauit. Incidit perpendenti mors Delphini, cum de ſententia hac loquentem audirem, non enim videbam qua alia re Rex poſſet lædi vt vere doleret; Hæc autem iſto loco memoranda duxi vt manifeſto videatur omnem hanc expeditionē peculiari quodam Dei Myſterio adminiſtratam rectamq; fuiſſe.

CAPVT III.

Vt Rex in poteſtate retinuerit Piſas cum aliis Florentinorum oppidis, dum Aureliani Dux ex altera parte Nouariam, Mediolanenſis Principatus, ingreditur.

REx, vti dixi, Piſas venerat. Ciues eius ciuitatis tam mares quā fæminæ ſupplices ab hoſpitibus ſuis petiere apud eum intercederent ne ſub Florentinorum tyrannidem redire cogerentur,qui reuera peſſime eos habuerant, vt habentur multæ aliæ Vrbes per Italiam alteris ſubditæ, & cum hac Florentinis antequam edomaretur ad trecentos annos belligeratum fuerat. Hæ cum lacrymis ſupplicationes noſtros homines miſericordia commouebant vt obliuiſcerentur promiſſorum Regi iuratorū ad altare S. Iohannis Florentiæ; adeo vt omnis generis ſeſe miſcerēt negotio,ad Heluetios vſq; & gregarios milites. Hi minis aggrediebantur eos quos apud Regem adeſſe ſeruandis dictis promiſſis putabant, vt erat Cardinalis de San-Malo, quē alibi Præfectū Languedociæ appellaui, ei minatum audiui de vulgo militem quemdam.

Alii Mareschallo Guiensi satis crasse obloquebātur. Præses Gannæius amplius trinoctio non ausus est in suo sibi cubiculo pernoctare; super omnes fouebat rem Comes Ligniacensis; Pisani vero cum eiulatibus impotentibus venerunt in conspectum Regis, omnesq; ad commiserationem permouebant, modo iure ipsis adsisti potuisset. Quodam die à prandio collecti ad quinquaginta nobiles Aulici armati irrupere Regis cubiculum, qui alea tum ludebat cum Piennio præsentibus duobus aut tribus ad summum ministris, verba faciente Salezardiorum natu maximo Pisanorum nomine, & incusante non neminem ex modo nominatis, non paucis timentibus ne quid indignum Maiestate rex pateretur. Sed viriliter animoseq; eos submouit, nec postea tale quid actum est. Sex septéue dies opportuni temporis Pisis perditū est à Rege, ab his mutauit præsidiarium militem, Arciq; imposuit Entragueum hominem prorsus mali sinistriq; ingenii, ex ministris Ducis Aureliorum, à Ligniacensi commendatum, cui Berrianos milites adiunxit. Entragueus vero tantum effecit vt Petra sancta, (credo pecunia numerata) quoq; ipsi traderetur, cum altero quodam loco, Mortronio nomine. Accessit his etiā Librefactium prope Lucā. Castrū Serzanæ munitissimum à Ligniacensi notho Roussio ministro ipsius cōmissum est, vt alteri eiusdem sortis Serzanella, reliquitque Rex non paucos milites iis in locis, licet numquam indiguerit iis arctius, spreuitque auxiliares Florentinorum copias, quas obtulisse diximus, qui instar prorsus desperatorum mansere. Antequam Senis decederet nuntiatum fuerat Aurelianum Nouariam Sfortiæ eripuisse, quare certissimum sibi cum Venetis bellum enatum videbat, qui nuntiauerant eatenus abstenturos eo, donec Mediolanensem non læderet: quod si facturus esset, omnib⁹ copiis socio affuturos, ad quæ militem & multum & paratū habebāt. Sciendū autem

autem cum fœdus concluderetur Sfortiam conatum esse capere Astam, vbi nullius putabat defensionem offensurum; sed meis litteris fuerat effectum, vti memoraui, vt miles colligeretur, & submitteretur à Borboniæ duce, quorum primi fuere quadraginta Lancearii ex cohorte Mareschalli Guiæi, qui in Gallia remanserant, tum vero peropportune superuenerunt, cum Quingentis peditibus, à Marchione Salusio missis. Hi obstitere Sfortiæ copiis ductore Galeatio Sanseuerino Nomii castra ponentibus quod est Mediolanensis castrum duobus milliaribus Asta dissitum. Paullo post adfuerunt tercentum & quinquaginta Cataphracti Delphinates, & ad duo millia Heluetiorum Sagittariorumque pariter Delphinatium, vt copiarum numerus ad septem millia & quingentos exscenderet; magno labore collectus est hic miles, sed parum omnino profuit cui rei erat destinatus, nimirum ad succurrendum Regi; nam contra Rex ipsis succurrere coactus est. Aureliano scriptum fuerat cæterisque militiæ Principibus ne quid in Sfortiam molirentur, sed Astam modo seruare studerent, & obuiam Regi proficisci ad Thesinium vsque amnem, vt auxilio essent traiicienti, quo solo fluuio iter interpolabatur. Remanserat enim Astæ Aurelianus, nec vsquam inde Regem secutus fuerat. Non obstantibus tamen his mandatis tam ipsi saliuam mouit hæc Nouariæ occupandæ occasio, (decem Mediolano milliaribus id oppidum distat, vt eam conficeret; Exceptus est ab ciuibus tam Guelfis quam Gibellinis summa exsultatione, assistente pulcre Marchionissa Montisferrati. Arx obsidionem triduo tolerauit. Quod si interibi iuisset misisscue Mediolanum, vbi satis fauitorum habebat, etiam ampliore fuisset lætitia susceptus quam vmquam Blæsis in sua arce fuerat, vt ex Mediolanensium Procerum primis didici; & poterat sine discrimine res confici primo

mo illo triduo, copiis Sfortiæ adhuc Nomii desidentibus cum Nouaria caperetur, quæ quarto demum die adfuerunt: Fieri vero potuit vt nuntiis Mediolano acceptis non crederet Aurelianus.

CAPVT IV.

Vt periculosos plurimos montium anfractus Carolus inter Pisas & Serzanam fuerit emensus, ciuitas Pontremensis ab Germanis incensa, & quo pacto se gesserit interea Nouariæ Aureliani Dux.

SEnis Rex Pisas venerat, vti intellexistis, quidq; isthic ab eo actũ sit, Pisis Lucam se contulit. Lucenses incolæ humanissime eum exceperunt, biduumq; ibi transegit, inde Petram sanctam, Entraguco gubernatam, accessit, nullo hostium timore, neque eorum metu quibus illi confidebant. Transitus montium mirifice difficilis fuit inter Lucam dictumque oppidum, facilis vero defendi paucis peditibus, sed aduersarii nostri nondum copias contulerant. Iuxta Petramsanctam transitus est Seieriæ ex vno latere, petris manu incisis, ex altero lacus paludesque marinæ prorsus inuiæ, perque collem quemdam iter carpendum est stagnis vndique cinctum; quem ego callem inter Pisas Pontremumque situm omnium maxime metuebam, fama personante molestias. Qui enim transuersam rhedam limiti obiecisset, duobus tormentis oppositis facile angustiis nos exclusissent, paucis militibus contra omnem exercitum distenturi. PetraSancta Serzanam mouimus, vbi à Cardinali SanPetrino iniectum est, Genuam in rebellionẽ mouendã esse missis militibus. Res consilio deliberata est, me præsente, & bona bonorum hominum copia: Ibi conclusum est

omittendam esse eam molitionem; si enim Rex superior prælio euaderet, Genuam vltro se nobis delaturã, secus, nec ea opus esse. Eo loco primũ audiui mentionem prælii fieri, relatumq; ad Regem est de hac deliberatione. Non moratus ille nostras consultationes misit Genuam Bressæum, post Sabaudiæ ducem, Beaumontium, Poligniacũ, sororis meæ qui maritus erat Ambeiouium, ex familia Ambosiorum, cum centum viginti cataphractis & sagittariis quingentis recens mari ad nos è Gallia delatis. Stupebam tantillæ ætatis Regem non habere vel vnum aliquem fidelem ministrum, qui auderet ipsi ostendere periculum cui se implicabat: Mihi non videbatur prorsus fidere. Fuerat nobis minuta quædam classis Neapoli veniens Ducibus Miolensio, Gubernatore Delfinatus, & Stephano Neuesio, Monspeliensi. Octo in vniuersum nauigia erant, quæ cum Speciam venissent Rapalumque ab hostibus disiectæ sunt eo in quo iam versatur oratio, tempore, eoque loco quo nostri antea Alphonsi classem fugauerant, absque iis hominibus, qui pro nobis tum ré gesserant Ioanne nimitum Ludouico Flisco, & Iohanne Adornio; captæq; naues Genuam ductæ sunt. Qui bene nobis consuluisset, omnem coniunxisset vim militum, & sic quoq; minime paribus hosti futuris. Bressæus dictusq; Cardinalis in suburbia Genuæ se demiserunt, spe concepta quos intra ciuitatem suarum partium habebant, moturos seditionem, sed rei prospexerat Sfortia cum Adorniis moderatoribus Reipublicæ, & Flisco, qui est homo singulari prudentia fueruntq; nostri summo cædis periculo, instar maritimi militis, ob exiguum numerum maxime; neque alio res impedita est, quam timore inimicorum non ausorum mœnibus vrbis egredi, ne Fregosii absentibus regressum intercluderent. Sic summa difficultate Astam se retulerunt, nec prælio mox commisso, vbi opera ipsorum cõmoda fuisset, interfuerũt. Serzana Pontremum mouimus, illac enim transeundum erat, initium

capientibus montibus. Ciuitas atq; arx firmæ erāt, locoque cōmodo reſiſtendo: cui ſi induſtrius miles infuiſſet, nequaquā fuiſſet capta: ſed hoc quoq; loco manifeſte verum apparebat quod frater Hieronymus dixerat Deum Regē noſtrum manu ducturum ad vſq; loca ſecura; videbantur enim hoſtes eius excæcati prorſus eſſe & ſenſibus omnibus exuti, quod iſtas anguſtias non defenderēt. Inerant oppido circiter quadringenti pedites. Rex primā aciem eo miſit ſub Mareſchallo Gyæo, Ioanne Iacobo Treoullis, quem ex fugientis Fernandi miniſtris in fidem ſuam receperat, Nobili Mediolanenſi inſigni proſapia, probo, expertoq; belli viro, capitali Sfortiæ hoſte, à quo Neapoli exactus fuerat. Huius opera vrbs illico tradita eſt ſine tormentorum, emiſſis præſidiariis. Ingens ibi ſuperuenit incommoditas & indigna. Accidit enim idem Heluetiis, quod contigerat cum vltimo eo veniſſet Mediolani Dux. Certamen quoddam enatum eſt inter ciues & nōnullos Germāos, vt dixi: quorū ad quadraginta cæſi ſunt: hos vt vlciſceretur miles, ſpreta pacificatiōe iā inita, ciues omnes interfecit, ſpoliarūt oppidū, flāmaq, ædificia & victualiū copiā corruperūt, cum omni cætera ſupellectile, cum qua decem etiam ex ipſis ebrii interierunt. Gyæo poteſtas non erat tantam cladem ſuſtinendi. Abhinc obſederunt arcē vt caperēt qui intus erāt, miniſtros Troultii, quos impoſuerat ille, cum diſcederet præſidiū, eratq; neceſſe Regē vi illos munimentis caſtri abſpellere. Sane ingēs damnū fuit hui' loci deſtructio, tā ob indignitatē rei, quā ingentē victui faciētiū copiā, quæ nos deficiebat magis indies, licet incolæ nil hoſtile intētarent, niſi ſiquando cogerentur iniuriis noſtrorum ſe opponere. Sed, ſi rex voluiſſet Treultii conſiliis aurem præbere, bona pars Nobilitatis & oppidorum in partes noſtras veniſſet, ſuadebat enim Regi erigenda vexillis inſignia Ducis adoleſcentuli, quē Sfortia cuſtodia tenebat, filiū vltimo mortui Ticini Principis, de quo diximus

antea, Ioannem Galeatium. Abnuebat Carolus, Aureliani principis gratia, qui vindicabat iure, & nunc quoque ſibi vindicat, Mediolanenſem Principatum. Sic Pontremum reliquimus, & caſtra minuta quadam valle poſita ſunt, pago non ſupra decem ædiculis conſtante cuius nomẽ excidit. Vbi ſubſtitimus citra omnem cauſſam quinque diebus, ſtricta fame, triginta miliaribus à prima acie remoti, quæ præceſſerat. Circum aſperi altiſſimique montes erant, quos cum tormentis bellicis nemo vmquam homo tranſmiſerat, qualibus à nobis ſuperati ſunt. Galeatium Ducem quatuor minuta, quos Falcones vocant, quorum ſingulorum pondus quingentas libras non exceſſerat, tranſportauerat, magno incolarum miraculo qui viderant, & tum meminerant. Iam de Aureliano dicendum. Cum Nouariæ arcem cepiſſet, nonnullos dies deſedit, inde Vigeſuam profectus eſt. Duo aſſita oppidula miſerunt obuiam recipiendo præſidio, ſed ſapienter refutata eſt eorum occupatio. Ticinenſes bis paria petierunt: his fuerat obtemperandum. Aciem prælio diſpoſuerat ad Vigeſuam, vbi omnes morabantur Sfortianæ copiæ, Ducibus fratribus Sanſeuerinis, ſæpius hactenus memoratis. Ciuitas ipſa nullius momenti erat, infui enim ipſe paullo poſt Sfortiam cum ſuis copiis, oſtenſaque ſunt mihi loca, vbi in acie vterque exercitus conſtiterant, tam intra quam proxime mænia; quod ſi centum paſſus Aurelianus proceſſiſſet Theſinum amnem hoſtes tranſiiſſent, vbi ingẽtem nauibus pontem compegerant, ripiſque ipſi imminebant. Vidi colliculum terreum mox euerti ex altera fluuii parte, quem compegerant hoſtem ſequentem auertendi gratia, concluſerant enim oppidum deſerere; vt & Arcem; cuius amiſſio ingens ipſis damnum fuiſſet. Eo loco lubentiſſime omnium degere Mediolanenſis conſueuit, amœniſſima habitatio ob venationem &

aucupium, nullibi viſas commodiores. Poterat putare Aurelianus hoſtem firma loca inſidere, iamque ſe ſatis effeciſſe, itaque Trecaſium rediit, cuius loci Dominus paucis poſt diebus mecum locutus eſt, præerat enim nonnullis Sfortiæ negotiis. Trecaſiani miſerunt Mediolanenſium præcipuos ad Aurelium, vt eum & ipſi reciperent, oblatis in obſides liberis, quod feciſſent vtique neque difficulter, vt edoctus ſum à magnæ auctoritatis hominibus, qui inerant tum oppido norantque rem cumprimis; narrabant ii Sfortiam non ſatis copiarum habiturum fuiſſe quibus obſidionem intra Arcem Mediolanenſem tolerare potuiſſet; omnemque cum Nobilitatem plebem, nihil æque deſiderare, quam vt tota Sfortiarum domus aboleretur. Pariter mihi retulit Aurelianus cum familiaribus ſuis, ſed non fidebant ſatis incolis, deſtituti ipſi idoneo aliquo homine, qui conſilia moremque gentis melius ipſis internoſceret; adhæc Præfecti militares non erant tum vno loco aut ſententia. Copiis Sfortiæ duo interea Germanorum millia acceſſerunt, à Rege Romanorum miſſa Duce Federico Capelario, Comitatu Phirtenſi oriundo. Id auxit animos Sanſeuerino vt cum aliis Trecaſium accederet, acie prouocans Aurelianum. Sed diſſuaſus eſt conflictus licet noſtri hoſtibus plures haberentur. Adhæc neque Duces militum in diſcrimen ponere volebant copias, timentes cum iis amittere ſalutem Regis, cuius progreſſuum ignari erant, viis diligenter vndique inſeſſis. Sic omnis iſte exercitus Nouariam ſe retulit, inſigni imprudentia neglecta cura victui neceſſariorum, tam ſeruandis quæ habebant, quam parandis aliis, copia vndique verſum ciuitatem ſine pecunia parabili: vnde poſt mala maxima incurrerunt, inimicis ad dimidium milliare mox caſtrametantibus.

CAP.

CAPVT V.

Vt maxima Regiorum tormentorum vis montes Appennini transuecta sit, Germanorum subsidio; De discrimine in quo fuit Mareschallus Guyæus cum prima sua acie. Vtque Rex Fornuam venerit.

RElìquit Regem in pago quodam post relictum Pontremum oratio, commoratum ibi quinq;, sine omni caussa, diebus. Ibi rem honorificam Germani nostri confecerunt, qui pessumdederant Pontremum, metuebantque ne eius facinoris gratia perpetuo à Rege odio haberentur, sese ipsos obtulerunt ad transuehenda tormenta mirifica illa vltra montes via, pacti impunitatem admissi criminis. Mirificam sane viam dicere possum, cum montes aduersi asperi & recta velut linea ascendēdi sint, nullo calle aut limite parente, adeo vt Hispaniæ Italiæque cæteros, quorum præcipuos vidi, nihil difficultatis habere horum collatione affirmare velim. Quatuordecim erant immani mole tormenta; de pago vero dicto recta atq; ardua in exscensum via ordiēda erat, vt viderim mulos vix eluctari potuisse. Germani colligabant se firmis duo quiq; funibus, donec ordine ducendorum numerum explerent, qui si fatigati essent, substituebantur alii recentes: his adiungebātur equi ordinarii vectores earumdem molium, singulique Aulicorum Regis singulos suos præstabant, vt res promoueretur. Sed citra illā Germanorum industriā omnibus his nihil fuisset effectum. Isti autem homines non sola tormenta montes transtulerunt, sed omnem etiam reliquum exercitum, nō enim absq; his vllus militum transiisset. Vrgebat propria eos cupido emetiendarum difficultatum, & nemo cæterorum animosis non addebat spiritumq; & operam. Toto itinere non pauca malefecerunt, sed benefactis longe omnia

mnia ſuperabant. Non tamen difficilima rerum erat ad-
ſcenſio; poſt enim montes offendebatur vallis, natura e-
nim illam viam fecit inuiam, equiſq; contra arduum ni-
tendum erat & hominibus, deſcenſuſque citra compara-
tionem infeſtior erat exſcenſu, aderantque continue fa-
bri ferrarii lignariique, ſi enim caderet quædam moles,
aut rumperetur quidquam, reficienda erāt damna. Plu-
rimi ſuadebant maxima tormenta in minutiora redige-
re, ſed nullo genere Rex conſentiebat. Gyæus qui trigin-
ta nos milliaribus præceſſerat vrgebat accelerare Regē,
triduumque inſumſimus priuſquam ad eum veniremus,
iam à fronte prope inimicos habentem. Caſtra ii poſue-
rant in campeſtribus amœnis dimidio à noſtris milliari,
quos ſi irruiſſent, profligaſſent vtiq; facile. Poſt eos dies
Fornouam ad pedem montium caſtra poſuit, vocabulo
nouum foramen indicante. Pedi montis aderat bellus
pagus, in quo noſtros deſcēdentes ab hoſtium incurſio-
ne defendere poterat; ſed nobis cuſtodia quam ipſi me-
lior erat. Deus enim aliorſum hoſtiū cogitationes auer-
tit, tanta eos excæcante auaritia, vt nos in planis ſpatiis
exſpectandos arbitrarentur, ne quicquam ſcilicet prędæ
elaberetur. Cenſebant enim retro montes Piſas nos fuga
aut alia Florentinorum oppida recurrere poſſe, ſed de-
cipiebantur, longius enim aberamus, adhæc ſi ad con-
flictum vſque citra illos præſtolati fuiſſemus, nihil ob-
ſtitiſſet quin perſequendo eadem quæ nos fugiendo
ſpatia confeciſſent, accedente ipſis viarum notitia, nobis
ignararum. Hactenus ex noſtra parte bellum non fuerat
inceptum; ſed Guyæus Regi nuntiauit vt montes tranſ-
miſſi eſſent, vtque ipſe quadraginta equitum turmam
ad caſtra hoſtium miſiſſet, vt reſciret quid ageretur,
eos bene fortiterque à Græcis mercenariis, Stratiſtas
vocant, exceptos eſſe, qui vnum ex iis, Tauri nomi-
ne, peremiſſent, caputque conto præfixum Proui-
ſori,

ſori, quem dicunt, portaſſent, vt Ducati vnius præmiũ caperent. Stratiotæ iſti inſtar Ganizarorum ſunt Turcicorum, pedites equiteſque horum habitu incedentes, capite excepto, quo iſti non geſtant pileos teniis conuolutos, quos Turcæ Tollibanos indigitãt. Homines aſperi, ſub dio cum equis omnem anni tempeſtatem degere ſueti. Omnes ſunt Græci, ex regionibus Venetis ea in terra parentibus collecti; nonnulli ex Neapoli & Romania in Peloponneſo; alii Albania, iuxta Dyrrachium oriundi: Equos habent bonos & vtiles, Turcicos omnes. Veneti his multum vtuntur & confidunt. Venetiis omnes videram in terram exponi, & militiæ ſub rudimentis præſtitis adſcribi in minuta quadam inſula, vbi eſt Abbatia San Nicolai: mille quingenti numero erant, fortes cumprimis validique viribus, maximo quas incurrerint damno copias affecturi. Stratiotæ fugientes ad Mareſchalli vſque tentoria perſecuti ſunt, vbi erant Germani, quorum tribus quatuorue demta capita retulerunt ex more ſuo: Venetis enim cũ Turca belligerãtibus huius pater qui nunc eſt Imperator, Mahometus Othomanus nomine, vetuerat ne miles ſuus quemquam hoſtium caperet, pollicitus in capita occiſorum Ducatum. Veneti par pari retulerunt, putoque noſtris terrendis hoc tum actum, quod & ſucceſſit, ſed viciſſim Græci homines mirifice tormentorum violentia & magnitudine perculſi ſunt. Falconum vnus, quos vocari diximus, aliquando ex equis eorum vnum interfecit, quo caſu ſubito omnes pedem retulerunt, inſueti talium; dumque regrediuntur ceperunt vnum ex Germanis ducibus, ſpeculatum quo refugerent, progreſſum: cum lancea corpus traiectum, vt inuenerant inermem, ad Ducem Mantuæ, Venetorum Imperatorem, duxerunt, præſentibus etiam Rodolpho huius agnato, Comiteque Caiazzio, Mediolanenſium copiarum ductore, qui Ger-

Germanum iſtum nouerat. Erat homo prudens & cordatus. Omnis vero exercitus hoſtium, certe qui conuenerat, iis campis, aberant enim alii, iam octiduum totum caſtrametabatur, exſpectantibus ſocios ducibus: quod ſi perperam in via Rex non ſubſtitiſſet, ſine vllo diſcrimine in Galliam rediiſſet, ſed Deus aliter rem conducebat. Gniæus metuens irruiturum hoſtem montem adſcenderat, ducens Cataphractos centum ſexaginta, octingentoſq; Germanos, nec amplius, vt ipſe mihi retulit: à noſtris ſuccurri ipſi non poterat, ſeſquidie enim poſt aduenimus, tormentis impediti trahendis. Rex adueniens in domibus quorundam regulorum hoſpitatus eſt. Prima acies cum montem adſcendiſſet, vt exſpectaret quos in campis videbant, ſatis longe diſtantes, non erant extra ſummi periculi metum. Deus tamen cui ſemper cordi noſtra erat ſalus, ſenſum hoſtibus exemit; interrogatuſq; à Comite Caiazzio eſt captiuus Germanus noſter, quis duceret iſtas copias, quis earum eſſet numerus: nouerat enim omnia nobis ipſis melius, qui omne expeditionis tempus nobiſcum fuerat: Germanus numerum lōge maiorem ementibus, trecentos cataphractos & mille-quingentos Heluetios eſſe dixit, quem coarguit Gaiazzius, toti militiæ Regis non ſupra tria millia Heluetiorum inesse affirmans, itaque dimidium roboris non fuiſſe illac dimiſſuros, miſſuſq; eſt in cuſtodiam ad tentoria Imperatoris, vbi de aſſiliendo Gniæo conſultatum eſt, credente de numero homini Mantuano, & affirmante pedites ipſorum longe noſtris cedere Germanis, neque dum omnes coiſſe copias, ſine quibus nullo iure ad conflictum vrgerentur, Senatum ægerrime laturum, ſi quo modo ſecus res caderet: Sic præſtolandum eſſe in campeſtribus hoſtem, qui aliunde quam contra ipſos deſcendere non valerent: huic duo Prouiſores adſtipulabantur, ſine quorum aſſenſu non audebant prælium committere. Alii in-

ferebant prima hac acie profligata captum esse Regem; tamen nō difficulter omnia eo conuenere vt in camporū planitie exspectaretur hostis, nemine non autumante elabi nostros minime posse. Hæc intellexi ex iis ipsis quos modo nominaui, contulimusque super omnibus sermonem ego & Guyæus cum iis, post vbi conuenissemus. Sic in castra sua reuersi sunt certi sequenti die Regem montibus emensis descensurum, & Fornoui castrametaturum. Interea omnes eorum reliquæ copiæ aduenerunt, neque poteramus nisi iuxta eorum copias iter persequi, ita stricti erant locorum limites. Descendētiū oculis sese obtulerunt planities & Campestria Lombardiæ, regio omnium toto mundo pulcerrima atq; amœnissima fertilissimaq;. Plana autem licet sit equitatu: tamen perincōmoda est, omnia enim fossis dissident, instar Flandriæ, licet longe illa sit vberior tellus, fertiliorque tam omnis generis frumenti quam arborum vinearumq; prouentibus; neque otium à frugibus ferendis humus vmquam poscit. Summopere conspectus iste nos affecit ob immanem famem aliasque molestias à Luca vsque eo toleratas. Sed tormenta denuo mirifica nobis deducenda fecere incommoda, tam viæ rectæ erant, & difficiles. In castris hostium magna vis parebat tentoriorum & tabernaculorum, speciem ingentium copiarum præferens. Nec vero reipsa exiguæ erant, facessentibus Venetis quod per me Regi indicauerant, cum Duce Mediolanensi quadraginta millium copias confecturos: hæ si non aderant, non multæ tamen deerant, vt triginta quinq; millium numerum ex vero dixisses, quorum quatuor partes vtiq; Venetis merebant, reliquo Sfortiæ adscribendo. Cataphracti inerant duo millia sexcenti, toti armis cum equis obmuniti, singulo quatuor ducēte. Leuis armaturę eques cum Græco quinque millia faciebat; cætera pedestris copia erat, & castra loco tum bene vallato obductoq; tum tormentis congrue instructi posuerant. Meridiem circiter

monte Rex deſcendit, inq; dictum pagum Fornouam ſe contulit, quinto Iulii die, anno Chriſtiano M. CCCC. XCV. qui erat Dominicus dies. Pago inoffendimus bonam vini farinæq; ſupellectilem, vt & pabuli equini copiam. Incolæ vbiq; humaniter nos excipiebant, neq; cōtra quiſq; ꝓbus ipſis nocebat, parabantq; panē, nigrum licet exiguumq;, quem magno pretio vendebāt, vinoque tres aquæ portiones miſcebāt. Etiā fructuum parum aliquid attulerunt, exercituiq; grata ꝓ poteſtate fecerūt omnia. Quæ emi mihi iuſſeram, nondū attingebā, ſuſpicio enim ingens erat eam copiam hoſtē ibi reliquiſſe ad noſtros venenandos, neq; erat qui guſtaret primo intuitu quicquam; Duo Heluetii ſiue copia ingurgitati humoris ſiue frigore intra cellā quamdā mortui ſunt; vnde aucta eſt ſuſpicio: ſed ante mediam noctē equi primi pabulum ſumſerunt, poſt homines, omnibus bene animatis. Sane honorifice in his rebus Italorū meminiſſe conuenit, nullibi enim aliquo toxico eos contra nos vſos cōperimus, quod ſi hoc noſtro itinere feciſſēt, ægre euaſiſſemus pernitiem. Die igitur media Dominica appulimus, & plurimi illuſtres viri nil comedere præter buccam panis, cum Rex deſcenderet & biberet, non enim habuiſſe alios cibos tum exiſtimo, nemine adhuc guſtare hoſtilis terræ dapes audente. Statim à prandio nonnulli Stratiotæ excurrere in caſtra vſq; noſtra vbi ingentē tumultum confecerunt, nondum noſtris hominibus noti. Igitur omnes copiæ in patentes cāpos proceſſerūt, pulcerrimo ordine, tribus aciebus inſtructæ Prima, media, & poſtrema, nec diſtabat toto globi iactu ab altera altera, vt optime inuicē ſe tuerentur. Sed nihil eſt effectum, & ad ſe quiſq; rediit. Nobis tentoriorū exiguus numerus erat, & admouebantur pene hoſtilibꝰ, quare viginti equites tumultu omnia perciere poterant; neq; à limitibus caſtrorum noſtrorū Stratiotæ diſcedebāt, vicino n. ſaltu tegebātur, eramuſq;

inter duos colles in valle, quã findebat amnis, vado permeabilis, si non augeretur montanis imbribus, quod facile accidebat, sed nõ durabat plerumq; diu, quales torrentes dicimus. Tota ipsa vallis intersita saxis equitari erat incõmoda, ad quartam milliaris partem in latitudinem patẽs; dextro latere considebant hostes, vt in conspectu ipsorũ transire necesse haberemus, inter vtrosq; amne decurrẽte; neq; aberãt vltra dimidiũ à nobis milliare. Alia via ad læuum latus patebat aduersis montibus adscẽdenda, sed ea dixisses te regredi, non progredi. Biduo ante dictũ mihi fuerat vt ad hostes irem collocutum, sapientioribus n. suboriri metus incipiebat, mecumq; ducerem aliquem, eo melius eorum res cogniturus. Nõ lubenter hoc in me onus suscipiebam, neq; sine accepta fide citra summum periculum poteram: Respondi itaq; cũ Prouisoribus mihi initam amicitiam cum Venetiis discederẽ, quã vespera Patauium venissem: itaq; putare me non ægre colloquio admissuros medio inter castra opposita loco, quod si in eorum vltro munimenta procederem, aucturum nimiopere animos, remq; mihi tardius iusto esse mãdatam. Ea Dominica die scripsi Prouisoribus Lucæ Pisano & Melchiori Treuisano, orans vt fide data alter ad me veniret, vt obtulisset cum Patauio discederemus, memorato modo. Responderunt lubenter fuisse facturos si in Sfortiam nihil hostile admisissemus: eo tamen neque obstante alterum ex duobus, vti spondebant, quodam media via loco affuturum esse: eam responsionem eius diei sero vespere recepi. Nemo æstimabat hæc eorum quibus Carolus fidebat. Metuebam itaq; nimiũ oneris in me recipere, irique pusillanimitati imputatum si rem vrgerem, itaque ea vespera ita omnia demisi, licet cupidissimus esse extrahendi Regis inde cum copiis, si potuissem, citra periculum. Mediam circiter noctem retulit mihi Cardinalis de San Malo, à Regis colloquio veniẽs, vt erant ipsius & meum iuncta tentoria, decreuisse eum sequenti mane

diſcedere, iuxta caſtra hoſtium inſtituto itinere, quibus tormenta nonnulla inmittere vellet, prælio incipiendo; mox autem perrecturum. Mihi videbatur hoc conſilium ipſius Cardinalis eſſe, vt hominis ignari de talibus vtile quid proponere: Regi autem conueniebat prudentium hominum conſiſtorium cogere, militiæq; expertium ſequi ſententiam. Sed conſueueram iam cõtrarios decretis in hac expeditione effectus exſpectare. Cardinali reſpõdi; ſi tam prope caſtra hoſtiũ accederemus, vt ictibus tormentorum ea tangere poſſemus, non eſſe opinandum citra conflictum poſſe euadi, neq; enim vtrimque paratum militem contineri valere quin tali caſu ad manus veniatur; ad hæc cæpto à me negotio hæc eſſe prorſus aduerſa; diſplicebatq; valde mihi hoc modo rẽ eſſe gerendã. Sed negotia mea ab initio Regni huius Principis talia fuerant, vt non auderem immiſcere conſilium, ne me exoſum redderẽ ijs quibus omnia credebat Carolus; quod quidem eo modo faciebat, vt nimia cõfidentia plerumq; peccaret. Eadẽ nocte duobus etiã tumultibus inquietati ſumus, quia nulla ratione incurſibus Stratiotarũ ꝓſpexeramus, vt res poſcebat, moriſq; eſt vbi leui hoſtis equitatu valet. Viginti n. Cataphracti noſtrates cũ ſuis ſagittariis nullo negotio inhibeant ducentos Stratiotas, ſed animis noſtrorũ res adhuc noua erat. Mirifica etiam vis imbriũ ea nocte fuit cum fulgetris & tonitribus vt maior non poſſet, viſis cœlo terraq; dehiſcere, aut prodigia inſtãtis alicuius ingentis mali cœlitus dari. Eramus enim in pede maximorum montium, æſtate, idq; locis præferuidis: licet vero eſſet naturalis hæc res tota, terrifica tamen vis tempeſtatis erat, & periculi ingentis plena, accedente tanta ex aduerſo hoſtium poſita copia, quos tranſire non erat ſpes vlla niſi prælio decertantibus, ad quale noſtræ acies nimium quã minutæ erant. Tam enim bonorum quam malorum pugnatorum, non habebamus

ſupra millia nouem, quorũ duo miniſtri Nobilitatis Procerumq; faciebant; non tamen famulis aut iumentorum curatoribus, aliiſue talibus adnumeratis.

CAPVT VI.

De Conflictu Fornouenſi, fugaq́ hoſtium Galliæ, vtque Comes Petilianus ex cuſtodia noſtra eo die elapſus, fugientes eos recollegerit.

LVnæ die ſequenti bene mane generoſus noſter Rex equum adſcendit, iteratiſq; nuntiis me ad ſe vocauit. Veni, offendiq; eum totũ armatum, in equo omniũ quos meo tempore viderim pulcerrimo, qui Sabaudia appellabatur. pleriq; dicebãt Breſſæ natum eſſe; acceperat autem Rex dono à Carolo Sabaudiæ Duce. Niger erat colere, vnoculus, mediocri ſtatura, ſed reſpõdente eius qui inſederat. Tum adoleſcens hic homo plane aliũs videbatur quam natura ipſius & conditio ingeniumq; ferrent. Erat enim valde timidus loqui, & nunc etiam talis eſt. Sic & in magna formidine fuerat educatus conſortio humilium hominum: tum autẽ in equo ſuo apparebat ingẽs, vultuq; bono, colore cõgruo, verbis audacibus & ſapiẽtibus; vt coram cerneretur quod frater Hieronymus dixerat Deum manu eum ducturũ, eiuſq; tũ mihi dicti memoria erat, vt & ꝙ moleſtiam in itinere habiturũ, euaſurum tamẽ cum gloria adiũxerat. Mihi dixit, ſi hoſtes vellet colloqui vt copiam iis facerẽ, Cardinali, quia præſens erat, & Mareſchallo Gyæo nominatis: hic vero nõ æquo erat animo ob diſſidium inter Comitem Narbonenſem & Guiſium, qui duxerat aliquando ordines, omneſq; dicebant eum debere primæ aciei præeſſe. Reſpondi: Domine, quod in me erit lubens faciam, tamen non memini vmquam videre tanta agmina tam prope cõueniſſe, & ſine cõflictu diſceſſiſſe. Sic armatæ omnes copiæ prodierunt, juxtaq; mutuo ſeſe, vt præcedenti die, conſtiterunt.

runt. Conferenti mihi autem robur, nostri nimium quã-
tum inferiores videbantur, præcipue si arbitrarer qua-
les sub Burgundiæ Duce, & Ludouico Rege videram.
Tum secessione facta Cardinalis dictus & ego dictaui-
mus litteras ad Prouisorem memoratum, scribente Ro-
berteto Secretario Regio, cui Carolus fidebat. Cardina-
lis caussabatur sui muneris officiiq; esse paci procuran-
dæ adesse, pariterq; idem mihi incumbere, vt qui recens
Venetiis Orator adessem, itaq; & nunc mediatoris loco
functurum. Rex significabat hostibus nihil quærere
quam itineri suo insistere, nulli nociturum. Quapropter
si venire collocutum vellent, vt exorsum esset die præce-
dente, eadem nos sententia esse, omnia bona audituros
& dicturos. Tum vndiq; præliari miles orsus est, cum nos
pedetentim iter nostrum sequeremur in facie hostium,
intersito fluuio, vix quarta parte milliaris inter acies me-
dia, vtrinq; secus instructas. Hostium moris erat castra
semper eousq; protendere, vt intra ea instructis aciebus
possint consistere. Miserant iidem Stratiotas, sagittariosq-
que Equestres, Cataphractosq; nonnullos tecto itinere
occupatum eum pagum quem nos reliqueramus, ibique
fluuium trãsiicere, vt nostra impedimenta diriperent, sa-
ne opulẽtissima: Erant enim supra sena millia equorum,
mulorum, asinorum; tam vero circumspecte aciem suã
instruxerant, vt non posset fieri melius, vt sæpe præteri-
tis diebus fecerant, confidebantq; ingenti suo numero.
Regem eiusq; copias aggressi sunt vndiq; circum, ea ra-
tione vt nec vnus homo effugisset, si semel impulsi fuis-
semus, ita situs erat locus. Ii quos dixi impedimẽta nostra
inuecti sunt retro nos; à læuo latere ingruebat Marchio
Mantuanus cũ agnato suo Rodolpho, Comite Bernardi-
no Dalmoutóio, omniq; flore militiæ, cataphractis sexcẽ-
tis cõstante, vt ipsi mihi post retulerũt. Cataphracti cæte-
ri firmissime armis obmuniti cum Stratiotis, Sagittariis
equestri-

equestribus, & peditatu recta in terga nostrorum ibant. Contra Guiæum & primam aciem se obiiciebat Comes Caiazius cum quadringentis pariter cataphractis stipatis, vt supra diximus, ingentique peditum copia. Cum eo erat & alia ducentorum Cataphractorum acies Duce Iohanne Bentiuolo Bononiensi homine adolescente tum primum tirone, vt æque atque nostri egerent idoneis ductoribus. Huic imperatum erat primam nostram aciem post dictum Comitem aggredi; parique agmine Marchionis Mantuani legio stipabatur, ductore Antonio Vrbinio, Vrbini quondā Ducis notho; in castris autem reliquerant instructa duo non exigua agmina. Hæc rescii ex iis ipsis, pridie enim collocutus sum, & meis oculis vidi. Veneti autem vni aleæ omnia permittere non erant animati, neque castra periculo exponere, licet melius tum fecissent omnem militem conflictui, postquam cepissent, educere. Deseram paullum has res vt quid nostris litteris actum fuerit recenseam; quas per tubicinem quemdam ad hostes misimus. Prouisores eas receperunt, cumq; legissent, nostra tormenta infesta displodi cæperunt, eatenus nihil ausa, quam illico eorum secuta sunt, sed longe nostris inferiora. Tubicinem dicti homines extemplo remiserunt, iuncto Marchionis vno, dicentes velle colloquium procedere, sed vt tormentorum ictibus abstineretur. Longius tum à Rege aberam, qui obequitabat hinc inde, itaq; ambos tubicines remisi dicens nostros cessaturos, idq; mandatum Præfecto dedi Tormentariorum. Sic vtrinq; parumper silentiū fuit. Illi autem subito vnum ictum emiserunt. Tum crebrius quam ante nostri repetierunt suos, tribus tormentis studio electis. Tubicinibus reuersis, noster captus & ad Imperatorem deductus est, deliberaruntque confligere. Tum Comes Caiazius dixit, vt retulerunt qui adfuere, non iam esse colloquendi tempus, nos enim iam dimidio

dio opere victos eſſe. Vnus Prouiſorum ei aſſenſus eſt, à quo ego audiui iſta, alter non; etiam Marchio pugnam volebat; ſed prudens probuſque homo agnatus eius, ſummis viribus contra nitebatur, amans alioquin noſtri & inuitus contra militans. Ad finem prioribus omnes aſſenſerunt. Sciendum vero Regem robur omne militiæ ſuæ in primam aciem collocaſſe, qui erant circiter trecenti quinquaginta Cataphracti, triaque Heluetiorum millia, ſpes omnis noſtrarum partium. His pedites iunxit relinquere equos iuſſos tercentum Sagittarios de cuſtodia corporis ſui, vnde ipſi magna ſolitudo ſuperuenit, nonnulloſque ſagittarios equeſtres, quorum ducentos eidem muneri alebat. Cæterorum peditum pauci erant, quod erat tamen, eodem miſſum eſt. Ei peditatui cum Germanis intererat Engilbertus Ducis Cliuiæ frater, Lornæus, & Balliuus Diuionenſis, Germanorum Ductor, præcedentibus tormentis. Hic indigebamus non leuiter iis quos in Florentinorum ciuitatibus reliqueramus & Genuam miſeramus nullo non diſſuadente. Hæc prima acies iam ad hoſtilium terminum caſtrorum proceſſerat, opinantibus noſtris eos prælium cæpturos; cæteræ noſtræ turmæ non erant tam propinquæ nec aptæ alteri altera adſiſtere, vt fuerant die præcedente. Et quoniam Mantuanus iam amnem tranſiecerat, tergoque noſtræ vltimæ aciei ad quartum milliaris ſpatium imminebat, procederentque in nos denſi cunei vndique minutis paſſibus, quod ſpectaculum erat eximium, Rex coactus eſt tergum primæ aciei, faciemque hoſti obuertere, & appropinquare vltimæ. Ego cum Cardinali tum eram exſpectans etiamnum reſponſum, dixique videre me non amplius eſſe deſidendi tempus, properauique ad Regem, tranſmiſſis Heluetiorum cuneis. Perdidi ibi ex miniſtris, agnatum mihi, & cubiculariorũ vnum cum curſore, qui paullo longius me ſequebantur,

 neque

neque vidi cum occiderentur. Non feceram centum passus cum tumultus exortus est illic vnde ego veniebã, paullo certe à tergo mihi spatio. Hi erant Stratiotæ qui diripiebant sarcinas nostras, quo loco Regis hospitium fuerat, quattuor domuncularum villula, occisis vulneratisq; quatuor aut quinq; hominibus, reliqui elapsi sunt. Occiderunt pariter ad centum agasones, & impedimenta turbauerũt. Cum venissem vbi Rex erat inueni equestri dignitate nonnullos donantem, hostesque iam prope ipsum erant, plane inopportuno commorandi ibi tẽpore. Audiui nothum Borboniũ Matthiam, Regi carissimum, & Philippum Molinæum, Nobilitatis infimæ virum qui inclamabant eum, dicentes; cede Domine, cede, produxeruntque eum ante aciem suam & Vexillum, vt iam nemo ei hostibus vicinior adesset, solo Borbonio illo excepto; nec erat elapsa quarta horæ pars ex quo superueneram cum nec centum passibus hostes abessent; vt credam nullum vmquam Principem aut Regem peius ductum custoditũue à suis fuisse. Sed bene omnino seruatur quẽ seruat Deus, eratq; vera prorsus prædictio venerandi illius fratris Hieronymi, sæpius nobis memorata, cælitus manu eum duci. Vltima ipsius acies ad manũ dextram paullum ab ipso recesserat, proximas autem ei turmas ducebant Robinetus Framecellius, Aureliani Ducis ad octoginta Lanceariorum ductor, & Tremouillius cum quadraginta eiusdem armaturæ, cum centum Scotis sagittariis, qui densatis se cuneis inferebant, vt fortissimi milites. A latere læuo ego erã vbi Coronatorum viginti, quos vocant, Nobiles cum aliis Aulicis & stipendiariis Regis versabantur: Omitto nominare Ductores, breuitatis studio, Comes autem Foixius vltimam aciem gubernabat. Quadrante, vt dixi, horæ, ex quo veneram, Rege tam propinquo hostes infestis hastis rem aggredi cæperunt, equos in cursum propellentes. Duæ eorum

turmæ

turmæ nostrarum totidem inuectæ sunt ad dexteram manum, cum sagittariis Scotis. Nostri pariter procurrerunt, interq; eos Rex. Læuo latere, vbi ego eram, non in frontem, sed in transuersos ipsos sumus illati, magno nostro commodo, nec poterat fortius res geri vllo modo quam fiebat vtrimq;. Stratiotæ, vltimi ordinum hostilium, videbant fugere mulis & sarcinis ad nostram primam aciem, sociosque suos omnia iam tenere: eodē igitur prouecti sunt relictis cataphractis, quos sequi debebant, incomitatis. Quod si mille quingenti leuis armaturæ milites nobis se miscuissent, acinaces strictos manu tenentes, quod est gladii terribile genus, perpensa paucitate nostra, procul dubio omnes fuissemus in fugam cōpulsi. Deus hoc nobis auxilio affuit. Extemplo autem ictibus hastarum finitis Itali se omnes in fugam verterūt, inque latus se abstulit peditatus vel totus, vel maximam partem. Eo ipso momento quo nostros incurrerunt isti, Comes Caiazius primam aciem aggressus est; sed non tā densis ordinibus concursum ibi est, cum enim tempus esset hastis aptandis, pauore capti sunt, & sese ipsi turbauerunt. Viginti circiter indidem captos Germani occiderunt, cæteris male nostri institere, Guyæus enim magnopere studebat iunctim suos continere, quod cerneret prope adhuc densas hostium turmas. Tamen nonnulli fugientes persecuti sunt, quorum pars ea via erupit qua nos cōflixeramus, manibus tenētes gladios, hastas enim abiecerant. Notandum est hic eos qui Regem fuerant inuecti, illico pariter terga vertisse, quos prorsus egregie & fortiter noster vniuersus miles insecutus est. Alii ad pagū fugiebant, vnde nos veneramus, alii recta in castra propinquiora, omnibus persequentibus, solo Rege excepto, qui cum paucis suorum remansit, exposuitq; se ingenti periculo, non profectus nobiscum. Inter primos homines qui ceciderunt fuit Rodolphus Mantuanus, agnatus Marchio-

Marchionis,qui debebat indicare Antonio Vrbinati,vbi tempus esset ipsum progredi,putabant enim conflictũ duraturum more Italico, quo pacto excusauit sese idem Antonius; sed arbitror nullum ei nuntium aduentus venisse. Ingens nobis copia famulorum ministrorumque erat, qui cingebant densatis agminibus cataphractos Italos leui armatura destitutos, & maximam eorum partem cædebant. Singulis fere secures erant lignis cædundis,quibus frangebant galeas armatorum,& repetitis ictibus capita feriebant. Aegre enim occidebantur ob armaturæ densitatem, neque vllum vidi confici nisi à tribus quatuorue hominibus vndique eos pulsantibus. Etiam prælongi gladii famulorum sagittariorumque nostrorum bene rem gesserunt. Rex paullum commoratus est in loco vbi hostes eum fuerant aggressi, dicens nolle sequi fugientes, neque primæ aciei accedere,quæ videbatur retrocessisse. Destinauerat custodiæ corporis sex septemue nobilitatis Gallicæ adolescentes, qui numquã à se decederent. Primo discrimini pulcre fuerat elapsus, cuius intersuerat primis, nothus enim ibidem Borbonius captus est non vltra viginti à Rege passibus, inque castra hostium deductus. Sic igitur eo loco tam paucis comitatus versabatur, vt iam non adessent præter vnum Cubicularium, Antonium Ambusium,inermem fere exiguumque hominem, cæteris paullum vltra dispersis, vt ipse vesperi eius diei mihi narrauit coram iisdem,quibus pudendum erat tantum Principem ita destituisse: superuenere tamen tempori, cum iam parua quædam turma fugatorum cataphractorum, quæ ad aggerem proximum procedebant, videns nullos ibi defensores, in eo essent vt cum Antonio Regem adorirentur. Regi, ad ipsius commoditatem, lectissimus erat equus, in quo hinc inde vertebat sese, & strenue defendebat; tempori autem, vt dixi, aduenerunt eius milites, non longe remo-

ti,

ti, tum Itali dedita opera profugerunt. Rex tum suadentibus cessit, & ad primam aciem se contulit, quæ loco numquam se mouerat, opportune quidem Carolo: sed si illa cẽtum passibus processisset omnis hostium exercitus in fugam fuisset coniectus. Fuere qui dicerent ita facere eam debuisse, alii negauerunt idem. Nostri qui sequebantur fugientes ad terminum usq; castrorum decurrere hostilium, qui Fornouam usque pertingebat, neq; vidi quemquam nostrorum percuti præter Iulianum Burganouium, quẽ mortuum procidere ictu ab Italo in transitu recepto, cum male armatus foret, conspexi. Eo vero loco conclamatum est, eamus ad Regem; ad quam vocem constitere omnes ad equos ex cursu reficiendos, fame defectos, ita strenue longeque procurrerãt, malo impeditoq; itinere. Iuxta nos transiit fugientium quoddam agmen, triginta forte Cataphractorum, quos nemo cõpellauit, incertis omnibus qui essent. Cum primum anhelitum equi recepissent, viæ nos dedimus Regem versus, grandi quidem passu; non longe vero prouecti eminus eum sumus conspicati: itaque iussimus descendere famulos & lanceas campo dissitas colligere, quarum magna ibi erat copia, pleræq; tamen leues futilesq;, quamlibet fabrefactæ, pictæq; diuersis fucis. Sic recta ad Regem profecti sumus. In via offendimus etiam peditum hostilium turmam, campum transmeantem, qui ex iis erant qui abdiderant sese, Imperatore in Regem perducto, Plurimam partem interfecimus, cæteri elapsi sunt, non magnopere nobis laborantibus. Inter confligẽdum ex nostris aliqui iterauerãt clamorem; Mementote Guinegatis: id fiebat ob perditũ prælium contra Regem Romanorũ tempore Ludouici Vndecimi, cum impedimẽta diripuissent nostri. Tum vero nihil direptum spoliatumue est. Stratiotæ ex sarcinis cæperunt quæ voluerunt, non tamen præter quinquaginta mulos abduxerunt,

optimos quidem & pretiosissime stratos, Regis proprios; eiusq; Cubiculariorum, cum vno Cubiculario Gabriele nomine, qui vehebat sacras res longo tempore Regibus Galliarum seruatas, tum vero ob præsentiam in expeditione Caroli subuectas. Ingens aliarum sarcinarum numerus amissus est sparsusque, & à nostris ipsismet direptus, hostes vero præter dictos mulos nihil habuere. Nostra castra multi lixæ meretricesque pedibus sequebantur, qui supplebāt ad damnum exiguum occisorum numerum. Tam hinc quam inde prope veritatem calculum ponam dicendo, vtrinque re explorata didicisse, ex nostris cecidisse Iulianum Burgnouanum, Capitaneū ostii Regis, vnum ex Nobilibus Viginti-Coronatorum, nouem Scotos sagittarios, viginti alios ex prima acie equites, circa impedimenta ad octoginta famulos & muliones: Hostium trecenti quinquaginta cataphracti in campo prælii peremti sunt, neque vllus captus est, Id quod forte in nulla alia pugna contigit. Stratiotæ pauci occisi sunt, ii enim direptioni sarcinarum sese dedere. Summa omnium cæsorum fuit tria millia quingenti homines, vt plurimi hostium Proceres mihi narrarunt: alii plures finxerunt. Cæsis tamē interfuerunt illustres viri, quorum vidi schedium, octodecim; quinque iuuentis de familia Gonzagarum, Marchionis Mantuani; cuius de territorio ad Sexaginta nobiles periere, omnes stipendia facientes equestria. Certe magna res est tot milites manu cecidisse, tormentis enim non crediderim vtrinque duos confectos; neque vltra quadrantem horæ prælium durauit, ex quo fractæ abiectæue hastæ fuerant, omnes diffugerunt: Persecutio fugientium quadrante demto horam fecit. Conflictus Italorum non consueuerunt esse tales, fieri enim solent turmatim, vt prælio sæpe integer dies insumatur, neque pars tamen vel hæc vel illa superet. Fuga hostium fuit ingens, Cataphractis Stratiotisque

tiotiſque pleriſq; terga vertentibus: horum alii Regium delati ſunt, longe à prælii loco, alii Parmam ad octo milliaria. Qua hora initum eſt prælium aufugit ex cuſtodia noſtrorum Comes Petilianus cum Virgilio Vrſino. Hic in domo Nobilis cuiuſdam manſit, fueratque data fide ad nos profectus: vtrique verum eſt iniuriam fuiſſe factam. Comes autem recta ad hoſtes ſe contulit. Erat homo militibus notiſſimus, duxeratque ordines ſub Florentinis & Fernando Aragonio: Fugiens vero à nobis clamare orſus eſt Petillianum, Petillianum, ſicque diſperſos Italos inſecutus ad tria milliaria perſuaſit iis omnia ipſorum eſſe, retro modo ad ſpolia victoriamque reuerterentur: ſic bonam partem recollegit, firmauitque animis: & ſi citra eum fuiſſet omnes dilapſi fuiſſent; non enim vilis tanti hominis acceſſio erat fortunæ mutatio. Eo adhuc veſpere conſilium dedit nos adoriundi, nemo tamen voluit obtemperare. Poſt ipſe mihi retulit, vt & Marchio Mantuanus laudans ſe ipſum eius ſuaſionis auctorem; ſed certum eſt abſque hoc Comite omnes noctu fuiſſe diſceſſuros. Cum omnes circa Regẽ conueniſſent, extra caſtra hoſtium ingens adhuc in armis multitudo cataphractorum conſpecta eſt, parentibus ſolum capitibus & lancearum apicibus, vt & cunei aliquot peditum: ibi illi ſemper fuerant, ſed longius aberant quam putarentur, amniſq; erat retraiiciendus, qui creuerat mirifice, inque horas creſcebat; totum enim diẽ imber, fulguraque, & tonitrua, immaneſq; pluuiæ continuauerant, præcipue cum confligeremus & hoſtem premeremus fugientem. Rex conſilio exhibuit vtrum in eos mouendum eſſet, an ſecus. Erant cum eo Tres Itali Equites, Iohannes Iacobus Treuoulius, nunc etiam ſuperſtes, eoque die egregiam operam nauans: Franciſcus Seccus, illuſtris vir, ſtipendiarius Florentinorum

ſeptua-

ſeptuaginta & duorum annorum, & Camillus Vitellius, qui cum tribus fratribus Regi merebat, venerantque Caſtello vſq; ciuitate Serzanam, vt huic prælio intereſſent, etiam non vocati, prolixa ſane via. Camillus videns cum milite ſuo tempori non poſſe adeſſe, eo relicto, ſolus venit. Duo iſti arbitrati ſunt in hoſtem eundum eſſe. Galli conſulti aliter ſentiebant. ſatis eo die effectum dicentes, hoſpitia nunc capiunda, imminere enim noctem. Franciſcus Seccus ſuam ſententiam valide vrgebat, oſtendẽs euntes redeunteſque homines Parmenſi via, quæ proxima fugæ ſecura ciuitas erat, adiiciens hos eſſe vel fugiẽtes, vel ex ea ſeſe recipienteis. Eius dicta vera fuiſſe poſt comperimus; geſtuque & ſermone oſtentabat inſignem fortitudinem & ſapientiam: ſane eundum nobis erat, fugiebant enim omnes, vt ex omnibus militum poſt prefectis præſente etiam Sfortia audiui; itaque pulcerrimã & maximam fuiſſemus victoriam à decem retro annis & maxime vtilem conſecuti. Si Qui enim ſciuiſſet ea vti, ſapienterque omnia adminiſtrare, populumque gubernare, octiduo poſt Dux Mediolanenſis non habuiſſet, vt felix fuiſſet, quo defendiſſet Arcem eius vrbis, tantus ardor omnium erat imperium eius exuendi: Paria etiam Venetis accidiſſent, deque Neapoli ſecuros nos ipſa belli Fortuna feciſſet. Veneti enim non potuiſſent milites recolligere extra ſuam vrbem, Brixiam, & Cremonam, non adeo magnæ rei oppida, amiſiſſent cætera per Italiam omnia. Deus vero nobis ea fecerat quæ frater Hieronymus indicauerat, honore à noſtris partibus permanente. & conſiderata neglectione ordinis, paruaque penes noſtros prudentia, non debebatur nobis tantum bonum, nec enim ſciuiſſemus eo vti. Sed crediderim ſi nunc, anno M CCCC XCVII Regi noſtro tale quid contingeret, melius fortunæ proſperitate vſurum. Dum hæc diſceptantur nox ſuperuenit, hoſteſque quos videramus

in ſua

in sua castra sese retulerunt; nosque ad quadrantem milliaris à loco pugnæ decubuimus. Casam quandam Rex subiit, misere exstructam, sed frumenti magna inibi erat copia, recreando toti exercitui. Nonnullæ non procul indidem aliæ domunculæ erant, parum vtiles, itaque vbi quisque potuit corpus deposuit, non inquisitis hospitiis. Memini me cubuisse in vinea quadam satis arcta nuda humo, absque pallio, Rex enim mane diei meum mutuo sumserat, erantque longe sarcinarii mei equi, quos inquirere tenebræ vetabant. Qui habebat quod ederet, fami consulebat; paucis tamen id contingebat, si non buccam aliquam panis famulus aliquis veste tectam seruasset. Vidi Regem in suo cubiculo, vbi vulnerati nonnulli versabantur, vt Seneschallus Lugdunensis, aliique, quos faciebat reuestiri: Ipse hilaris erat, & quisque rem bene gessisse autumabat: Non vero parum pristinarum gloriationum remittebatur, quibus plerique ante conflictum efferebantur nostri, cum viderent in propinquo adhuc hostem. Ea nocte vigiliarum statio à Germanis fuit administrata, qui diligenter industrieque magno tympanorum sonitu officio adfuerunt, quapropter trecentis Coronatis à Carolo sunt donati.

CAPVT VII.

Vt Cominæus solus cum hostibus collocutum profectus sit, cum videret nolle cæteros quibus res deferebatur cum ipso. Vtque rex sanus saluusque cum suis Astam intrauerit.

SEquentis diei mane decreui etiamnum insistere transactioni pacis nostræ, nihil æque desiderans quam securum Regis ad suos reditum. Sed ægre inuenire Tubicinem

bicinem potui qui in castra inimicorum ire vellet, quoniam nouem ex illorum Tubicines cæsi fuerant in prælio, non agniti quidem, ipsique vnum nostrorum ceperant, alterumque occiderant, quẽ miserat Rex ante commissum conflictum. Repertus tamen est qui iret, fidem Regiam portans, mihique Imperatoris retulit hostici, vt medio exercituum duorum loco conueniremus. Id mihi difficile factu videbatur, sed nolebam quicquam interpellare aut difficile facere. Rex nominauit Cardinalem SanMali & Gyæum, Franciæ Mareschallum, Baronem Piennium, suum Cubicularium, meque iis Comitẽ: Illi Marchionẽ Mantuanũ, Imperatorẽ Venetorũ, Comitem Caiazium, nuper nostrarum partiũ, tum Ducem militum Sfortianorum, Lucam Pisanum, & Melchiorem Treuisanum, Prouisores Veneti Senatus: Sic tam prope eos accessimus vt mutuo conspiceremur, Ipsi soli quatuor constiterant ad ripam, amnisque collocutoribus medius fluebat, qui ea nocte magna mole vndarum fuerat auctus. Aliorum castris ipsorum nemo processerat, neque nostris nostrorum quispiam nobis & vno vigile, ibi stationem seruante, exceptis. Missus est ad eos fæcialis, vt intelligeremus, an vellent fluuium transire medium. Difficulter credebam nos conuenturos, videns vtrinque caussationes innectendas, idque re ipsi demonstrarunt, respondentes decretum esse vt colloquium fieret medio inter duo castra loco, iamque ipsos vlterius progressos, nolle se fluuium transmittere; adhæc omnes esse Duces summos militiæ, non tam facile periculo propinqui hostis exponendos. Nostri multa contra caussabantur, & ipsi scilicet suarum personarum digni æstimatores, mihique obtrusere, solus vt irem, non injungentes præterea faciendum dicendumue quicquam. Respondi nequaquam solum iturum, ad minimum vnum testem adiunctum velle. Itaque

que mecum profecti ſunt Robertetus Secretarius Regis, cum Fæciali & vno meo famulo: tranſmiſſo amne arbitrabar ſi nihil aliud efficerem, penes eos tamen promiſſis me exemturum, qui meo inſtinctu conueniſſent,

Cum iuxta veniſſem oſtendi ipſis neutiquam ad medium ſpatium perueniſſe, vti dixerant, itaque ad minimum amnis ripam accederent, videbantur enim ſi tam prope conſtitiſſent vix ſine tranſactione aliqua diſceſſuri. Reſponderunt, flumen nimis in latitudinem excreuiſſe, & vehementi curſu ferri quare nolle propius colloqui, nec potui efficere vt gradum promouerent, volebant autem vt ex Regis parte quandam oblationem facerem.

Nihil mihi fuerat iniunctum, affirmauique ſolum nihil aliud dicturum, quod ſi ipſi nollent offerre quippiam, Regi id relaturum. Dum hæc diſceptantur affuit ex noſtris fæcialibus vnus, nuntians noſtros homines, Cardinalem puta & cæteros, diſcedere, poſſe me quæ viderentur proponere. Id nolui facere, ipſi enim voluntatem Regis me magis perſpectam habebant, tum quod familiariores ipſi eſſent, tum quod occulta in eadem re cum eo conſilia contuliſſent, cum diſcederemus, ſed de præſenti re tantum quantum ipſi noueram. Mantuanus multum mihi de conflictu loquebatur, rogans an Rex ſi cepiſſet ipſum fuiſſet interfecturus; Affirmaui, nequaquam id fuiſſe facturũ, ſed captiuum honorificentiſſime habiturum. Regi enim cauſſæ erant diligendi huius principis, quod magnum ipſi honorem contra bellum gerens exhiberet. Tum captiuos mihi commendare inſtitit, præcipue agnatum ſuum Rodolfum, quem ſupereſſe arbitrabatur. Noueram certo contrarium, nõ minus tamen affirmabam omnes captiuos bene tractandos, ipſi commẽdans viciſſim nothũ

Borbonium quem ipſe tenebat. Noſtri captiui faciles erant bene haberi, nudi enim erant: id quod forte nulla alia pugna contigit, vt notaui ſupra. Mantuanus autem plures familiæ ſuæ amiſerat ad octo ipſos, deque ſua turma ad centum viginti Cataphractos. His dictis valedixi iis, ſtipulatus ante noctem rediturum, ad quod tempus vſque indutias pepigimus. Cum ad Regem rediiſſem cum Secretario meo Comite, conſiliatum eſt in anguſto quodam tugurio neque quicquam concluſum, quoque aſpectante proximum. Rex occulte cum Cardinali quædam locutus eſt, poſtque imperauit mihi redirē viſurus quid boni dicere vellent, cum principium colloquii ex me veniret, nō eſſe citra rationē poſtulatum ipſorum, vt inciperem quædam proponere. Cardinalis autem poſtmodum edixit ne quicquam concluderem. Sane obſeruandum erat ne quid tale facerem, cum ipſi nihil mihi iniungerent. Nolui tamen reponere aliquid, nec rumpere iter inſtitutum, confidebam enim nihil deterius facturum, & ad minimum viſurum quid præ ſe ferrent hoſtes, qui dubio procul conſternatiores erant nobis, & potuiſſent offerre aliquid verborum, vnde vtrimque pax fuiſſet promota. Sic itineri me reddidi; iā appropinquabat nox cum ripæ accederē vbi offendi Tubicinem ipſorum mihi dicentem; Quatuor viros illos mihi nuntiare ea veſpera ne accederem, vigilias enim ſorte datas Græcis militibus, qui neminem hominem noſſent, itaq; non ſine periculo aditum futurum; tubicen autem maneret iſte mecū, & cras deduceret. Remiſi hominem ad ſuos, ſpondens ad octauam matutinam horam cras ripæ aſtiturum, ibi me præſtolaretur, quod ſi mutatio quædam incideret, Fæciali miſſo indicium facturum. Nolebam enim apparitorem hoſtium ea nocte res noſtras explorare, neque noram quid concluſurus eſſet Rex, quem videram arcani quid cum Cardinali contuliſſe. Sic re-

uersus sum meis quæ egeram indicaturus. Quisque vt
potuit cænam sumsit, post cubile humi: à media nocte
illico Regis cubiculum adiui. Cubicularii aderant para-
ti ascendere equos, dixeruntque mihi eum deliberasse
summa industria Astam & in Marchionatum Montisfer-
rati proficisci, suaseruntque vt remanerem ego, collo-
quio satisfacturus; sed excusaui me dicens non vltro
me morti præsenti illaturum, neque vltimum futurum
qui equum adscenderent. Eo momento Rex euigila-
uit, auditisque sacris itineri se commisit, Vna ante diem
ingruentem hora Tubicen solitum insonuit; nullo au-
tem classico ad colligenda vasa, aut iter indicendum v-
si sumus, neque opus erat, vt puto. Nihilominus exerci-
tui pauor additus est, præcipue si qui eius saperent, sic
terga hostibus obuertimus & securitatis viam iniuimus,
quæ res sane horribilis est castrensi vulgo, & sic quoque
non bene iter orsi sumus; venimusque mox in calles im-
peditos truncis arboribusque, & alioquin asperos & fe-
re inuios, aberrauimusque sæpius. Nec enim indices
ductoresue vllos habebamus, audiuique rationem du-
cendi rogariâ Vexilliferis, quique aliis illustribus Offi-
ciis præerant. Singuli autem respondebant, nullos se
duces habere præsto. Hic notandum denuo erit nullis
nos ductoribus opus habuisse. Deus enim solus nos du-
xerat venientes, reducesque non deserebat, teste Fratre
Hieronymo: alioquin non erat credibile sine itineris
indice talem Regem noctu profecturum, idque eo lo-
co vbi talium copia esset parabilis. Aliud Deus signum
dedit nobis conseruandis vigilantis protectionis suæ,
hostis enim discessum nostrum non sensit ante diei me-
ridiem, exspectans continuationem colloquii instituti,
adhæc tanta vi vndarum amnis increuit, vt quatuor ab
ipso meridie horæ elapsæ sint, priusquam vllus eum
transmittere auderet ad nos persequendos.

Tum

Tum vero primus transiit Comes Caiazius cum ducentis leuis armaturæ Italis equitibus, summo periculo ob fluctuum violentiam, etiam sic interstinctis vno atque altero, vt ipse post mihi narrauit. Nos vero iter habebamus per viam virgultis arboribusque difficilem, continuo sex milliarium calle: his emensis venimus in pulcram amplamque planitiem, vbi iam erat prima acies cum tormentis & sarcinis, sane magno numero, quum impedimenta ingentis ex longinquo agminis speciem exhiberent, ita vt primo aspectu timeremus ob album vexillorum colorem rubro intertessellatum, qualia insignia cum Marchione Mantuano cōmunia habebat Iohannes Iacobus Treultius. Prima acies pariter cohorruerat relictis callibus approperare qua compendia viæ vocabant, nostrum agmen vidéns; vt totæ copiæ arma expedierint insultibus defendendis. Parum tamen terror iste durauit equitibus vndique versum accedentibus, qui mutuo sese agnouerunt. Inde profecti sumus ad Burgum SanDionysii, vbi tumultus studiose compositus est, ad extrahendos ciuitate Germanos, ne illam diriperent. Cubuimus post Florensolæ, illo die, sequente prope Placentiam, tramisso amne Trebia; remansit vero citra flumen res tormentaria (sex exceptis, quæ prope Regem erant) cum ducentis Lanceariis & Heluetiis, idque consilio Regis vt commodius hospitia expedirentur; sperabat enim eos otiose posse cum liberet, traduci; vt plurimum vadis peruio flumine. Sed duabus in noctem præterpropter horis vndæ ita increuerunt, vt pedes equesque nemo transmeare posset, neque valuissent succurrere relictis nostri, si qua necessitas incubuisset, re sane ob vicinitatem hostium periculosissima: tota nocte frustra opem quæsiuimus vtrinque, sed nihil effectum est donec sponte superueniret: id factum est hora quinta matutina; tum

tensi sunt funes quibus pedites annisi transmearent, ad pectus vsque aquæ immersi. Hos secutus est mox Equitatus, & post tormentaria res, magno periculosoque conatu. perpensis in quibus eramus locis, imminente hoste, præsidio videlicet Placentino & Comite Cajazio, qui oppidum intrauerat, intellecto nonnullos id Regi tradere velle: id agebatur sub titulo filii Ioannis Galeatii, vltimi Ducis, non ita pridem, vt auditum est, fato functi.

Si regi cordi fuisset traditio talis, plurimæ ciuitates Primatesque operi accessissent curante Ioanne Iacobo Treultio. Sed nolebat in præiudicium Aureliani Rex assentiri, agnati sui, iam Nouariam tenentis, vt narratum est. Verum tamen est neque ex altera parte voluisse agnatum suum videre tanti Principatus Dominum, itaque consulto transibat, non immiscens sese his quæstionibus. Tertio à pugnæ loco discessus die, rex pransum venit in Castrum SanIoannis, cubuitque in silua quadam nocte. Quarto pransi sumus Vogheræ, dormiuimus Pontcuronii. Quinto Tortonæ pernoctauimus transmisso amne Scriuia, quam defendebat Fracassius, nomine Ducis Mediolanensis Tortonam cum milite tenens.

Intellecto is per metatores nil nisi transitum Regem petere, recepit se in ciuitatem, nuntiauitque victum copiose præstiturum, idq; fecit. Totæ copiæ nostræ ad portas Tortonæ transierunt, ipseque Fracassius in conspectum Regis venit armatus, duobus solis comitibus, multis se excusans quod hospitatum intra mænia non reciperet. Sic victualium ingens forum proposuit, vnde refectus est apprime exercitus. Vesperi venit idem vbi Rex pernoctaturus erat. Sciendum hunc hominem de familia Sanseuerinorum fuisse, fra-

fratrem Comitis Caiazii, & Galeatii, fueratque paullo ante ſtipendiarius Regis in Romania, quam vocant, vt alibi diximus. Inde Niceam Rex peruenit Montisferrati Principatus oppidum, ad quem magno ſtudio contendebamus, vt locum tutum & amici Principis. Leuis enim Caiazii armatura vltimo agmini ſemper imminebant, primiſque diebus magnopere nobis nocebant, cum paucos haberemus equites, qui vltimum agmen tueri vellent; vt enim propius ſecuris tutiſque locis accedebamus, ita oſtendebant noſtri minorem pugnandi cupiditatem. Et alioqui vulgo iactatur hoc natura Gallorum ingenium eſſe, ſcripſeruntque Itali hiſtoriis ſuis, vt pluſquam viri ſint in aggrediendis rebus, in deſerendis vero vltra fæminas imbelles. Prius ego ſane crediderim, ſunt enim primo congreſſu prorſus intolerabiles equitis Gallicani impetus; ſed in recedendo nulla non mundi natio minus animoſa eſt quam cum domo proficiſcitur. Noſtrum autem vltimum agmen trecenti Germani tutabantur inſtructi pluribus ſclopetis, aliiſque quæ equis ſubuehebantur telis & tormentis minutis; quibus egregie repellebant Græcos Equites, quorum neque grandis numerus erat, & ingens ille exercitus quo cum nobis res fuerat, aduentabat vt poterat, ſed quia totum diem poſt diſceſſum noſtrum reſtiterat, adhæc grauiſſima armatura impediebatur, non attigit nos. ita vt toto itinere nec vnum hominem amiſerimus, non accedentibus copiis noſtras vel ad milliaris vnius ſpatium. Itaque cum animaduerterent fruſtra niti, forte & non nimis cupidi nos aſſequi, ad Nouariam ſe receperunt, vbi Mediolanẽſis copiæ erant, cum aliis confæderatorum, vt diximus. Hoc tamen confitendum eſt, ſi paullo poſt diſceſſum potuiſſent nos contingere, meliori vtique ſucceſſu vſuros fuiſſe, quam quo Fornoui rem adminiſtrarunt. Sæpius iam dixi vt audierim

dici,

dicti, reque ipsa sim expertus, Deum Omnipotentem toti huic expeditioni nostræ affuisse, quin tamen & hoc loci iterem eum sermonem non possum. Licet autem à die prælii ad eum, de quo nunc loquimur, diem hospitia fuerint inconuenientissima, omnes tamen summa patientia animorum tantas molestias exhauserunt, nemine obloquente aut reluctante. Victualium in penuria magna eramus, tamen apportarunt incolæ quod habebant, qui nullo negotio nos toxicis perdidissent, modo voluissent, tam in cibis quam vino & aqua, puteisque, momento siccandis: Nec vidisse memini præter exiguos fontes; sic minime evasissemus, si hoc egissent aduersarii, sed Dominum & Redemtorem nostrum Iesum Christum exemisse iis voluntatem existimandum est. Sitim nostrorum tam magnam vidi vt peditum ingens numerus ad fossas pagorum procumberet sordidum laticem bibiturus, cum eas transiremus. Itinera conficiebamus longa, potabamusque aquam cænosam, cui se immergebat plebs ad cingulum vsque. sequebatur enim castra ingens multitudo, minime militiæ vtilis, cum iumentis onerariis plurimis. Rex ante exortum Iubaris iter insistebat, nullis per omnia viæ ducibus, meridiemque inusque prandium semper differebat, vbi quisque vt poterat, se curabat: pabulum vero equorum manibus afferendum erat, nemine à cura eorum excepto; me memini bis meum pauisse; duobusque diebus nihil gustaui præter obsoletum panem, & eram ex iis qui minimam partem penuriæ experiebantur. Vna de re has copias laudari congruum est, quod videlicet neminem vmquam eiulantem audiuerim quicquid etiam miseriarum pateretur, cum iter esset omnium quæ ego viderim incommodis plenissimum, expertus in comitatu Caroli Burgundi non pauca asperrima.

Non celerius procedebamus,quam vt grandes illæ tormentorum nos assequerentur,quibus manus sæpius humana admouenda erat,ob equorum penuriam, qui,cum opus essent,per exercitum conquirebantur,prę stantibus probis hominibus: nec amissus est vel vnus lapis, aut vnum aliquod pulueris tormentarii pondus, cum non putem tamen vllum hominem tantas moles traduci vidisse eatenus,talibus viis, talique diligentia. Quod si de ordinum confusione diximus, qui tam nostris diuersoriis quam aliorum obuersabatur, ea non accidit culpa hominum rei bellicæ peritorum, qui copiis aderant,sed fortuna voluit his talibus minimum fidei tribui. Rex adolescens erat & benigni animi, vt supra dixi; & ad summam dictorum dicendorumque Dominus noster, IESVS CHRISTVS, volebat omnem itineris gloriam ipsi seruari. Septimo die ex quo pugnæ loco discesseramus, Niceam reliquimus, iunctique castra posuimus in campis prope Alexandriam; ea nocte vigiliis auctis, altero mane Astam profecti sumus: Rex videlicet aulicusque eius comitatus, copiæ vero in agris finitimis permansere. Eam ciuitatem bene victualibus instructam offendimus, vnde omnis exercitus peropportune refectus est, eatenus fame,siti, calore, labore, vestitu lacero, cubilibus ingratissimis, misere maceratus. Cum Rex Astam intrasset, hora vna antequam cubitum iret, nobilem quemdam hominem,Philippum Condræum vocabulo, tum Aureliani Ducis,quondam ex meis ministris, Nouariam misi, vbi Dux idem obsessus ab hostibus tenebatur. Obsidio tam stricta atque arcta nondum erat vt intrari & rediri ex oppido non posset, fame debellare studentibus eam Sfortianis. Indicaui eo ipsi nuntio multas cum Mediolanensi nobis intercedere tractationes, nominata vna, cuius caput erat Ferrariæ princeps, eaque

eaque

eaque de re mihi videri venire eum ad Regem debere, bene animatis promissionibus militibus quos relinqueret, vel reuersurum breui, vel auxilia submissurum. Copiæ Aureliani erant stipendiariorum septem millia, ornatissimum quod vmquam agmen vidisses, tam Heluetiorum quam Gallorum respectu. Rex cum diem vnum Astæ fuisset tam à Duce modo dicto, quam aliunde edoctus est duos ad Nouariam hostium exercitus conuenisse. Aurelianus vero vrgebat succursum, quoniam deficere cibi inciperent, quibus cum ciuitatem intraret, vt dixi supra, male prospexerat: tum enim frumenti maxima fuerat vndique per agros copia finitimos, cui congerendo si industria adhibita, numquam subacta ciuitas fuisset ab hostibus, sed omnia nostræ gloriæ, inimicorum autem summo dedecori cessissent, modo vnum adhuc potuisset obsidio mensem tolerari.

CAPVT VIII.

Vt classem Rex instruxerit ad opitulandum Arcibus Neapolitanis, vtque id effici non potuerit.

POstquam paucos aliquos dies Astæ Carolus exegisset, Taurinum profectus est. Asta autem moturus Peronem Baschium, vnum ex Aulæ moderatoribus, misit ad conficiendam classem, qua succurri posset Arcibus Neapolitanis, ab hoste nondum occupatis. Is effecit mãdata Arbanioque naues Duci tradidit, qui ad Prussam vsque ciuitatem processit, vt conspicari contra iam hostes posset: sed tempestate vltra progredi vetante

parum

parum hic apparatus effecit, reuertitque Liburnũ Arbanius, vbi terrestri fuga plerique eius militum sunt dilapsi, vacuis nauigiis relictis. Hostium autem Classis Portui Bugiensi ad Plumbinũ successit, vbi duos integros menses constitit: vt nullo negotio nostri dictis arcibus succurrere potuissent; portu illo Bugiensi ita facto natura, vt nisi vnius solius venti vi non possit inde exiri, qui quidem hyeme non frequens flare dicitur. Arbanius virtute magna vir erat, & maritimi belli experientissimus. Eo tẽpore Rex Taurinum veniens diuersa cum Sfortia tractabat, administra Sabaudiæ Duce, Marchionis Montisferrati filia, vidua, mater vnius filioli, tum etiam superstitis, cum aliis non paucis. Interfui & ego iis rebus, cupientibus copiarum hostilium quæ ad Nouariam erant, ducibus. Ab his scripto signata Securitatis Fides missa est, sed, vt inuidi sunt Aulicorum mores, Cardinalis, sæpe supra nominatus, restitit, ne meo officio vteretur Rex, malens dictæ Ducis consilia effectui dari, quibus præerat hospes Cardinalis, Thesaurarius eiusdem mulieris, homo sapiens, & Dominæ fidelissimus. Multum tempus his rebus extrahebatur, & ea propter Baliuus Diuionensis ad Heluetios missus est legatus, quinque militum millia conscripturus. Dixi vt classis Regia Niceæ fuerit comparata ad Arces Neapolitanas asserendas, id effici ex causis supra recensitis non potuit. Extemplo igitur Monpenserius aliique illustres viri qui in arcibus iis erant, re animaduersa exiuerunt, perque exercitum à Rege defensioni Regni relictum in diuersis eius territorii locis, tum non longe dictis præsidiis remotum, viam tenuerunt; idoneis tamen in arcibus militibus relictis, quantum penus victualium, admodum quidem tenuis, ferebat: ipsi comitati duobus millibus & quingentis discessere: Præsidii præfectus relictus est Ognatius quidam. Cum Monpenserio iere Princeps

Saler-

Salernitanus, Seneschallus Beaucariæ, quique alii proceres ibi fuerant, Salernumque profecti sunt. Rex Ferrandus inde pacem eos fregisse autumauit, suæque potestatis esse obsides perimere, quos paucis ante ipsi diebus tradiderant: Alegrius erat in his & Ardainius, & Baro Capellanus Andegauensis, Robertus Catelanus, Genliusque. Notandum vero tribus ante mensibus Ferrandum Neapolim intrasse per occultam conspirationem, malamque nostrorum socordiam; qui edocti quid gereretur, per imprudentiam tamen id auertere non potuerant. Dicerem de his aliquid amplius, sed non possum aliter affirmare quam quod omnia auditu perceperim, ab ipsis tamen principibus, nolim autem longioribus ea proponere, quibus ipsemet non adfui. Ferrandus igitur Neapoli occupata, famam percepit Regem in conflictu Fornouensi interiisse, quod nostris arçes defendentibus pro vero indicauit, per litteras vanas & mendacia Sfortiæ. Credidere id milites, & Colomnesii quoque, qui illico hostibus nostris accesserunt, alioquin consueti fortioribus adhærere, licet Regi maximis essent beneficiis obstricti, vt supra recensui. His mendaciis, præcipue cum se multos paucis victui necessariis instructos, à Præfectis desertos viderent, amissis omnibus equis, quos in vrbe habuerant, nostri deditionem pacti sunt sexto die Octobris, anni M CCCC XCV. cum quatuor mensium, & quatuordecim dierum obsidionem tolerassent; itaque post vigesimum compositionis diem discesserunt. Hoc enim tempus nominauerant, quo si non succurreretur ipsis in Prouinciam essent profecturi relictis Ferrando arcibus, nulloque hostili opere tam terra quam mari ei Regno illato: eius pacti obsides modo dicti traditi sunt. Itaque, vti Ferrandus dicebat, ruperunt conuenta illi qui sine venia medio tempore abierunt. Nostri contrarium adfirmabant;

mabant; obsides tamen magno periculo fuerunt, neque sine caussa. Mihi visi sunt nostri prudenter eo discessu fecisse, quæcunque subesset compositio; melius tamen fecissent Arcibus eo die redditis quo abierunt, ita enim obsides recepissent. Non enim tam firma erant præsidia quin vigesimo die ab eorum discessu, penuria cibi, speque omni succursus exemta, hosti Arces traderentur, quæ fuit totius Regni Neapolitani perditio.

CAPVT IX.

De horrenda fame aliisque miseriis in quibus Nouariæ fuit Dux Aurelianensis: de morte Principis Montisferrati, Ducis Vindocinensis; vtq; post plurimas altercationes ad pacem inclinatum fuerit, eripiendis obsessis.

DVm Taurini Rex esset, vicinisque locis, quo animi gratia excurrebat, rumor intulit Heluetios, quos cõscriptum miserat, appropinquare. Animi habebat Sfortia pulso legitimo principi restituere Mediolanensem Principatum, non multum curans quid de suo iure loqueretur Aurelianus. Hic incipiebat tum sentire obsidiõis mala, decrescentibus victui necessariis, sollicitisque litteris indies auxilia postulabat. Iam erant hostes propiores quam ante vmquam, auctisque copiis mille Heluetiis à Federico Capelario adductis, homine virtute magna, vsuque bellicarum rerum illustri, instabant. Aderant insuper vndecim Germanorum millia è regionibus Regis Romani, & quos Lansknechtos vocant, sub duce Georgio Abecfinio, summæ item virtutis viro, qui Santaudomarum Regi Romanorum recuperauerat, natus in Austria. Sic Regi videnti hostium numerum augeri,
neque

neque in honorem suum posse aliquo modo transigi, consilium datum est Vercellas se recipiendi, vt iniret ra- tionem Aureliani liberandi cum obsessis. Is prudentius fecisset obsecundans litteris meis, vt discederet monen- tibus, vel Nouariam initio contrahens, quicquid pos- set ciborum conquirere, & inutiles homines expellere, quam quod tum neglecta occasione, sero deplorauit malum inter manus enatum. Quod si præsens Regi insuper adfuisset, vt suadebam, potuisset partem eius quod cupiebat conficere; neque, quos reliquisset, tan- topere fuissent fame adflicti, composita enim res fuisset facilius. Verum Archiepiscopus Rothomagensis, qui initio cum ciuitas occuparetur ipsi adfuerat, vt con- silio adsisteret, ad Regem fuerat reuersus, & exemtum se videns periculo, instabat ne vrbem desereret, præsto enim auxilia futura; habebat is auctorem eius suasio- nis Cardinalem Sancti-Mali, cui Rex omnia crede- bat, ipse bono affectu agens. Ego vero contrarium certo noueram, nemo enim erat qui in pugnam reuer- ti vellet, si Rex non ipse proficisceretur, qui nihil mi- nus habebat animi; nō enim nisi vnius ciuitatis illius res vertebatur, quam retinere studebat Aurelianus, sibi au- tem vindicare Sfortia, decem enim milliaribus tantum Mediolano distat. Res sane poscebat vt sub vnius im- perio omnia essent. Ducatus enim iste nouem aut de- cem magnis vrbibus constat, valde inter se vicinis, & be- ne dicebat Ludouicus Sfortia, relinquerent ipsi Noua- riam, & Genuam non poscerent, ita omnia pro Rege facturum. Sæpius Nouariam farina missa est, cuius dimi- diū in via periit, semel sexaginta cataphracti disiecti sunt Chastillionio ducente homine adolescentulo, ex Aulicis Regis. Nonnulli capti, alii intrauerunt ciuitatē, nonnulli ægre elapsi sunt fuga. Non vero credi poterat quantis in miseriis nostri intra vrbē essent, quotidie n. fame aliqui

interi-

interibant; duæ partes morbis affligebantur, signisque miserabiles scriptæ litteræ veniebant maxima viarum difficultate. Semper spe animi extrahebantur; omnia autem mera erant ludibria; qui vero Regem moderabantur, prælium desiderabant, non considerantes neminem præter ipsos idem velle. Omnes enim illustres militum præfecti, vt Princeps Arausiensis, recens aduectus, (cui rerum bellicarum fere summam rex credebat) aliique honesta transactione componere rem studebant, cum appropinquaret hyems, pecunia nulla præsto esset, Gallorumque exiguus restaret numerus, ægrotis multis quotidie se clam subducentibus, aliis impetrata à Rege venia. Nemo tamen cordatorum inhibere poterat quos dixi, ne Aurelianum intra vrbem remanere iuberent, cum indubio tamen eum periculo inuoluerent. Hi spem habebant in Germanis, quorum aduentum spondebat Balliuus Diuionensis, cui scriptum erat à nonnullis, quicquid posset copiarum adduceret: sic male consentiebant nostri Aulici, quoque quod vellet dicente atque scribente. Qui nolebant rem componi nec vt eius gratia conueniretur, dicebant Regem non debere ordiri tractationem, sed eius initia ab hoste exspectanda esse, qui idem regerebant, effluente interea tempore & pereuntibus qui Nouariæ erant. Horum litteræ nihil aliud loquebantur quam quod fame inibi homines perirent quotidie, neque posse retineri decimum vltra diem vrbem, post octauum ponebant, vidi quæ & tres dicerent, sed iam dies exierant cum nobis litteræ redderentur. Certe à longo tempore peior vllibi rerum status non fuerat, neq; ante nos natos à centum ipsis annis tantam famem vlli homines extulerunt. Ita rebus succedentibus mortua est Princeps Montisferrati; discidiumque ibi aliquod ob gubernationem enatum est, quam poscebat Marchio Salussii, &
ex

ex altera parte Constantinus, patruus mortuæ mulieris, Græcus natione, vt ipsa etiam, filia nempe Regis Seruiæ, ambo à Turca omnibus bonis exuti. Idem Constantinus munierat se in arce Casalis, vbi tenebat in potestate sua duos Marchionis filios, quorum maior natu nondum decennis erat. Ipsa Mulier, pulcra atque cordata Princeps, mortua est ætate nondum tricennis, ingens amica Gallorum. Alii minorum gentium eamdem gubernationem quærebant, eratque apud Regem magna omnium disceptatio. Rex me eo misit vt pueris prospicerem, & omnia turbis exuerem, gratiam acquirens incolarum, metuens vt talia discidia facerent eos appellare Mediolanensem; cum qui eum Principatum teneret, nobis posset magno esse commodo. Displicebat mihi valde hæc profectio, ne paci componendæ adesse valerem efficiens, cum mala vndique increscerent, & hyems instaret, verebarque ne Antistites dicti Regem denuo in prælium producerent; ad quod non mediocriter male erat instructus, nisi multi exteri subuenirent, vt erant Heluetii. Qui etiamsi eo, quo dicebantur, numero, adessent, non erat tamen sine periculo Regis futurum eorum etiam se potestati credere; hostes vero contra copiis erãt instructissimi, & in locis ipsi situ & rerum abundantia firmissimis. His perpensis ausus sum regi indicare ipsum sese & omnia sua magna periculo exponere, ob caussas minime magni ponderis, & debere meminisse Fornoui quanto discrimine fuisset, vbi tamen coactus commisisset rem aleæ, ad quam nulla nũc adigeretur necessitate. Mea sententia qua posset honestam pacem debere apprehendere, non obstante quod diceretur, non esse primo ipsi ordiendum. Quod si mihi vellet credere, ita me rem compositurum vt vtrique partium honor suus seruaretur. Respondit mihi cum Cardinali vt loquerer, quod feci: is vero tam peregrinis mo-

dis respondebat, vt desideraret aperte conflictum, victoriam pro iam parta habens, addens, sibi promissa dena millia ducatorum in annuos reditus filii sui, ab Aureliano, si eum contingeret Mediolano potiri. Postridie discessurus Casale, Regem salutare volui. Iter erat sequidiei. Obuium habebam tum Tremullium, cui negotium hoc recensui, quod inter familiarissimos Regi esset, rogans, an iterum de eo Regem compellare deberem. Ille mihi animum vt facerem addidit, omnes enim cupidi erant redire. Rex in horto erat. Repetii sermonem præsente Cardinali, qui dicebat sibi incipiendam rem esse, vt Ecclesiastico homini: Respondi, si ipse non inciperet, me facturum, non enim nescire Regem non ægre laturum, nec familiarium ei principes. Sic discessi: Iam vero itineri imminens Principi Arausiaco dixi, summo exercitui præfecto, si quid eius negotii ordirer, ad ipsum referre velle. Casale veniens optime exceptus sum ab omnibus eius familiæ. Plurimam partem Constantinum sequebantur, omnibus tutissima visa ea ratione vice puerorum. Ipse enim is non poterat successione potiri, quam aspirabat Marchio Salussianus. Multa concilia habui tam Nobilium quam Ecclesiastici status hominum, eorum plerisque adsentientibus edixi placere Carolo Regi Constantinum summæ rerum gubernandæ adesse porro debere. Considerata enim Regis trans montes potentia, & amore incolarum in Galliæ Principes, non poterant contradicere Regis voluntati. Triduo cum ibi fuissem eo venit Aulicus quidam Marchionis Mantuani, Imperatoris Veneti; qui, vt cognatus, mittebat indicare dolorem suum ob defunctam Principem; cum eo in colloquium veni, quo pacto duo aduersi illi exercitus sine conflictu componi possent, Res enim eo iam spectabat, Rege iam castrametato iuxta Vercellas. Sed tamen solum id egerat

vt

vt amnem proximum transmitteret, educeretque exercitum, male instructum tentoriis & tabernaculis, qualium pauca attuleramus, quæque aderant etiam erant iam perdita, locusque ipse ob hyemem vicinam uvidus vbique erat. Rex vnam solam ibi noctem moratus, in oppidum rediit, Arausiensis autem Princeps, Comitesque Foixius & Vindocinensis manserunt, quorum iste superueniente dysenteria exstinctus est. Fuit ea mors magni damni instar: Erat enim in iuuenta ætate pulcerrimus & sapientia singulari homo, per dispositos modo equos aduectus, ob rumorem imminentis prælii, necenim cum Rege profectus fuerat in Italiam. Cum his ibidem commanebant Mareschallus Gyæus aliique militum ductores. Principale autem robur erat Germanus miles, redux cum Carolo, Galli enim inuiti manebant in agro, proximi cum essent oppido, bonam partem ægroti, aliiq;, vt dixi, diffugerant clam, quidam & à Rege fuerant dimissi. Ad Nouariam Vercellis erant decem magna Italica milliaria, quæ faciunt senas leucas Gallicas, humo intersita molli, vt Flandriæ fere, ob fossas vtrinque viis regionis obductas, quæ sunt Flandricis valde profundiores. Bruma lacunas gignit grandes, æstas puluere molestissima est. Inter Nouariam & nostrum exercitum planities quædam exigua est, Burgi nomen habens, vno nobis milliari dissita, quam nostri tenebant, illi contra aliam occupauerant, Camarianam vocabulo, tantumdem Castris ipsorum distans, iamque vndæ increuerant, vt fere ab vnius ad alterius exercitus stationes pertingerent. Vt cæpi dicere Aulico isto Marchionis Mantuani qui Casale venerat, mecum colloquium continuante, aperiebam caussas quas propter Dominus ipsius conflictum istum vitare deberet, viso videlicet periculo prioris, quodq; pugnaret pro populo qui numquã ipsius esset dignitatẽ aucturus, quibuscunq;

 illum

illum demereretur officiis: itaque non debere abhorrere compositionem, meque velle ex mea parte illi ea in re adesse. Respondit idem cupere Marchionem, sed opus esse, vt alias mihi indicauisset, vt colloquium nos ordiremur, videlicet quia confæderatio ipsorum, Pontificem, Regesque Romanum & Hispanum, Ducemque Mediolanensem complectens, longe Rege Galliarum sit potentior & honoratior. Dixi ad hæc, ineptias esse tali loco has ceremonias considerare, Regem vero bono iure præferri aduersæ parti hoc negotio posse, quod ipse præsens adesset, reliquis suos ibi solum Vicarios habentibus. Me vero & ipsum orsuros, mediatorum instar, si vellet, sed vt certo scirem Dominum eius cæpta continuaturum, promissisque mansurum. Sic conclusimus vt Tubicinem ego mitterem postridie in eorum exercitum cum literis ad Prouisores Venetos. Igitur eadem ad istos retuli scripto, quæ Mantuani Aulico dixeram, occasionem nactus intercessoris officio fungendi, sic enim conuenerat inter nos, cum Venetiis discederem, neque Regi displicebat tractatio, mihi autem prorsus necessaria habebatur. Verum est semper copiam esse hominum negotium aliquod turbantium, paucos vero prorsus qui fortuna consilioque sint instructi ingentia bella componendi, quique æqua mente ferre possint plurima verba iniqua, obaudienda iis qui laborent hoc studio: in Exercitibus enim multi insunt opinionum altercatores. Prouisores lætati sunt audito hoc negotio, rescripseruntque breui responsum missuros. Senatui per dispositos equos indicata re, receptoque Patrum sententia, in exercitum Regis venit Comes quidam Ferrariensis, cuius apud nostros quidam erant necessarii: Ei nomen erat Albertino, visitauitque Ioannem Iacobum Treuolium, sub prætextu filii, apud eum degentis. Mox accessit Principem Arausium, vt

inter nos conuenerat,me scilicet,& Mantuani Aulicum, perhibens ab Imperatore Veneto mandatum habere, deque Prouisoribus,aliisq; exercitus Confæderatorum Ducibus, postulare Fidem scriptam pro eodem Imperatore, & comitatu quinquaginta circiter Equitum, vt venirent cum iis collocuturi quos Rex ei negotio destinauisset. Hi agnoscebant conuenire vt ipsi venirent ad Regem primi, huncque illi honorem merito habeant. Post petiit vt cum Carolo solo posset colloqui. Quod cum obtinuisset, consilium Regi dedit, ne compositioni auscultaret, affirmans exercitum suæ partis maximopere esse consternatum, breuique diffugiturũ; quibus verbis præferebat velle rumpere ad quam pacem conciliandam missus fuerat: præsens huic sermoni affuit dictus Treuolius, capitalis Ludouici Sfortiæ hostis, qui & ipse bellum malebat. Supra omnes autem paci aduersabatur huius Albertini Dominus, Dux Ferrariensis, ob immane odium in Venetos, qui plurima ipsi loca ademerant, vt & Polesanum, de quo supra scripsimus, veneratque in exercitum Sfortiæ, qui filiam ipsius coniugem habebat. Postquam audiuisset hunc Comitem Carolus, me vocauit, consultauitque vtrum Fidem quæ postularetur scriptam mittere deberet, an secus. Qui aduersabantur paci, (dictus Treuolius, quique, vt ipsis videbatur, studebant Aureliani rebus) præferebant prælium; sed erant Ecclesiastici homines, qui discrimini non adfuturi essent, caussantes pro certo scire hostem discessurunm, & iam fame contabere. Contra alii sciscebant, interque eos ego, nos potius famem sensuros illis, qui in suis belligerarentur territoriis, exercitum autem maiorem firmioremque esse, quam qui ita dilabi posset, aut sineret se confici; hos autem sermones originem ducere ex hominibus qui cuperẽt illorum propter querimonias alios præliari, & periculis se offerre. Tamen

men, vt finiam, Fides illa dari conclusa est, & missa; constitutumque vt sequenti die duabus post meridiem horis Princeps Arausius, Mareschallus Gyæus, Baro Piennius & ego veniremus inter Burgum & Camarianum, ad turrim quamdam, vbi hostes vigiliam seruabant, ibi colloquium iniri posse. Eo venimus bene stipati Cataphractis equitibus. Mantuanus cum Veneto quodam, Stratiotarum præfecto, eodem venit, honorificis verbis vtentes, affirmantes pacem ex sua parte desiderare: hinc consensum est vt sequenti die, vt melius posset res tractari, nonnullos de exercitu ipsorum in nostra castra venturos, vicissim remitteret quosdam Rex in ipsorum castra. Id ita gestum est, & postridie ad nos venerunt Franciscus Bernardinus, Vicecomes, nomine Ducis Mediolani & Secretarius quidam Mantuani Ducis: ex nostra parte iis adfuimus supra nominati nos, cum Cardinale SanMalo, orsique sumus de pace tractare. Illi poscebant Nouariam, vbi Aurelianus obsidebatur. Nos pariter Genuan., dicentes Feudum esse Regis, à Duce Mediolanensi vi occupatum. Illi se excusare, nihil fecisse contrarium Regi, nisi vt se defenderent, Ducemque Aurelianum ipsis eripuisse Nouariam, itaque bellum cepisse per milites Regios, credere se nihil ex nostris postulatis Dominos suos facturos; omnia vero cætera non refutaturos in gratiam Regis. Biduum inibi fuerunt, à quo ad suos redierunt. Eo nos vicissim venimus, Mareschallus Gyæus, Baro Piennius, & ego, semper ob dictam ciuitatem; ita vt voluissemus Nouariam cui nisi per conflictum, quem omnes abhorrebant, non poteramus subuenire, traditam Regis Romanorum Legatis, qui inerat castris, nomine Georgius de Petra-plana; & Federicus Capelarius, cum tertio, qui Hansius appellabatur: quod ideo dicebamus quia Mediolanum Imperii Feudum est, vt ita honeste ea ciuitate exoneraremur.

remur. Sæpius itus reditusque isti iterati sunt, vt nihil tamen concluderetur, ego vero semper apud eos pernoctabam, voluntate diserta Regis, qui nihil volebat prorsus abnuere. Ad finem eodem rediuimus, comitantibus præterea Gannæio Præside, qui Latine sermocinaretur, & Moruillerio, Balliuo Ambianensi, qui Italice; quo ego idiomate eatenus vt potueram, fueram vsus, ambo autem pacta in articulos describerent. Ita autem procedebat negotium, vt quamprimum nos ad hospitium Sfortiæ venissemus, ille obuiam nobis adesset, cum coniuge ad vsque porticum quandam, inde eum sequebamur in triclinium quoddam, vbi dispositos offendimus duos sedilium ordines, non longe inter se distantium. Illi ex vno, nos altero latere considebamus; Ex eorum parte prima sella seruabatur Regis Romanorum, altera Legato Hispaniæ, Marchioni Mantuano tertia, abhinc aliæ Prouisoribus Venetis, Legato eiusdem Reipublicæ, Duci Mediolanensi, ipsius Coniugi, & vltima Oratori Ferrariensis: Ex his præter Sfortiam nemo loquebatur, & ex nostris vnus. Nostra autem ratio non erat, tam moderate loqui, vt illi affectant, aliquando enim duo tresue miscebamus verba. Tum Sfortia; EHo, vni conuenit sermo ad vnum. Cum ad scribendos articulos venissemus, omnia in quæ conueniebatur, statim perscripta sunt à Secretario quodam nostro, illorumq; altero illo Gallico, isto idiomate Italico; scripta quæ erant sub discessum ab vtrisq; collata relegebantur, idem fiebat cum denuo conueniremus, vt posset fraus deprehendi si quid forte mutatum esset, vtque eo citius ad finem rei veniretur, qua ratione magnæ res facile cōfiunt. His tractationibus vltra dimidium mensem insumtum est: à primo autem die conclusum est vt posset Nouaria excedere Aurelianus, factæque sunt induciæ eodem tempore, quæ in dies prolatæ sunt ad

Omissa sunt quædam in Gallico.

pacem vſque: pro Aureliano liberando obſes fuit datus Marchio Mantuanus in poteſtatem Comitis Foixii, non inuitus id faciens, potiuſque vt nobis gratificaretur, quam timore; Principioque nos iuramento adegerunt bona fide acturos in negotio pacis, neque eo ſolum fine vt Aurelianum periculo eximeremus.

CAPVT X.

Quo pacto Dux Aurelianus eiuſque milites fuerint Libertati reſtituti per compoſitionem, ex miſeris Nouarienſibus; deq; aduentu Heluetiorum ad ſubueniendum Regi & eidem Duci.

MAreſchallus Gyæus Nouariam cum Legatis Mediolanenſibus profectus eſt; & ſolus cum paucis comitibus emiſſus eſt Dux Aurelianus, magna lætitia velut ex Orco prodiens. Cæteri qui intus tantopere fame & morbis confecti erant, vt Romefortium, nepotem ſuum, obſidis loco in oppido Gyæus relinquere cogeretur, ſpondens relictis intra triduum pariter liberandos. Dictum eſt antea Balliuum Diuionenſem miſſum eſſe ad Heluetiorum omnes tribus vt ad quinque millia militum conſcriberet: ii cum emitteretur Aurelianus Nouaria nondum venerant; ſi enim ii adfuiſſent citra dubium prælium fuiſſet initum. Et quamquam nemo neſciret plures venturos quam poſcerentur, non tamen exſpectari amplius poterat propter extremam famem qua obſeſſi afflictabantur, quorum ad duo millia tam cibi inopia quam morbis interierunt; reliqui tam macilenti atque miſere confecti erant, vt mortuis quam viuis eſſent ſimiliores: neque crediderim vllos

vmquam

vmquam homines, Hierosolymitana obsidione demta, grauiorem famem expertos esse: cui malo cauere potuissent si tantum habuissent salis, vt frumenta, quorum copia ingens circa erat, cum vrbem caperent, intulissent. Sic neque hoc incidissent infortunium, & hostes cum pudore obsidionem reliquissent. Quatriduo post exitum Aureliani ducis, vtrinque conclusum est, omnes milites eadem ciuitate emittendos; ordinatique fuere Marchio Mantuanus & Galeatius SanSeuerinus, Exercitus Imperatores, in loca tuta eos comitari. Eo facto oppidum in ciuium potestate mansit, qui iurarunt nec Gallum nec Italum intromittere, nisi pace prorsus conclusa. In arce triginta homines remanserunt, quibus annonam ære numerato suppeditabat in diem singulum Sfortia; Nemo crediderit autem, qui oculis non viderit, miserias hominum exeuntium custodia. Perpauci supererant equi, reliquis in cibum absumtis, interque quinque millia & quingentos, qui superfuerunt, non erant sexcenti apti corpora sua defendere. Crebri per vias concidebant, quibus hostes ipsimet opitulabantur. Memini vno Coronato ad castellum Camarianum in horto decumbentes in iuscula donato, quinquaginta à me seruatos, quorum vnus solum interiit. Quatuor in ipsa via exspirauerunt, decimo enim milliari abest Nouaria Vercellis, quo contendebant. Rex etiam condolii indicium quoddam edidit dinumeratis in egentes octingentis Francis; insuper stipendia tam viuorum quam mortuorum soluta sunt, vt & Heluetiis. Horum ad quadringentos perierant: Et, quicquid vetarentur aut iis suaderetur, trecenti Vercellis mortui sunt, partim nimia cibi ingluuie, partim morbo, bona pars in ciuitatis fætutinis. Circa hoc tempus, cum Nouarria miles omnis exisset præter triginta in arce relictos, quorum quotidie etiam vnus aliquis exibat, Heluetii aduenerunt, octo

 aut

aut decem millia hominum. In exercitu nostro supererant duo millia eorumdem, qui Italicæ Caroli expeditioni adfuerant. Cæteri remanserunt prope Vercellas, nec quisquam Regi suadere voluit duo agmina coniungi sinere, quæ ad viginti duo millia fecissent; vt credam numquam huius gentis tantas copias conuenisse, dicebantque, qui indolem regionis norant, paucos pugnæ idoneos in omni remansisse. Veniebant plerique inuitis ad quos ibant, opusque erant Pedemontii limites dispositis custodiis tueri, ne plures sequerentur, aut fæminæ etiam, opinor, puerique adfuissent. Poterit quæri an ex singulari quodam affectu hic concursus ortus sit, cum Ludouicus Rex plurimis gentem beneficiis mactarit, adfueritque iis ea gloria induendis qua nunc per orbem fere terrarum pollent? Verum est ætate affectos nonnullos Ludouicum amasse, fuereq; in his Capitanei, qui septuagesimum secundum annum excesserant, meruerantque contra Carolum Burgundum: Princeps tamen caussa fuit auaritia, & paupertas hominum ingens; veritate enim ipsa omnes militiæ idonei venerunt. Tanta copia eximiæ formæ hominum istic erat vt numquam parem viderim, videbaturque factu impossibile prælio eos vincere, nisi fame aut frigore, alioue tali modo fuissent debellati. Sed ad compositionis principem articulum regrediendum est.

Dux Aureliani, cum iam decem fere dies suæ spontis fuisset cinctus omni genere hominum, cum sentiret nonnullos non bene de eo loqui quod tanta vis militum se passa esset ab eo in tantas duci miserias, vrgebat magnopere prælium, cum duobus tribusue aliis.

Comes Ligniacensis & Archiepiscopus Rhotamagensis, qui ingerebat se his negotiis, subornarunt nonnullos Heluetiorum vt sese conflictui offerrent, nulla

pro-

prolata ratione. Dux enim Aureliani non habebat, præter illos triginta homines in arce, Nouariæ quemquam; & iam omnis pugnæ opportunitas exspirarat. Rex enim nihil poscebat, nec voluerat præliari nisi ad Ducem cum suis morti miseræ eripiendum. Hostes firmissimum exercitum habebant, neque nulla ratione in castris suis debellari poterant. tam latis profundisque fossis, aqua plenis, situque muniti erant, nec præter nos quemquam timere habebant, submoti enim erant qui ex Nouaria potuerant nocere. Duo millia & octingentos cataphractos mirifice armis munitos habebant, & quinque millia leuis armaturæ Equitum, vndecim millia & quingentos Germanos, bonis apprime ductoribus, vt Petroplanæus erant, & Capelarius, & Hansius, præterea aliorum peditum ingentem numerum: Erat- que ludibrio digna oratio, intra munimenta sua capiendos, ne effugerent, quæ iactabatur. Alia res maiorem caussabatur timorem: Nam si omnes isti Heluetii conuenissent, ne Regem cum omnibus opulentis hominibus exercitus cæteri (comparatione eorum satis imbecillis) caperent, neue in sua loca abducerent, metuebatur. Eius rei quædam minæ sentiebantur, vt videbitur ex conclusione nostræ pacis.



CAP.

CAPVT XI.

Quomodo pax inter Regem & Aurelianum ex vna, hostesque horum ex altera parte fuerit conclusa; deque conditionibus & articulis quibus ea Pax constitit.

HIs inter nos vltro citroque disceptatis, Aureliano cum Arausiaco principibus concertantibus, vt istú ille etiam propudii argueret, mentiri palam dicens, reuersi sumus, Gyæus, Piennius, Gannæus, Prætor Carnotensis, & ego, in castra inimicorum, pacemque conclusimus, ex iis quæ videbamus gnari non fore seruabilem. Erat tamen multis de caussis sanciendæ necessitas, quas & diximus; hiems instabat quoque quæ nos adigebat vel inuitos: pecunia nulla præsens erat, vtque sine detrimento dignitatis honorifice discederemus, pax erat optimum remedium. Eam scripto complexi sumus vt vndiquaque publicari posset, idque Rex solemni Consistorio statuerat, præsente Aureliano. Argumentum eius erat, Mediolanensem Carolum ob Genuensem ditionem pro Domino habiturum, seruiturumque ei contra omnes; id vt testaretur duo nauigia instrueret suis sumtibus quibus in Arcibus Neapolitanis obsidione liberandis Rex vteretur, annoque altero, tria: Ipseque corpore suo adesset Regi in Regno eo recuperando tutandoque, vbi reuerteretur; vtque Veneti intra duos menses pacis conditiones non inirent, Aragoniam familiam fouentes, contra eos pro Carolo staret; ea ratione vt quidquid eis Rex eriperet, Sfortiæ daretur: Ei rei eumdem Sfortiam ipsummet operam nauare debere; condonare etiam Regi octoginta millia ducatorum initio expeditionis mutuo data: de Genuensi negotio

duos

duos exhiberet obſides, Arce Duci Ferrarienſi, vt neutrius partis ſtudioſo, in duos annos tradita; cuius cuſtodibus dimidium Rex, alteram partem ſtipendiorum Sfortia præſtaret: Quod ſi in eadem re nihil Regi diſpliciturum idem faceret, Ferrarienſem poſſe Regi Arcem eam tradere: Mediolani ergo duos alios obſides Regi daturum, quos & dedit, Quod & Genuenſes feciſſent ſi abitum Rex vel paullum ſuſtinuiſſet, cum vero eum abſentem cerneret, excuſationes nectere Sfortia orſus eſt. Cum reuerſi eſſemus vt in pacis huius formulam Sfortia iuraret, Venetique duos menſes deliberandi ſpatium ſumſiſſent, non enim vltra aſſentiri volebant; Rex pariter iuramentum præſtitit, alteroque die ſtatuit abire, cupidiſſimus poſt tot diſcrimina patrii Regni, cum omnibus ſociis. Sed ea nocte Heluetii qui in exercitu noſtro erant plurimis conuentibus conſultabant, quiſque tribules ſuos conſulens, ad timpanorum, more gentis, pulſum: mihi rem retulit Lornæus vnus Ductorum eorum, linguæ & gubernandorum oppido à longo vſu peritus, qui inter eos eadem nocte fuerat, Regemque oportune monuerat. Fuere inibi qui capiendum Regem dicerent cum omnibus ſuis, hoc eſt opulentis hominibus: his alii non adſentiebantur, ſed poſcendum ab eo trium menſium ſtipendium, ita promiſiſſe dicentes patrem ipſius, ſcilicet quoties patriis locis excirentur cum ſuis inſignibus, eam pecuniam accepturos. Alii ſuadebant ſolos primores comprehendendos, Rege non contacto, qui & idonea rei diſponebant, iam ſatis intra vrbem militum habentes: ſed priuſquam ſententia concluderetur Carolus Trinium verſus diſceſſit, ciuitatem Principatus Montisferrati. His omnibus nullo iure agebant, nihil enim promiſſum ipſis erat præter vnius menſis ſtipendium, & nullo adhuc vſui fuerant. [illegible]em compoſita res eſt: Sed ante compoſitionem

Ad n[illegible] ii qui

ii qui nobiſcum in expeditione fuerant ceperunt Lornæum & Balliuum Diuionenſem, vt dimidii menſis ſtipendium exhiberetur ipſis quo ipſi diſcederent, cæteris autem trium menſium præberetur, ſumma ad quinquies centum Francorum millia exſcendente: Iis exigendis obſides prædeſque ceperunt. Tota Res Gallorum proprio inſtinctu geſta eſt, eorum inter ductore quodam indicium ad Arauſianum perferente, qui Regi ſtatim retulit, indignatione videlicet initæ pacis. Trinium vbi Rex veniſſet ad Sfortiam miſit Gyæum, Gannæum, & me, vt eodem veniret, cui vt id faceret multas cauſſas produximus, eam nimirum veram pacis eſſe confirmationem: Ille plurima contra ratione nitebatur, allegatis in excuſationem Comitis Ligniacenſis nonnullis verbis, videlicet eum comprehendi debere, cum Ticini cum Carolo eſſet, aliiſque Cardinalis, cui per omnia Rex fidem habebat. Verum eſt plurima fatue effutita fuiſſe, quis autem & quando ea dixerit, mihi non conſtat; tum vero Rex amico vti eo cupiebat.

Erat ipſe Boliæ, nec negabat colloqui, interſtitio quodam parato medio, & flumine interiecto. Cum reſponſum hoc Carolo perlatum eſt Quierſium profectus eſt, vbi duas ſolummodo noctes manſit; inde tranſmiſſis montibus me Venetias remiſit, alios Genuam, vt dicta duo nauigia inſtruerentur, Sfortiæ præſtanda: ſed iſte promiſſis non ſtetit, iiſque legatis inutilium ſumtuum cauſſa fuit, veritis mox diſcedere nauigiis; miſitque contra nos duas, vice earum quas auxiliares ſpoponderat.

* *
*

CAP.

CAPVT XII.

Vt Cominæum Rex Venetias ad sanciendam Pacem remiserit, non admittentibus eam Venetis, deque fraudibus & deceptionibus Sfortiæ.

VEnetias missus sum vt rescirem an in Pacem hanc Senatus vellet assentiri, tresque hos articulos facessere. Primum reddere Monopolin, quam nostris eripuerant: Secundo reuocare Marchionem Mantuanum copiasque è Regno Neapolitano, obsequioque Ferrandi Regis. Tertio, publice perhiberent eumdem Ferrandum non esse inter confæderatos; quorum nominati fuerant saltim Pontifex, Rex Romanorum, Hispaniæ, & Dux Mediolanensis. Cum ciuitatem appulissem, honorificentissime exceptus sum, non tamen vt priore aduentu, nam in publica inimicitia versabamur tum, prius autem pax erat inter nos. Mandatis Duci expositis, humaniter sum habitus, Senatuique relaturum, & mihi breui dixit se responsurum. Tribus continuis diebus sollemnes processiones habebant cum Eleemosynis multis, concionibusq; Deum rogantes vt dignaretur Gratia sua bona consilia largiri: narratum est mihi id frequenter eos facere, & reapse visa mihi est religiosissima ciuitatum quas vmquam viderim, templis etiam ornatissime excultis: quibus rebus Romanis eos æquiparo, atq; inde eorum prouenire prosperitatem puto, quæ crescere dignior est quã imminui. Ad negotii mei expeditionem dimidium mensem moratus sum priusquam responsum acciperem; ea fuit omnium mearum petitionum repulsio, dicentibus nullum cum Rege bellum habere,

habere, quod vero fecissent, in auxilium confœderati Ducis Mediolanensis fecisse, quem Rex vellet euertere. Dux singulari mecum colloquio bonam compositionem obtulit, videlicet Ferrandum Carolo Fidelitatem iuraturum de Regno Neapolitano, consensu Pontificis, annuosque quinquaginta millia Ducatos pensurum, & nonnihil præsentis pecuniæ, quam ipsi ei mutuam dare vellent; vt hoc modo in manus suas acciperent quæ nunc in Apulia oppida habent, Brundusium scilicet, Hydruntem, Tranium, & alia. Etiam Regi Ferrandum in Apulia obsidis loco daturum vrbem quamdam (Tarentum innuebant, quod adhuc nostri tenebant,) vel & duas tresue insuper alias. Has autem offerebant, quia à nostris regionibus remotiores erant, prætexentes ideo facere, quod vicinæ essent Turcico Imperio, in quem de bello multa Rex versauerat cum veniret in Italiam, caussatus eo fine hanc expeditionem aggredi, vt propior ei esset. Quæ fictio maxime nequam erat, mendaciumque merum, non potente quopiam cogitationes animi celare Deum. Vltra hæc offerebat mihi Dux si Rex contra Turcam proficisci vellet, in dictas vrbes eum receptum iri, pecuniamque totam Italiam collaturam. Regem etiam Romanorum ex sua parte bellum facturũ: ipsos autem & Carolum totam Italiam obtenturos, nemine mandatis contradicturo; paratos esse ei rei centum nauium bellicarum classem præstare, propriis sumtibus, & quinque millia equitum in terra. His responsis venia discessus sumta, quid actum esset Regi retuli. Mediolanum rediens Ducem Vigesuæ offendi, vbi cum ea erat Regius Legatus, Rigaltius Dorellius, ex aulæ magistris vnus. Dux obuiam mihi processit, more honorandi legatos Italo, fingens venationem. In eius arcem magno cum honore receptus sum. Petii singulare cum eo colloquium, consensit verbis, sed re indicauit tale

quid cordi ſibi non eſſe. Volebam inſtare apud eum vt promiſſas tractatione Vercellenſi naues; iamque paratas, arx enim Neapolitana adhuc noſtris parebat, exhiberet; Erant iam Genuæ Regis nomine Peron Baſchius, Aulæ magiſter, & Stephanus Neueſius, qui ſubito mihi ſcripſerunt, cum Mediolanum veniſſe reſciuerunt, querentes de Sfortiæ fraudibus, fingentis dictas naues ipſis traditurum, cum alias tamen contra nos miſiſſet. Quandoque clare confeſſus eſt Gubernator Genuenſis nequaquam conceſſurum ſeſe vt ea nauigia Gallis traderentur, ſed eorum cuique tantum viginti quinque illocaturum, cum multis aliis excuſationibus huius generis, diſſimulans, remque protollens quo ad Neapoli nobis Arx amitteretur, quam non eſſe cibo vltra menſem inſtructam Sfortiæ bene conſtabat, quæque copiæ in Prouincia colligebantur, nõ erant earũ virium vt obſidionem illam ſoluere poſſent, abſque ope Sfortianarum nauium: hoſtibus enim ingens claſſis erat in oppugnatione Neapolitana, tam ipſorum, quam Venetorum & Regis Hiſpaniæ. Triduo cum Sfortia fui. Vno eorum mecum in colloquium venit ira commotus, quod non probarem reſponſum eius ſuper iiſdem nauibus, dicens per tractationem Vercellenſem ſeſe teneri duas illas naues ſuppeditare nobis, non vero promiſiſſe eas Gallico milite onerandas. Reſpondi eam excuſationem oppido tenuem eſſe, nam ſi, exempli gratia, commodato mihi daret gradariam aliquam malam, ad traiiciendos montes; quid ad me faceret, ſi ea ab alio quodam duceretur, nec præter ſpectaculum rei ad me rediret quicquam, vectura excluſo? Poſt longas diſceptationes in porticum quandam ſecretim, me perduxit: ibi demonſtraui ei maximum laborem quem cum aliis habuerim compoſitionis Vercellenſis ergo, inque quod periculum nos fallaciis ſuis immitteret,

dum amitteremus per eas Arcem Neapolitanam, in qua erat vniuersi Regni amissio, vnde immortale odium inter Regem & ipsum nasciturum esset: offerens ei Principatum Tarentinum, cum Ducatu Barensi, quem iam totum tenebat.

Adhæc proposui ei periculum quo se inuolueret cum omni Italia concedens Venetis occupare oppida eā Appuliæ. Confitebatur me per omnia verum dicere, præcipue de Venetis; sed omnium ad summam non posse in Regem inuenire vllam fiduciam aut confidentiam. His dictis ab eo me remoui, qui abeuntem vno milliari comitatus est; cumque valediceret mihi, splendidius mendacium excogitauit, siquidem de Principibus ita loqui licet, omnibus, vt ipsi videbatur, præteritis, cum cerneret me animo turbato eum relinquere. Hoc erat, vt ex abrupto mihi diceret, vt homines cum mutamus sententias, solemus. velle mihi amicitiæ verum testimonium exhibere, vt Regi occasio esset mihi benefaciendi. Postridie Galeatium, quem instar omnium nominabat, missurum eum imperio vt dictæ naues nobis traderentur, nostrisque copiis accederent, qua Regi ratione regnum Neapolitanum seruaretur (verum dicebat, si promissis stetisset) cum primum id esset factum sua mihi manu perscripturum, vt meo indicio primo res ad Regem perueniret, perciperetque is meo ministerio tantum sibi boni partum esse; cum litteris nuntium prius mihi superuenturum quam Lugdunum peruenirem.

Hac bona spe plenus discessi vt montes transirem, neque vllum equitem pone me audiui quin arbitrarer Sfortiæ nuntium esse cum speratis illis litteris, licet nonnihil dubitarem etiam, noto hominis ingenio. Sic Cambrai cum veni, vbi Sabaudum offendi, bene

exci-

excipientem, detinentemque me eo die, inde Lugdunum, nullo nuntio Sfortiano viso, omnia Regi relaturus, qui nullam tum curam animo habebat, nisi vt lætitia omnis generis frueretur, equestribus deditus curriculis. Qui moleste tulerant Vercellensem compositionem lætissimi accepere deceptiones Ducis Mediolanensis, indeque eorum auctoritas aucta est; mihi autem insultabant vndique, vt fieri assolet in Aulis Principum, paribus euentibus. Admodum mæstus atque iratus hæc ferebam. Recitaui Regi, scriptoque demonstraui oblationem Venetorum, modo positam; quam nullius ponderis arbitrabatur, minus etiam faciebat Cardinalis San Mali, à quo pendebant omnia. Repetere tamen rem volui, videbantur enim accipiendæ eæ oblationes potius quidem quam vt omnia perderemus. Sed neque ego idoneos homines præsto videbam tali rei moderandæ, nec vllum compellabant, qui auxilio esse posset, quod quandoque facere poterant. Rex non nolebat, sed timebat displicere iis quibus omnia credebat, præcipue iis qui reditibus præfecti erant, vt dictus cum fratribus atque agnatis suis Cardinalis. Quod sit vtile Principibus exemplum. Omnino enim opus est vt ipsi regendis suis negotiis allaborent, ad minimum interdum, consilio vero adhibeant etiam alios, quos auctoritate pari contineant: Nam si vnus aliquis horum tam eminenti fuerit vt ab aliis timeatur (vt semper aliquem iste noster Princeps habuit) is erit Princeps & Rex ipso rerum effectu, legitimo autem male parebitur, vt isti moderatores ipsius faciebant, omnes maxime suis rebus consulentes, pessime autem Regis, qui & bonam inde auctoritatis suæ partem amisit.

CAPVT XIII.

Vt in Franciam reuersus Carolus oblitus fuerit eorum quos Neapoli reliquerat, & quo pacto mortuus fuerit Delphinus, magno Regis Reginæque cordolio.

CVm Lugdunum venirem duodecimo die Decembris, Anno M CCCC XCV. rex ibi erat cum exercitu, expeditioni insumtis vno anno & duobus mensibus, tumque adhuc nostræ potestatis erant arces Neapolitanæ, neque Regno eo adhuc excesserant Monpenserius Vicarius Regis, Princeps Salernitanus, Salerni degens, Albignius in Calabria, bene rem nauans etsi maximam partem morbo implicatus, Gratianus Guerræus in Abrucio, Iulianus Montesanct Angeli, & Georgius Suillius Tarenti: Omnes autem tam egeni tamque deserti, vt non possent magis, quibus nullæ à nobis litteræ mitterentur, vel rarissimæ, eæque differtæ mendaciis & cassis effectu pollicitationibus. Rex enim, vt dictum est, sua auctoritate nihil faciebat, quique eos eo tépore argento instruxisset quo aliis locis duplũ profusum est, numquam Regno excidissent. Ad finem quadraginta sola iis millia Ducatorum missa sunt, quoque iam tempore omnia amiserant, in solutionem annuorum stipendiorum: quæ ipsa si mense vno prius venissent, mala omnia pudendæque iniuriæ non fuissent iis illatæ, neque discidia. Quæ omnia inde fiebant quod qui omnia moderari debebat, nihil ipse administraret, neque audiret homines inde venientes; qui autem gubernationi se ingerebant, nullam rerum experientiam habebant, pigrique & inertes erant; neque diffiteor non neminem eorum occulta cum Pontifice consilia commu-

communicauiſſe; videbaturque Deum vndique gratiam ſuam Regi demere, qua eatenus duxerat eum. Cum Lugduni Rex ſubſtitiſſet duos circiter menſes, allatus eſt nuntius Delphinum ad mortis periculum decumbere, tribuſque inde diebus, exſtinctum eſſe. Dolor eum ingens inde occupauit, vt poſcebat ratio, ſed parum durauit. Regina Galliæ, Dux Britanniæ, Anna nomine, ſumma, quali vix vmquam fæmina, triſtitia perculſa eſt, eaque perdiuturna: & exiſtimo vltra naturalem dolorem quem matres talibus caſibus ſuper morte liberorum habere ſolent, cor ipſi aliud ſecuturum malum præſagiiſſe. Rex, vt dixi, parum diu mœſtus fuit, coniugemque conſolari voluit exhibitis ei choreis, quibus deſtinabantur iuvenes primæ nobilitatis, præcipuuſque omnium dux Aurelianus, tum trigeſimum quartum circiter annum agens. Lætitiam iſte ob infantis Regii exceſſum non ſatis bene diſſimulabat, cum eſſet proximus ſanguine, ſucceſſorque à Regia ſtirpe ſceptri, cum eo rex & Regina longo poſt tempore non ſunt locuti. Delfinus annorum obibat fere trium, ſpecioſus infans & audax in verbis, neque timebat quas tales res ſolent; qua de cauſſa Carolus pater dolore ſuo cito defunctus eſt, iam videlicet metuens ne præcociter creſceret hæres, virtuteque cum annis aucta, ipſius auctoritatem vndique imminueret. Erat enim ſtatura inconſpicua homo Carolus, neque acuto ingenio, tam vero probus, vt non crediderim vllam vmquam magis fuiſſe creaturam. Hic conſideres qualibus in miſeriis verſentur Reges & Principes, qui proprios liberos timent. Huius pater Ludouicus Vndecimus ſane filium metuerat; cumque eſſet ſapiens & cordatus, prudenter omni diſcrimini prouidit, regnum quatuordecim annos nato relinquens. Idem Ludouicus metutus fuerat à Patre Carolo Septimo, arma enim aliquando ceperat, conçilium-

que coegerat contra eum cum nonnullis Regni Proceribus, more tumultuum Aulicorum, annorum circiter tredecim, ſed non durante diu turba; quæ omnia ſæpius ipſe mihi recenſuit.

Poſtquam autem ad virilem ætatem idem Ludouicus peruenit, maxima cum patre odia exercuit, recedens in Delfinatum, indeque Flandriam, Delphinatum patri relinquens, quarum rerum ſeriem principio horum librorum contexuimus. Nulla creatura aduerſitatibus exemta eſt, omnes victum ſuum cum doloribus & anxietate ſumunt. Deus id iniunxit omnibus ex quo primum hominem fecit, bonaque fide ſeruauit ad hunc vſque diem. Differentia tamen magna eſt ægritudinum quæque corporis ſunt, minimi haberi debent, maxime vero quæ animos excruciant. Sapientium omnes cenſus ſunt peculiaris, vt & fatuorum. Stulto tamen immani interuallo amplius quam ſapienti malorum incumbit, licet nonnullis aliter videatur, minuſque conſolationis idem habet. Paupertate preſſi homines qui laborando ſe ſuoſque nutriunt ſolutis Magiſtratui tributis, viuere debebant in magnis animorum anxietatibus, ſi Principes Proceréſque non ſentiant quippiam præter voluptates continuas, ipſi autem meros perenneſque ſudores: Sed res certe alio modo conſit.

Nam ſi velim ſcripto complecti quas ægritudines in Principibus viderim, tam maribus quam fæminis his ſolum triginta annis, grande abſoluam volumen; nec hic eos intelligo qui eius ſunt cenſus, de quibus Bocacii libri ſcripti ſunt, ſed eos eaſque, qui quæque in omnium admiratione, ſani corpore, dites fortuna, proſperi ſucceſſibus florent; hos qui non tam prope atque ego nouerant, felices arbitrabantur;

bantur; ipse autem anxietates & curas eorum tam
futilibus rationibus nisas perspexi, vt difficulter credi-
turi fuerint stultitiæ, qui longius aberant conuersa-
tione eorum.

His enim rumores & suspiciones laruis futilibus
omnem eximebant felicitatem. Et hæc est ægritudo
occulte regnans Aulas Principum, vnde infinita mala
succedunt, tam ipsis Rectoribus, quam subditis eorum
atque ministris, vnde tantum vita ipsa decerpitur, vt
in Gallorum Regum serie à Morte Caroli Magni ægre
inuenias qui sexagesimum annum attigerit. Eadem
suspicione, cum eum terminum adiret Ludouicus Vn-
decimus, & morbo tentaretur, iam pro mortuo se ipsum
habebat. Carolus Septimus, eiusdem pater, qui tantum
egregiarum rerum in Gallia confecerat, decumbens,
imaginationem concepit esse qui toxicum sibi para-
rent, itaque & cibo abstinuit. Aliis suspicionibus Ca-
rolus Sextus in stultitiam & vecordiam lapsus est, o-
mnibus natis ex rumusculis hominum, & vanis rela-
tionibus.

Ea sane ingens in Principe censeri debet stoliditas,
talium veritatem non exquirere, aut exigere à Delatori-
bus, siquidem ipsos tangunt, licet non sint omnes ma-
gni momenti: hoc enim examine instituto frequentia
vtique eorum comprimeretur; & coram sistendi sint
calumniarum auctores, vt sub periculo dictis fidem fa-
ciant, ne vanitati licentia mentiendi frænis laxatis,
omnia indicia confundantur. Sic ad Principes
nihil nisi vero probabile perferetur. Sed horum tam
nonnulli stupidi atque excordes sunt vt iuramento
polliceantur dicta non elaturos, vnde iis, quas dixi,
anxietatibus subiiciuntur, odiaque in bene merentes
concipiunt, vt pro præmiis mala iisdem inferant, ad vo-

luptatem nebulonum hominum, calumniis ſtudentium; quo pacto magnas ſubditis atroceſque iniurias inferunt.

CAPVT XIV.

De fama amiſſarum arcium Neapolitanarum ad Regem perlata, de venditione Florentinæ ditionis oppidorum diuerſis emtoribus, de tractatione Atellana in Apulia, magno Gallorum detrimento, deque morte Ferrandi Regis Neapolitani.

MOrs Delfini, vnici filii Caroli Octaui, incidit principio Anni Chriſtiani M CCCC XCVI. quod ſane maximum, quæ vnquam damnum Regi accidit, neque vnquam vitalis inde ſtirpis pater fuit. Nec hoc tantum malum ſolum venit; eodem enim tempore nuntii adfuerunt Neapolitanam arcem deditione amiſſam eſſe per eos quos Monpenſerius inibi reliquerat, facta, quorumque nomina ſupra ſunt poſita. Superuenit aliud inforrunium, aliaque iniuria. Entragueus, gubernator Arcis Piſanæ, vnde domari ea ciuitas poterat ſolebatque, eam ciuibus tradidit: contra iuramentum duplex Regis. Bis enim Florentinis iurauerat Carolus. Arcem iis Piſarum reſtituturum cum aliis oppidis, Serzana nimirum, Serzanella, Petraſancta, Librefacto, Mortronio, quæ ipſi Florentini ſumma eius neceſſitate bonam in fidem præſtiterant cum in Italiam veniret, cum centum viginti millibus Ducatorum, quorum ſola triginta ſoluenda reſtabant, cum nos retrocederemus, vt alio quodam loco diximus.

Breui, omnes iſtæ ciuitates venditæ ſunt. Genuenſes emerunt Serzanam & Serzanellam, venditas

à Spu-

à Spurio quodam domus SanPaulinæ. Petram-Sanctam Entraguius Lucensibus pecunia tradidit, Librefactum Venetis, omnia summa Regis infamia, cum Gallici nominis dedecore, & integra amissione Regni Neapolitani.

Primum iusiurandum quo se Rex obstrinxit restitutioni, factum est Florentiæ, super summum Altare, in magno templo Sancti Ioannis. Secundum Astæ præstitum est in reditu, commodaruntque Florentini triginta millia ducatorum, magna Caroli necessitate, ea conditione, vt, Pisis restitutis, nihil Rex redderet eius pecuniæ, ipsi vero pignori datas pretiosas res. Itaque insuper eidem præstare debebant alia sexaginta millia Ducatorum, statim in Regno Neapolitano dinumeranda, iis, qui Regis adhuc nomine ibi erant; in eodemque regno alere tercentum cataphractos suis sumtibus ad finem vsque negotii. Hac autem perfidia interueniente horum nihil effectum est, reddendaque erant triginta illa millia Florentinis; ea omnia damna inobedientia peperit, rumusculis auricularibus ducibus. Ex Caroli enim familiarissimis Entraguio clam omnium quidam auctores erant. Eodem circiter tempore, initio eiusdem videlicet anni, Monpenserius, Virgilius Vrsinus, Camillus Vitellius, aliique militares Gallorum Præfecti videntes omnia hoc modo perdita esse, in campum prodierunt, captis nonnullis oppidulis. Obuiam his profectus cum copiis Ferrandus Rex, Alphonsi, filius, iam monachi, cum Marchione Mantuano, fratre coniugis Mompenserii; eum exercitum offenderunt in ciuitate quadam, Atella nomine, loco ipsis opportunissimo ad conficienda necessaria victui, loco edito sito. Ibi castra munierunt, vt qui prælium metuerent. Ferrandus enim cum suis semper profligatus fuerat omnibus locis, & Marchio,

Fornouo veniens, memoriam cladis eius trahebat, Ferrando à Venetis commodato datus, cui & mutuum nonnihil pecuniæ dederunt, ſane nullius æſtimandæ, ſi ad ea cenſeatur quæ pignoris nomine ceperunt. Sex enim Apuliæ ciuitates, maximi momenti, Brunduſium, Tranium, Galipolis, Crana, Hidruntum, Monopolis, obtinebant nobis ereptas, ita norant æſtimare quod militia ſua ei Regno vindicando adfuiſſent: Oppida autem ea omnia pro ducentis miliibus Ducatorum habebant, expenſis quæ in cuſtodiam eorum fecerant, care cenſitis, credoque ego nunquam eadem reſtituturos eſſe; non enim moris hoc apud eos eſt, cum commodo talia ipſis loco ſita ſunt, vt iſta, quibus dominantes totum ſinum eum maris Adriatici tenent, qui Hidrunto vſque, in termino ſinus conſtituto, Venetias noningenta millia facit. Pontifex interſitas eo ſpatio nonnullas vrbes habuit, ſed tributa omnes Venetis ſoluunt qui dictum nauigiis fretum permeant.

Ita ingens ipſis commoditas eſt eas vrbes occupauiſſe, maiorque quam multi norint, magnam enim frumenti atque olei inde annonam conficiunt, opportuniſſimis Reipublicæ prouentibus. Eo, quem dixi, loco, inter noſtros diſceptatio exorta eſt tam propter neceſſaria victui, quæ indies decreſcebant, quam pecuniæ penuriam.

Stipendium enim ſeſquianni militi debebatur, & amplius, qui magnam eatenus egeſtatem exantlauerant. Germanis etiam ingens ſumma debebatur, non tamen tanta. Omne enim quod per regnum colligere Monpenſerius potuerat, iis fuerat exſolutum, vt ad annuum tamen & vltra ſtipendium reſtaret. Multa oppidula hinc inde ſpoliauerant, vnde facti fuerant opulenti.

opulenti. Si quadraginta illa millia Ducatorum quæ mitti fuerant promissa, præsto fuissent, aut Florentiæ saltim depositi, illud discidium neutiquam superuenisset: sed omnia desperata iam erant. Plurimi Præfectorum hostilis militiæ mihi dixerunt, si nostræ copiæ in pugnam consensissent, vtique victoriam obtenturas fuisse: quod si contigisset easdem vinci, non tamen tot amissuros milites quot perdiderunt tam pudenda inita compositione. Mompenserius cum dicto Vrsino, volebant confligere. Hi duo in carcere mortui sunt, neque compositionis leges seruatæ. Ambo caussam omissæ pugnæ conferebant in Percium quendam, adolescentem ex nobilitate Auerna, qui imperium detrectare solitus, perfidi malique ingenii homo fuerit. Duo genera in hoc exercitu Germanorum erant: Mille quingenti Heluetii, qui primæ Regis expeditioni affuerant.

Hi egregia fide militauerant ad mortem vsque, vt nihil ea præstantius dici potuerit. Erant & alii quos vulgo Lansknechtos vocamus, quos regionis socios interpretere, odio naturali in Heluetios feruentes. Hi sunt vndique collectitii, vt ex Sueuia, & regionibus Rheno assitis, inerant etiam Vallenses, & Gueldri natione, summa octingentorum hominum copias faciente, qui nuper missi eo venerant cum duorum mensium stipendio, iam consumto; ex quo autem aderant, nullam recepere pecuniam.

Hi tali se periculo versari videntes, non amabant nos, more Heluetiorum. Tractarunt potius cum hoste, & ad Ferrandum transierunt, Ea de caussa & ob Imperatorum dissensionem, pudendam nostri homines transactionem fecerunt cum eodem Principe, qui iurauit quidem fide bona seruaturum,

Mar-

Marchione Mantuano ſtudente omnibus modis affini ſuo Monpenſerio bene proſpicere. Ea tranſactione omnes ſe poteſtati hoſtium commiſerunt, iis tradita omni re Regis Tormentaria, promiſſaque reſtitutione omnium locorum quæ Regi tam in eo Regno quam per Calabriam & in Abrucio adhuc parerent, cum Caietta & Tarento. Ita Ferrando incumbebat eos tranſmittere in Prouinciam, cum omni ſupellectile, quæ tota nullius pretii erat. Is vero Neapolim omnes deditios miſit, ſumma ſena millia excedente. Paris dedecoris compoſitio noſtra ætate nulla facta eſt, neque lectu talem comperi, vna excepta duorum Romanorum Conſulum à Tito Liuio deſcripta, cum Samnitibus, quos Beneuentanos noſtros autumant, loco tum Furcarum Caudinarum nomen habente. Id vero fœdus nequaquam Romani ſeruare voluerunt, captiuoſque dictos Conſules in caſtra hoſtium miſerunt. Si conflictu commiſſo victi fuiſſent noſtri, neutiquam tantum militum amiſiſſent, duæ enim partes omnium fame atque peſtilentia, in nauibus, inſulaque Pruſſia (quo miſſi ſunt à Ferrando, cum Monpenſerio, quem veneno nonnulli ſublatum, alii, quibus magis crediderim, febri dicunt,) perierunt: neque ex omnibus rediiſſe autumo mille & quingentos mortales. Heluetiorum ex mille trecrentis vix trecenti quinquaginta reuerſi ſunt, omnes male affecti, ægrotique; ob fidelitatem immortali præconio digni: numquam enim ſignis Ferrandi ſuccedere voluerunt, etiam mori præoptantes, vt fecerunt in dicta inſula tam calore aeris quam morbo & fame graſſantibus. Nauigiis enim longo tempore continebantur, tanta ciborum egeſtate, vt nihil vltra fingi poſſit. Vidi reduces inde venientes, præcipue hos Heluetios, ſalua ſua Vexilla referentes: hi vultibus fatebantur extrema omnia toleraſſe, erant omnes mala valetu-

dine

dine, cumque nauibus progrederentur, vt anhelitum
ſereniori aere reficerent, extollendi erant eorum pedes.
Virgilius Vrſinus in ſuam ditionem regredi poterat
cum filio, compoſitionis effectu, vt & omnes cæteri I-
tali, qui Carolo ſeruierant; retenti tamen ſunt, Vrſinus
quidem cum vnico legitimo filio (Erat eidem illegiti-
mus alius, Carolus nomine) Italorum in reditu non
pauci eum interemerunt. Si hoc infortunium eos ſolos
contigiſſet, qui tranſactionem fecerant, non eſſet eorum
ſors magnopere deplorabilis. Statim cum hac fortunæ
proſperitate Ferrandus eſſet mactatus, coniugio ſe no-
uo obſtrinxit ducta filia aui ſui Ferrandi; quam ſuſtule-
rat is ex ſorore Regis Hiſpaniarum, nunc regnantis,
itaque erat patris Ferrandi ſoror Alphonſi, tum tredecim
aut quatuordecim annorum puella; à quo illico conti-
nuam febrem incidit, paucis diebus mortiferam: Regni
autem ſucceſſio Federico delata eſt, patruo defuncti,
nunc Regi. Horrenda res videtur hujus matrimonii me-
moratio: ſed ea familia talium ſolens erat, recentique
memoria triginta circiter annorum pluria eius generis
facta ſunt. Mors ea non longe compoſitionem dictam,
Atellæ factam, inſecuta eſt, eodem M CCCC XCV.
anno. Ferrandus & Federicus quod Monpenſerium non
dimitterent eo ſeſe excuſabant, quod nondum reſtituta
ipſis eſſent omnia pactis comprehenſa oppida, Caietta
enim cum aliis nonnullis ſub eius ditione non fuerant.
Licet enim Vicarius Regis eſſet, non tamen tenebantur
oppidorum præfecti ea eius imperio hoſti tradere. Rex
quidem eo nomine damni nihil paſſus eſſet, plus enim
longe cuſtodiendis paſcendiſque iiſdem impendebatur,
quam vſui eſſent, & ſic tamen etiam amiſſa ſunt. Si ne-
que mendacio dixerim, (eram enim præſens tribus qua-
tuorue vicibus cum expedirentur qui arces Neapoli-
tanas ſemel, Caiettam autem ter reficiendam mitte-

rentur) quatuor itinera ei rei impensa ad trecentis Francorum millibus Carolo constitisse, & omnia tamen incassum facta sunt.

CAPVT XV.

Vt nonnullæ conspirationes per Italiam in fauorem Regis tam Neapoli seruandæ, quam Sfortiæ euertendo, initæ, neglectis qui eo mitterentur, exspirarint. Vtque alia Genuæ occupandæ ratio in vanum tentata sit.

CVm Neapoli, vt commemorauimus, Rex rediisset, Lugduni longo tempore substitit equestribus ludicris, aliique hilaritati intentus, cupidus semper dictarum ciuitatum retinendarum, eique rei omnibus sumtibus pro nihilo æstimatis. Nolebat tamē vlla cura ipsemet rebus suis adesse. Satis occultorum consiliorum Italia submittebatur, tutarum etiam magnarumque rerum publica pro Galliæ vtilitate, quod Regnum abundat hominibus, inque Languedocia & Prouincia frumento, vnde pecunia eo mitti posset. Alii tamen à Rege Franciæ Principi incumbere putem semper talibus Italorum negotiis vacare, in succursus videlicet & recuperationes, omnia enim vnde oriantur, eo reuertentur, & in summam nihil sine securo constabit: Nemo enim Italorum sine pecunia vsui sit, neque possit quisquam, præter Mediolanensem Ducem, aut vna summarum Rerumpublicarum.

Vnus vero aliquis Præfectus, etsi bene animatus adesse Galliarum Regi qui Neapolim sibi vindicet, aut alteri, qui Mediolanum, quacunque etiam fide

sit,

ſit, non diu poterit commodo eſſe, cum ſemel pecunia defecerit: Deſeretur enim à ſuis ipſe militibus, & omnia ſua miſer peſſumdederit: Plerique enim præter fidelitatis opinionem nihil habent, eamque milites conciliant cum pecuniam capiunt, ſuis ductoribus: ipſe autem inde ubi ſeruit ſuum lucrum habet; neque opus eſt quicquam præter diſceſſum in partes apud Italos quærere.

Verum qualia hæc negotia fuerint, vt ſciatur; tam fuere antiqua vt ante Caiettam amiſſam ceperint, & nunc quoque durent, biennio integro interlapſo ex quo Rex rediit, & Dux Mediolani promiſſis non ſtetit. Hic vero non maliuolentia aut fraudulentia ſolis talia faciebat, ſed partim etiam timore, Metuebat enim ſi Regis potentia tantum augmenti caperet, ne ipſe exueretur ſuo Principatu, Præterea cenſebat Regem parum ſeruandis promiſſis conſtantem eſſe. Ad finem conſilium captum eſt vt Aurelianus Aſtam proficiſceretur cum bona eximii militis copia, vidique paratum iam expeditioni, cum omni procedente comitatu. Ferrarienſi fidere tuto poteramus, ſubuenturo cum quingentis Cataphractis & duobus millibus peditum, licet filiam eius vxorem haberet Sfortia, hoc enim faciebat vt eximeret ſe periculo, quo medius erat inter Mediolanenſem & Venetos; quia antea Veneti ipſum Poleſano ſpoliauerant, & quærebant eius manifeſto deſtructionem. Itaque ſecuritatem non immerito ſuam ſuorumque liberorum, generi amicitiæ prætuliſſet, ſuſpicionem præterea habens poſſe inter Regem & Sfortiam tranſigi, cum iſte ſe tali periculo videret: Idem omni ſuo ſubſidio egiſſet Marchio Mantuanus, non ita pridem Venetorũ Imperator, licet enim ea adhuc dignitate eſſet, ſuſpectus tamen eiſdem habebatur, ipſeq; male cum iis con-

contentus morabatur Ferrariæ apud socerum, cum trecentis cataphractis: habebat enim & nunc quoque coniugem, habet sororem Mediolani Ducissæ, Ferrariensium Principis filiam. Ioannes Bentiuolus qui pro Principe Bononiam moderatur, submisisset quingentos cataphractos, cum duobus suis filiis, qui & ipsi habebant equites peditesque; cuius eo loco sita est ditio vt magno vsui contra Mediolanensem esse possit. Florentini qui euersi fere sua potentia erant, nisi casu quodam resurgerent, metu ne Pisis aliisque locis spoliarentur insuper, misissent cataphractos octingentos & quinque millia peditum suis impensis, habebantque numerata eorum in sex menses stipendia. Vrsini & Præfectus Romæ, frater Cardinalis Sancti Petri-ad-vincula, cuius frequens supra mentio fuit, erant enim ex stipendiariis Caroli, suffecissent mille cataphractos. Notandum vero est Cataphractorum Italiæ non eum esse comitatum quo nostri vtuntur, hi enim sagittarios etiam habent, sed tamen stipendia fere eadem sunt. Cataphractus enim, si recte stipendium capiat, in annum centum ducatis meret; nostris autem duplum propter sagittarios soluendum est. Hi omnes à Rege stipendia habuissent, exceptis Florentinis. Dux Ferrariæ autem & Marchio Mantuanus, cum Bentiuolis, solum suas expensas reposcebant; regiones enim occupare singuli volebant, Mediolanensi ereptas: Is si ex insperato sese aggressum sensisset iis quos adduxisset Aureliani Dux, quosque alios nominaui, cum iis qui assistere ipsi potuissent, Venetis puta, non fuisset paratus defensioni; itaque Rege longo tempore Italos milites sustentaturo vtique ad partes nostras sese contulisset: Eo autem circumducto Regnum Neapolitanum se ipsum nobis restituisset. Error non tentatarum harum

rerum

ferum ex eo venit quod Aurelianus proposito non stetit, liceteo res venisset, vt postridie vesperi discessurus esset, omni sua supellectili præmissa, neque superesset quicquam quam vt ipse eam sequeretur, milite iam exspectante, & numeratis stipendiis bene animato. Astæ enim erant octingenti cataphracti Galli, cum sex millibus peditum, quibus quadraginta inerant Heluetii. Aurelianus mutata sic sententia à Rege postulauit duabus vicibus, vt placeret rem consilio proponere. Id quod bis factum est, vtrique consistorio me præsente: Conclusum ibi est, nec vno abscedente calculo, cum duodecim ad minimum homines adessent, eundum ipsi esse, cum tantum amicorum per Italiam esset, quorum nomina supra posita sunt, qui parati exspectarent motum nostrorum, factis iam magnis expensis. Tum Aurelianus, (qui vel ipse nolebat proficisci vel alicuius alterius consilio credebat, quod videret Regem non satis firmæ valetudinis, ab cuius excessu ad ipsum spectabat successio) dixit, suo se priuato nomine neutiquam profecturum, sed vt Vicarium Regis, eiusque mandatu, rei non defuturum. Postridie secutisque diebus Florentinorum legati vrgebant magnopere profectionem eius apud Carolum, qui respondit nolle se eum violenter in bellum propellere. Sic ista expeditio euanuit, Regis ingratiis, cui plurimo iam tum constabat, habebatque magnam spem vindicandi in Sfortiam iniurias suas, ob multa clam affutura subsidia, præcipue cõsiliis Ioannis Iacobi Treuoulii , Vicarii Regis & Ducis Aureliani, qui natus erat in ditione Mediolanensi, multis ibi carus atque acceptus, cuique conspirabant occultim multi, tam cognatorum ipsius quam aliorum. Irrito facto hoc conatu, alterius occasio mox affuit, vel & duarum triumve mox; Genuæ, vbi omnes nouandis rebus intenti sunt. Vnius auctor erat Baptista CampoFulgosus, partium magna-

rum ea in ciuitate Caput: hic ciuitate exſul aberat, nec multum eius clientes poterant, vt nec Oriani, qui ex Nobilitate ſunt, hic autem plebeius erat. Oriæ ſunt earum cum Campofulgoſis partium, nec poſſunt Duces Reipublicæ fieri, quoniam Nobiles ſunt, quod leges ea omnes dignitate arcent. Baptiſta autem paullo ante Dux fuerat, ſed deceptus ab agnato ſuo, Cardinali Genuenſi, exciderat: Is Cardinalis Sfortiæ non ita dudum Vrbem tradiderat; quam tum Adornii Gubernabant, & ipſi plebeia proſapia, ſed ſæpius Principatu ea familia potita, auxilio Spinolarum, Nobilium & ipſorum. Sic n. nobilitati ius eſt Duces Genuæ facere, licet ipſi eo dignitatis peruenire nequeant. Campofulgoſus ſperabat in arma ſuos clientes producturum tam intra mœnia Vrbis, quam in agro; Dominium quidem ita Regis futurum, ſed ipſum cum familia ſua Gubernatoris titulo præfuturum, inimicosque omnes eiecturum. Altera oblatio erat: plures Sauonæ ciues ad Cardinalem San-Petri-ad-Vincula venerant, pro certo ferentes Sauonam tradituros, modo poſſet libertati reſtitui, quæ Genuenſibus ſeruiret. Si quis eam ciuitatẽ tenuiſſet, Genua facilis fuiſſet domari, cum Prouincia omnis in poteſtate eſſet Caroli, ad nutum omnia factura Sabaudia. Harum omnium rerum cauſſa Treuoulio Rex indicauit, vt Campofulgoſi res foueret præſtaretque militem qui ad portas eum Genuæ ducerent, vt videret vtrum factio eius arma eſſet captura. Ex altera parte Cardinalis San-Petrinus vrgendo tantum effecit, vt eidem Treuoulio idem nuntiaret cum dicto Cardinali milites Sauonam mitteret, Seruonius, Prouinciæ Baro, hoc mandatum Treuoulio pertulit. Eidem pariter Militiæ ſuæ Duci Rex occulte mandauit, vt vtramque partem diſceptantium foueret, neque contra Sfortiam quid faceret, neve pacificationi initæ contrairet. Hæ iuſſiones adeo

diuersæ erant, vt nihil supra: & sic res Principum summorum eunt, cum ipsi iis non præsunt, præcipitesque ad litteras aut nuntios impelli se patiuntur, priusquam momenta rerum tantarum hinc inde excutiantur. Quæ Campofulgosius, quæque Cardinalis poscebant, his satisfieri simul non poterat. Ad muros enim Genuæ proficisci sine ingentibus copiis, summa sit stultitia, in ciuitate enim multitudo hominum est bene armis instructorum, audacium, & summo robore. Quod si pariter Cardinali miles traditus, cum mansuri vtique & penes Treuoulium nonnulli essent; exercitus tripartitim diuisus fuisset. Iam vero Sauonam & Genuam non pauci milites à Sfortia submittebantur, vt & à Venetis, magnopere metuentibus ne Genua nostri potirentur, vt & Federico Rege cum Pontifice. Ipse autem Treuoulius tertium quid corde volutabat. Recta enim in Sfortiam mouere volebat, omnib. cæteris omissis, & si eius ei rei potestas fuisset, effecisset mirandas res, vt iam tum ordiebatur. Nam sub prætextu scribendi ad Regem non posse alio modo seruare indemnes qui Genuam aut Sauonam irent, constituerat regia via procedere, vnde Alexandria Genuam iter est, non enim alio poterat militem Sfortia mittere, vt nostros infestaret: sic iam tria quatuorve minuta oppida ceperat, sponte sese dedentia. Ea re dicebat neutiquam se Sfortiæ qui necessario interuenturus esset, bellum inferre, vt Genua aut Sauona potiretur, non enim id cupere Regem, cum alioquin ad ipsum ambæ spectent fidelitatis iuratæ nomine, iam vero commiserint digna castigatione. Vt Cardinali satisfaceret idem Treuolius, partem ipsi exercitus Sauonam ducendam dedit. Ea vrbs custodita reperta est, irritoq; conatu propterea rediit. Baptistæ itidem pars copiarum concessa est, qui magna de suis rebus pollicebatur. Cum tria aut quatuor milliaria pro-

 cessisset,

ceſſiſſet, nonnulli ex militibus tam Galli quam Germani de Fide eius dubitare cæperunt; hoc licet iniuria viri fieret, tamen non admodum magnæ eæ copiæ manifeſto ſe periculo expoſuiſſent, ſi factionem vrbanam non exſurgere contigiſſet. Sic omnia iſta conata in vanum ceciderunt: Dux vero Mediolanenſis iam robore auctus erat, qui ſummo diſcrimine fuiſſet, ſi ſua ſponte vti permiſſum eſſet Treuulio, nam Veneti multum militem ſubſidio miſerant. Noſtræ copiæ ſeſe reduxerunt, pedites que dimiſſi ſunt, oppidaque illa minuta relicta, bellumque finitum eſt, exiguo Regis noſtri commodo, qui magnas iam expenſas fecerat.

CAPVT XVI.

De diſſenſionibus nonnullis inter Ferrandum Hiſpaniæ & Carolum Galliarum Regem, deq; Legatis qui ad componendas eas vtrimq; miſſi ſunt.

POſt initium dicti M.CCCC. XCVI. anni, iam rege vltra montes quartum menſem agente, in vſque annum M. CCCC. XCVIII. nihil aliud in Italia à noſtris geſtum eſt: Eo toto tempore cum ipſo fui, præſens pleriſque rebus gerendis. Lugduno Molinium commeabat Carolus, Molinio Turonos, vbique equeſtribus exercitiis ludisque vacans, nec aliud curæ habebat. Ii, quibus maxime ipſe credebat, tantopere diſſentiebant mutuo, vt non poſſent deterius. Alii volebant Italiæ debellandæ inſiſti, vt Cardinalis & Seneſchallus, conſiderato lucro ipſorum, & continuanda auctoritate, quorum arbitrio omnia adminiſtrarentur. Ex altera parte erat Admiralius, qui omnia ante expeditionem apud Regem potuerat. Hic omnes iſtos conatus improbabat, & ipſe ſuum

com-

commodum olfaciens, ſperans auctoritatem amiſſam recuperaturum, vt timebant alteri eamdem perdere; ſic per ſeſquiannum res proceſſerunt. Eo tempore Legati mittebantur ad Regem Reginamque Hiſpaniarum, Rex enim cupiebat pacificare eo loco omnia, cum bella iam feruerent, apparatusque terra marique ingentes eſſent. Etſi enim parum terreſtri bello conficerent, mari tamen auxilio magno fuerant Fernando & Federico. Sicilia enim Neapolitano regno propinqua eſt ad ſeſquimilliare, contra Regium Calabriæ oppidum: Sunt qui dicant continuam olim tellurem fuiſſe, mare autem medium irrupiſſe, quod nunc fretum Meſſinium vocant. Sicilia autem parente Hiſpanis ingentia Aragoniis ſubſidia Neapolim aduenerant, magna vis Hiſpanicarum nauium, militumque, in ipſa inſula nonnullæ copiæ erant, quæ tranſmiſerunt in Calabriam; cum nonnullis Saracenis, infeſtabantque Gallos bello. Hiſpana claſſis continue cum noſtris hoſtibus erat, cumque omnes conueniſſent, noſtri Regis maritimus apparatus longiſſime impar erat. Aliunde parum damni Hiſpani noſtris dederunt. Languedociam quidem magna vis equitum inuecta eſt, agentes ferentesque omnia, nonnullis ea in regione quatriduum integrum exigentibus: Vltra vero nihil egerunt. Baro Sanctandreanus de Burbonia eos limites tuebatur vice Ducis Burbonii, Languedocii Gubernatoris: Hic conatus eſt capere Sauſſium exiguum oppidum agri Ruſcinonenſis, inde enim præteritis duobus annis bellum Gallo intulerant. Ipſam ditionem eam eis Rex noſter reſtituerat, cuius eſt territorium Perpiniani, cuius oppidum dictum habebatur. Inceptum erat magni momenti, pro loci enim conditione multus miles inerat, præcipue ex Aulicis Regis Hiſpaniæ ipſis, quorum copiæ vno tantum milliari aberant, maiore aliquanto noſtris. Sanctandreanus tamen rem tam dextre exegit,

exegit tamque occulte, vt intra decimam horam oppidum ceperit, vti ipse vidi, vi armata, interfectis ad quadraginta ex nobilitate Hispana non postremis, quibus interfuit filius Archiepiscopi de SanIacobo, aliique milites quadringenti, non exspectantes tam inopinatam nostram irruptionem, non enim norant vires nostrorum tormentorum, omnibus certe toto mundo præstantium. Hæc est summa bellorum inter hos duos principes gestorum, dedecore & infamia Hispani, cuius tantus esset exercitus. Sed quando Deus castigare vult gentem aliquam, præmittere iis tales dolores exiguos solet; superuenere n. mox dictos Regem Reginamq; longe maiora incommoda, vt & nostros Principes. Magna iniuria Hispani in nostrum Regem periuri fuerant facti, post insignem in eos illam probitatem qua restituerat Ruscinonem, in quem agrum recuperandum seruandumque tanti sumtus fuerant facti à Patre Ludouico, qui eum ceperat pro trecentis millibus Coronatorum, quos remittebat eo nomine Hispano: id autem omne fecerat ne ab eo impediretur in expeditione Neapolitana; tum antiquas Regnorum confœderationes redintegrarunt, quæ Regem Rei, Regnum Regno, subditũ subdito cõnectunt; etiam promittebatur nostro Hispanum ei expeditioni non contraiturum, neq; vllam filiarum Arragoniis collocaturũ, vt nec Angliæ, & Flandriæ familiis. Hæc autem stricta matrimoniorum veterum cautio, ex eorum parte proficiscebatur; offerente quodam Monacho, Ioanne Mauleone nomine, vice Reginæ Hispaniæ. Cum primum autem belli exordia perceperunt, Regemq; Romam venisse, Legatis vndiquaque demissis confœderationes nouas sunt moliti. Etiam Venetias, vbi ego tum eram, hoc nomine missus est Orator; vbi & fœdus ipsum conclusum est, vt supra multis recensuimus. Illico post bellum in nos inceperunt, caus-

caussantes talem obligationem non opus esse teneri,
scilicet non posse filias dictis familiis elocare, (quatuor
autem habebant, vnumque filium,) quamlibet ipsi eam
excogitassent, vt demonstrauimus. Sed, vt ad seriem nar-
rationis reuertamur, omnibus Italicis istis negotiis exspi-
rantibus, nec præter Caiettam toto regno quicquã Rege
tenente; (eam n. adhuc nostri non perdiderant cum pax
inter duos istos Reges confieret, sed paullo post amissa
est; neq; iam apud Ruscinonem amplius belligerabatur,
quoq; suum ꝙ habebat tueri studente, cum ad Carolum
miserunt ex nobilitate vnum, & Monachus Monferra-
tenses: solent enim omnia Hispani opera hoc genere
hominum conficere, vel simulatione religionis, vel
vt sumtibus supersedeant. Hic enim Monachus Io-
hannes Mauleonius, tractabat restitutionẽ Ruscinonis.
Hi legati initio à Rege postularunt ne vmquam in me-
moriam reuocaret iniurias quibus à Rege & Regina læ-
sus esset (Regina semper cum Rege hoc nominatur, quia
Hispania ex huius parte est, & ipsa inibi principali aucto-
ritate erat, matrimonio inter eos maxime honorifico.)
Hinc induciæ factæ sunt, comprehensa tota inibi con-
fœderatione; Regi vt remaneret possessio Caiettæ,
quæque alia Regni Neapolitani adhuc haberet, spa-
tioque earum indutiarum vt ea loca possit victui ne-
cessariis illatis reficere, vt vellet: nominandam deinde
diem quo conuenirent Fœderis totius legati, ad tractan-
dam, si qui vellent, pacem. Reges autem Hispaniæ exin-
de bello suo contra Mauritanos instituros, tramisso
quod inter Granatam & Africam est mari; Fessano re-
gno littori proximo. Alii dicebant hanc minime ho-
rum voluntatem fuisse, vt essent cõtenti eo quod acqui-
siuerant, Granatensi nimirum Regno, quæ reuera bo-
na & grandis erat ditionis auctio, omnium nostri
temporis haud dubio princeps, numquam præcessorib.

eorum parabilis. Et vellem ego, pro amore quo eosdem complector, vt numquam alteri rei mentem adiecissent, seruassentque nostro Principi promissa. Rex cum eorum Legatis remisit Baronem Clerieusium Delfinatu oriundum; conabaturque Rex indutias aut pacem cum iis facere, nulla memoria cæterorum Fœderis sociorum habita, sed, si eorum oblationes recepisset, Caiettam seruasset; quæ sufficere potuisset ad totum aliquando Neapolitanum Regnum recuperandum, ob amicos vbique eius nostris rebus fauentes. Cum Clerieusius rediret nouam negotiationem intulit, interim amissa Caietta, priusquam ille in Hispaniam veniret. Ea noua res fuit Hispanum cum nostro Rege in antiquam illam amicitiam rediturum: sic ambos iunctim totam Italiam communibusque impensis inuasuros, ipsos Reges ibi futuros. Interea autem generales indutias conficerent, quibus totum fœdus contineretur, ei rei dies constitueretur in Pedemontio, quo quisque posset legatos mittere, honeste enim à fœdere Hispanos decedere velle. Omnis ista oblatio, quantum ego intelligebam, vtque post exitus docuit, erat mera simulatio, tempori educendo, vt se recolligeret interea Ferrandus, cum viueret, post eum vero Federicus, recens Regno admotus. Non minus tamen Neapolim ipsi ambiebant. meliori enim iure id tenuissent istis possessoribus; tamen vt Andegauensis familia, cuius ius in Regem fuerat deuolutum, præcederet. Vt vero ingenia incolarum conciliata video, erit eius is Principatus, qui poterit eum occupare, nihil enim æque ac mutationem dominorum ciues quærunt. Posthæc reuersus Clerieusius cum Michaele quodam est Grammontano, cum nonnullis oblationibus. Clerieusius nonnihil Aragonios amabat, sperans obtenturum Marchionatum Cotronii in Calabria, quem Hispanus tenet, occupatum vltima eius regionis inuasione; ipse

autem

autem vindicat sibi. Est vero vir bonus, facilis credere, præcipue magnis hominibus. Cum secundo reuenisset advexit secum Hispaniæ Regum Legatum, referens eos reges velle contentos esse vicina Siciliæ Regni Neapolitani parte, quæ sit Calabria, nomine eius iuris quod in id regnum sibi vindicarent. Carolum autem reliquum occupare debere. Hispanum ipsum venturum ad subditionem dictæ regionis, dimidiumque impensarum in exercitum facturum, iamque tenere aliquot firmas Calabriæ ciuitates, quarum vna sit Cotronium. Interfui relationi; pluribus videbatur meras illusiones esse, mittendumque eo quemdam cordatiorem hominem, qui pressius inquireret negotium. Itaque primis legatis adiunctus est Buchagius, vir apprime sapiens, magna apud Regem quondam Ludouicum auctoritate, vt & nunc apud Carolum, eius filium. Legatus quem noster adduxerat, numquam confirmare volebat Clerieusii dicta, solum se arbitrari dicens nisi ex Regibus audita illum non esse relaturum; quod illusionem asserebat; nemini enim credibile videbatur ipsummet eo Hispaniæ Regem venturum, neque velle aut posse æquos nostro sumtus facere. Postquam Buchagius, Clerieusius, & Michael Grammontius cum aliis ad Reges Hispaniarum peruenissent, hospitio illocati sunt tali, vt nemo eis colloqui posset, etiam custodibus adhibitis. Rex & Regina ter eos allocuti sunt. Cum autem eo res veniret, vt narraretur iis à Bouchagio quæ Clerieusius retulisset cũ Grammontio, responderunt, colloquii forma se de talibus verba fecisse, neque alia sententia. Paci autem coeundæ libentissime affuturos, vt fieret ea ad honorem Regis nostri & emolumentum. Clerieusius ægerrime nec sine caussa hæc audiens coram ipsis asseuerauit, præsente Bouchagio, omnino ipsi in mandatis dicta dedisse. Tum ab eodem Buchagio conclusa sunt, accedentibus sociis

legationis, in duos menſes induciæ, non tamen accenſito Fœdere; ſed iis qui duxerant Regum filias, patresque generorum, hoc eſt, Reges Romanum & Anglorum, Princeps enim Walliæ admodum adoleſcentulus erat. Quatuor Regibus filiæ erant, natu maxima vidua filii Regis Luſitaniæ, vltimo defuncti. qui ceruicem fregit coram illa tribus poſt nuptias menſibus. Vna reſtat nondum deſponſa. Cum primum Bouchagius rediit, recenſuitque acta, agnouit Rex bene ſe feciſſe quod eum virum miſiſſet, ad minimũ iam exrra dubitationem eſſe poſſe; videbaturque ipſi clare Clerieuſium nimium facile credidiſſe. Vltra hæc Bouchagius retulit, ſupra indutias iſtas nihil conficere potuiſſe, Regis autem ineſſe arbitrio, probare illas vellet an ſecus. Rex eas probauit, & ſane erat digna, cum eſſet Hiſpani fœderis diſturbatio. qui quod tantum negotia noſtra turbauerat, nec vllis hactenus modis potuerat diſiici. Adhæc retulit Bouchagius breui ſecuturos alios ad noſtrum Regem Hiſpanorum legatos, quibus, vt ipſi diſcedenti affirmaſſent, poteſtas eſſet concludendæ bonæ atque egregiæ pacis. Pariterque Bouchagius dixit ægrotantem ſe reliquiſſe Principem Hiſpaniarum, Regum vnicum filium.

CAPVT XVII.

Narratio de fortuna qua vſa ſit familia Regum Hiſpaniæ, tempore Cominæi.

DEcem duodecimve poſt aduentum Bucagii cum ſociis diebus litteræ ad eum fæcialium in Hiſpania ad continuandam legationem relictorum, vnius, peruenerunt; excuſantes moram ob obitum Principis Caſtiliæ, ſic enim Regis filium appellant, cuius ergo Rex & Regina tam mirificis dolorib. perculſi eſſent, vt omnem fidem res excederet: præcipue mater Regina, quam potius

tius mortuam quam viuam haberent sui. Vero autem numquam de tali mœstitia audiui dictum, quam qua istius iuuenis excessus totum paternum regnum inuoluit. Quadraginta dies omnes opifices clausis tabernis cessauerunt à manuario opere, vt ex Legatis eorum post audiui: Omnes aulici, Consiliarii. Omnis nobilitas, & quicunque etiam homines alicuius notæ seque equosque & mulas suas ad talos immissis nigris stolis decolorarunt, vt præter oculos nihil animantium videretur. Omnium vrbium portis atra vexilla elata sunt. Cum Margarita, filia Romanorum Regis, soror Archiducis Austriæ, Principis eius coniux resciuit miserabilem hunc nuntium, iam sextum mensem vterum ferens; abortiit filiam partu præmortuam. Quanta hæc vnius familiæ infortunia, quæ tantum gloriæ & honoris acceperat, possidebatque ampliores regiones quam vmquam quispiam Christianus Princeps, tam successione, quam post acquisitione Granatensis Regni nobilissima? Adhæc tantæ apud omnes existimationis Regem Italia submouerat ista domus, vt cœptorum fine caderet? Sane & hoc pro maximo merito negotio habebatur, ab ipso etiam Pontifice, qui sub prætextu Granatensis augmenti ipsis voluerat adscribere Christianissimorũ titulũ, nostro Regi ademtum; & iam multoties ita Breuibus, quæ vocant, suis ad eos scripserat: sed quoniam contraibant Cardinalium nonnulli, mutatus est in alium, Catholici nimirum Regis, vt nunc quoq; consalutantur, mansuro, vt videtur, in Romano vsu titulo. Quibus vero tum doloribus hæc eos mors percellebat! Iam Regnum omne in placidam paritionẽ redegerant, iustitiaq; vndiq; munierant. cumq; iam in dignitatẽ honorẽq; eorũ Deus & homines cõsentire viderẽtur, vt cæteris Orbe toto Principib. eminerent, etiam sanis integraq; valetudine corporibus? Neque sic vero tam immanibus his doloribus infortu-

infortuniis ſuis defungebantur; maxima enim natu filia ipſorum, quam præter defunctum Principem omnibus mundi theſauris amplius diligebant, cogebatur ab iis diſcedere, paucis ante diebus deſponſa Principi Luſitaniæ adoleſcenti, Emanueli, qui iam Rex erat, obitu vltimi ad eum ſceptro redeunte. Is rex atrociſſime capite truncari fecit coniugis patrem, occiditque eiuſdem ſuæ vxoris, maioremque natu huius Luſitaniæ noui Regis fratrem; hunc vero ipſum magno metu ſemper tenuerat. Fratrem dictum huius in prandio ſua ipſe manu peremit, præſente ſorore, ſua vxore, vt regno admoueret vnum ex ſpuriis ſuis. Ab his ſceleratis maleficiis in magno metu vixit, ſuſpitionibus dilatus & contabefactus. Paullo poſt vnicum legitimum ſuum filium amiſit, qui ceruicem caſu ex equo fregit; hic huius, de qua modo loquimur, fœminæ primus maritus fuit, nunc nuptæ Regi Luſitaniæ, ſecundo in id regnum rediens. Mulier ſapiens, honeſta, pnblica fama teſte, inter totius orbis præcipuas. Sed ad continuandos miſerabiles caſus breui tempore accidentes, his Regibus Hiſpaniæ, qui eatenus tam feliciter quinquaginta Rex annos, Regina duos vltra, vixerant; ſciendum eos collocaſſe Luſitaniæ Principi ſuam filiam, ne vllos ita tota Hiſpania amplius hoſtes haberent, ſed eam pacatam haberent omnem. Obtinent enim nunc totam excepta Nauarra, in qua & ipſa tamen quod lubet agunt, tenentes quatuor munitiora oppida. Præterea ob dotem mulieris exigendam idem matrimonium pepigerant, vtque nonnullis ita Proceribus Luſitaniæ ſubuenirent. Hoc enim coniugio iſti homines exſilium inacti cum Rex dictos duos Magnates, bonis in fiſcum redactis, quæ confiſcatio nunc quoque durat, etſi nihil aliud ei moliti forent, quam Regem qui nunc eſt ſceptro admouere, perimeret, in Hiſpania damnorum ſuorum compenſationem acceperunt, poſſeſſioni-

bus eorum Reginæ Luſitaniæ traditis dotali nomine, de
quare loquor. Verum non obſtantibus his rationibus
Rex & Regina magnopere dolebant hoc matrimo-
nium, cum non ſit in terrarum orbe natio quam plus
Luſitanis Hiſpani oderint, cum perpetuis ludibriis &
vituperationibus. Itaque valde eos pœnitebat filiam
elocaſſe homini Hiſpaniæ incolis minime grato, aliiſ-
que ita talibus ſuarum regionum ſucceſſionem, quique
illos permiſiſſet ſuo arbitrio vti, minime id perfeciſſent:
Sed amarus hic dolor iam auerti non poterat, cui alius
etiam vehementior accedebat, quod ab parentum præ-
ſentia filiæ eſſet migrandum. His tamen exhauſtis mœ-
roribus, circumduxerunt nouos coniuges per principa-
lia Regnorum ſuorum oppida, Principemque Luſita-
niæ recipi pro Rege voluerunt à deceſſu ipſorum; ſola-
tium autem aduerſarum rerum inde capiebant quod
dicta mulier, hæres Hiſpaniarum, & Regina Luſitaniæ,
iam maturo infante prægnans foret. Sed & hinc dupli-
catus eſt mœror, arbitrorque eo ſuperueniente nihil
tam optaſſe quam vt ſtatione huius vitæ diuinitus exſol-
uerentur, hæc enim fœmina tantopere æſtimata atque
dilecta mortua eſt in partu, iam vix, puto, elapſo menſe:
decurrit vero cum iſta ſcribimus Octobrem annus
Chriſtianus Milleſimus, Quadringenteſimus, Nona-
geſimus Octauus. Infans tamen matri ſuperſtes fuit, &
nunc à patris vocabulo Emanuel nominatus viuit. Hæ
omnes ingentes fortunæ iis aduenerunt ſpatio trium
menſium. Sed ante obitum laudatę huius fœminæ, huic
Regno aliud etiam infortunium accidit. Carolus enim
Octauus noſter Galliarum Rex, viuis exceſſerat, vt iam
narraturi ſumus, vt plane videretur aduerſo vultu duo
iſta Imperia Deus aſpexiſſe, neque ipſi placere alterum
ab altero Regnum ludibrio haberi. Non enim ingens
aliqua mutatio vnius poterit accidere ſine infortunio
pluri-

plurimorum, licet enim ſint qui lucrentur eo caſu aliquid, tamen centies amplius erit eorum qui damnis indidem afficientur, cum mutandi ſint mores, totaque viuendi ratio tali caſu; quod enim vni placuit alteri Regum diſplicet. Itaque, vt alio quodam loco memoraui, qui animaduertere velit ſubitas ſtrictasque Dei punitiones, quibus hos triginta annos Principes noſtros caſtigauit, plus earum hoc tempore inueniet, quam ducentis retro, comprehenſis calculo Gallorum, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Angliæ, Neapolitanis, Flandriæque & Britanniæ negotiis: quarum regionum ſpecialia fata qui deſcribere cum perſonis ipſis, vtriuſque ſexus mihi viſis, velit, ingens volumen, admirationi omnibus futurum, compleat. Nec aliter res cadat, ſi decem ſolos retro annos euoluere ordiamur. Vt hinc potentia Dei vbique agnoſcenda intelligendaque ſit; ſuntque iſti ictus, quibus Magnates caſtigantur, grauiores atque atrociores, longioraque inuehentes tormenta iis, quibus minoris conditionis mortales corripiuntur. Ad ſummam mihi videtur omnia rite conſideranti nihil beatiorem illos vitam his viuere, modo recte expendere ſuis rebus corrigendis vicinorum infortunia Principes velint, cum timore parium. Ipſi enim homines ſubditos ex ſuo puniunt arbitrio, Magnatibus autem Deus caſtigator imminet, cum alium ſupra ſeſe non habeant. Id autem Regnum apprime felix fortunatumque eſt, quod à timente Deum & ſapienter inde ſuis proſpiciente negotiis Principe gubernatur. Paucis his verbis cognoſcere potuimus dolores quibus grandia duo hæc & potentia Regna afflicta ſunt tribus ipſis menſibus, ante hoc temporis ſpatium tam inflammati contra ſe mutua iracundia, tamque occupata cruciando quolibet ſibi, plenaque ſpe augmentorum ſuorum, vt nullius rei ſolatio fere vti poſſent. Confiteor quidem, vti dixi etiam, fuiſſe qui gaudia ex his ipſis

muta-

mutationibus perciperent, tamen primo cum contigit mors ista æque omnibus terrifica horribilisque fuit.

CAPVT XVIII.

De magnificis ædificationibus Caroli paullo ante excessum. De bono eius animo in emendationem Ecclesiæ, Rationum Regni sui, Iustitiæ administrandæ, & sua ipsius vita. Vtq; inopinato in hoc proposito Ambosæ in arce sua sit mortuus.

RElinquam iam prorsus rerum Italicarum Hispanicarumq; cõsideratione, & reuertar ad nostros dolores & damna Galliæ, vnde gaudium potuerint percipere, qui indidẽ quid lucrati sunt; itaq; recensenda est subita mors nostri Regis, Caroli Octaui, quæ Ambosæ cõtigit in Regia arce: quo loco inceperat magnificentissimas, quod à centũ retro annis Rex orsus esset aliquis, ædificationes, tã Arcẽ quam ciuitatẽ exornaturus. Ei rei Neapoli adduxerat celeberrimos architectos omnis generis, vt sectores, pictores: videbantur vero conata eius iuuenilem ætatem præferre, hominis nimirum parum etiamnum de morte solliciti, & longos sibi annos spondentis. Contrahebat enim vndiq; pulcerrimas istas res, quę aliquo modo ipsi commendarentur, quocunque locorum repertæ essent, per Italiam videlicet, Galliam, & Belgium. Nec vmquam simul animo omittebat spem iterandæ expeditionis in Italiam, confessus magnopere priori errasse, quod si denuo eo peruenire posset, quæque amisisset in potestatem suam recipere, conseruationi eorum melius omnino prospecturum. Plurimum sese arbitrabatur peccasse non vndiq; cõparatis occultis amicitiis, quibus sese obmunire posset recuperando Regno Neapolitano, quo missurus esset mille & quingentos cataphractos sub

imperio

imperio Marchionis Mantuani, Vrsinorum, Vitelliorum, Præfectique Romæ fratris Cardinalis Petri-ad-Vincula, & Aubignii, qui optime suo officio in Calabria fuerat functus. Hinc ad Florentinos se conferebat, qui dimidium impensarum in sex menses conferrent. Pisæ etiam prius recipiendæ erant, aut certe minuta circa eam oppida, vnde coniunctis viribus Neapolitano regno irrueretur, cuius è præsidiis quotidie nuntii aderant. Pontifex Alexander, nunc quoque superstes, Venetis iratus, omnibus modis sua recuperare studebat, habebatque secretim hîc nuntium, quem ego cubiculo Regis induxi, paucis ante obitum eius diebus. Veneti parati erant contra Mediolensem se nobis iungere; Hispania erat, vti narrauimus. Rex Romanorum nihil æque cupiebat quam amicitiam nostri, vtque iunctim ambo in Italia res suas agerent. Is capitalis erat Venetorum inimicus, qui vi multa Austriæ Ducibus eripuerunt, vt & Imperio. Super hæc animo rex noster proposuerat, velle secundum præcepta diuina omnem vitam componere, Iustitiæ res bono loco collocare, vt & statum Ecclesiæ, Rationesque Regni redituum; vt deinceps tributum nullum præter duodecies centum millia Francorum populo exigeret, vltra quidem ordinarios Regios reditus, quam ipsi summam tres Status Regni Turonis, cum consecraretur in Regem, spoponderant. Hanc consensu subditorum ad defensionem Imperii poscere volebat: ipse de Regiis suis vitam colere volebat reditibus, consuetudine veterum Principum. Hoc vero poterat pulcre exsequi, Regii enim ei reditus, si bene administrentur, ingentes omnino sunt, supra decies centum Francorum millia. Ita si res suas constituisset, subditos magnopere recreasset, qui nunc amplius vicies quinquies centenis millibus pendunt. Sancti Benedicti Ordinem, aliorumque alios Monachorum, corrigere

adhæc

adhæc volebat. Sanctorum hominum copiam ſibi admouebat,eoſque ſtudioſe loquentes audiebat. Cupiebat eo res redigere,ſi poſſet, vt præter vnum Epiſcopatum nihil ſinguli Epiſcopi tenerent, Cardinali duobus conceſſis, vtque ſuæ ditioni quiſque præſens adeſſet, quæ res tamen cum aliis Eccleſiaſticis correctionibus ingenti ei labore conſtitura fuiſſet. Paullo ante exceſſum grandia dona contulit Mendicantibus monachis, vt didici ex Confeſſore,quem vocant,ipſius, Epiſcopo Angerienſi,inſigni auctoritate inter Eccleſiaſticos Proceres. Conſtituerat Publicum audiendis querimoniis oppreſſorum Auditorium, quo ipſe omnibus aurem præbebat,præcipue pauperibus,rebus egregiis peractis. vidi eum octiduo ante mortem ibi duas longas horas exigentem,quo & loco vltimo eius vultum. Non quidem ſumma inibi negotia expediebantur,ſed eo res ſpectabat vt timorem haberent Præfecti, quorum nonnullos ob exſpoliationes officiis ſubmouit. In hac glorioſa vita viuens, egregia erga Deum pietate increſcente, ſeptimo Aprilis die, anno Chriſtiano M. CCCC. XCVIII. cum de cubiculo Reginæ coniugis, Annæ Britannæ,eam ſecum ducens,procederet,vt pila in foſſis Arcis ludentium ſpectaculo intereſſet, quo loci vxorem numquam antea duxerat; ſimul vtroque in porticum quandam veniente(quæ Haquebelacum ab homine aliquando eius cuſtode vocabatur,) quæ omnium maxime erat fœda,fracta introitu,& omnium tranſeuntium vrinis ſpurca; Rex incaute fronte aduerſo tigno impegit,licet ſtatura eſſet exigua: Poſt longo tempore luſores ſpectauit, colloquens omnibus; Non fui rei præſens ego, ſed modo nominatus Epiſcopus & cubiculariorum proximi omnia mihi retulerunt, octiduo autem antea domum meam me contuleram. Vltimus ipſius omnium ſermo fuit, quem ſano intellectu elocu-

 tus

tũs eſt, Sperare ita vitam ordinaturum ne vllius mortalis peccati abinde reus fieret, vt nec venialis, quo ad poſſet. His verbis prolatis duabus à meridie horis elapſis, concidit ſubito amiſitque linguæ vſum, eoque ſtatu ad vndecimam noctis permanſit. Ter reuerſa eſt loquendi facultas, ſed vt parum duraret, vt dictus Præſul recenſuit, cui peccata bis ea ſeptimana fuerat confeſſus, ſemel cũm eſſet tacturus ſtrumis laborantes. Quicunque vellet eam porticum intrare poterat, cernebaturque ab omnibus in exiguam culcitam extenſus, qua numquã ſurrexit nouem integris horis, quarũ exitu exſpirauit. Idem Præſul, qui rei ſemper adfuit, mihi recitabat, cum rediret loquendi vis, ad ſingulas tres vices dixiſſe; Deus meus, cũm Sanctiſſima matre, Claudio & Blaſio, mihi ſint auxilio. Sic vitam hanc reliquit tam magnus potensque Rex, tam miſerabili loco, tot eximiarum arcium palatiorumque dominus, quiq; tum ingentis famæ domicilium conſtruebat; ei tum præſto non erat vel vile aliquod cubiculum. Quam igitur clare duobus his propoſitis exemplis conſpici poterit Numinis immenſam eſſe potentiam, quodque vitæ noſtræ ſumma nulla ſit prorſus, qui tantis ob amorem huius negotiorum nobis ipſimet tormentis repugnemus, quibus neque Reges reſiſtere poſſint pauperibus colonis amplius.

CAPVT XIX.

Vt Sanctus ille homo Hieronymus, Florentiæ inuidia Pontificis, Venetorum, & ciuium ſuorum, fuerit publice exuſtus.

IN rebus Italiæ commemoratis retuli fuiſſe Monachorum, quos Prædicatores vocant, vnum Florentiæ, qui opinioné ſanctæ vitæ omnibus approbaret, quemq; ego viderim allocutusq; ſim Anno Christiano. M. CCCC. XCV.

XCV. nomine Hieronymum. Hic plurima prędixit prius quā fierent, vt memoraui; semperq; in his Regem montes transmissurum; quod & publicis concionibus declamauit, asserens reuelatione diuina compertum habere, cum cæteris talibus. Regem porro dicebat diuinitus constitutum ad Reformandam vi armorum Ecclesiam, castigandosq; tyrannos. Cum de reuelatione diuina audirent, occulte multi multa susurrabant contra, vt Pontificis odio & plurimorum ciuitatis Florentinæ homo exponeretur. Vitam agebat omnium mortalium purissimā, vt nemo nō videbat, sermonesq; cōtra vitia habebat pulcerrimos, multis per eos meliori viuendi generi datis redditisque, vt dictum est. Eo tempore anni quo Carolus Rex obiit, continuis quinq; dieb. idē faciebat Hieronymus noster, cuius rei tempus cur adnumerem, recensere volo. Publice semper contestatus fuerat Regē in Italiam reuersurū hoc mandatū diuinū vt cōpleret, armis videl. corrigendi Ecclesiam, & puniendi tyrannos regionis; ꝙ si hoc facessere detrectaret, Deū ipsummet atrociter puniturū. Hos omnes sermones publicis typis exscribi vndiq; fecit. Hæ minæ, quib. dicebat Regem puniendū, nisi Officium suum faceret, multis ab eo paullo ante mortem locis perscriptæ sunt operum; mihique easdem narrauit præsenti, cum ex Italia rediremus, affirmans in cœlo sententiam contra Regem latam esse, si non faceret commissa, neque suos ab iniuriis miserorum incolarum distineret. Circa tempus vero id quo obiit Carolus, discidia Florentinorū intra ciuitatē ipsorū feruebant. Pars reditum Regis exspectabat, desiderabatq;, spe aucta cōcionibus Hieronymi; hi consumebant sese ipsos, & mirificam in paupertatem redigebantur, ob expensas quas recuperandis Pisis faciebant, vt & aliis Regi præstitis locis: Pisas autem tenebant Veneti. Plurimi Florentinorū sciscebant Fœderi nouo accedendum esse, Rege omnib.

modis relicto, meras stultitias esse clamantes eius exspectare opem, Hieronymum ipsum hæreticum & nebulonem hominem esse, quem sacco occlusum in profluentem proiici oporteret; Sed ciuium tam multi eum colebant, vt nemo id efficere auderet. Pontifex & Dux Mediolanensis sæpe scribebant contra eumdem, affirmantes restituendas ipsis Pisas cum aliis vrbibus, si relicta Regis amicitia caperent Hieronymum, publiceque punirent. Casutum Procerum mutatio Florentiæ fuit, qualibus bimestribus Respublica ea constat, nouoque magistratui inerant plurimi odientium eumdem: inuentusque est Monachus quidam impudens, qui propria sponte oppugnare virum cæpit, appellans Hæreticum, deceptoremque plebis, qui reuelationes diuinas iactaret, dictaque probaturum ad ignem vsque deierauit, verbis coram Senatu pronunciatis. Hieronymus noluit ad Ignem se exhibere, sed vnus sociorum ipsius contra Monachum id facere se paratum obtulit: huic viciſſim alius Monachi sodalis se opposuit: diesque constitutus est quo ignem concertatores inirent. Ambo comparuerunt comitati fratribus quisque sui Instituti. Hieronymi sodalis Sacram Eucharistiam manu præferebat, quam vt semoueret Seratus Monachique aduersarii postulabant; quod facere omnino noluit. Sic in sua Monasteria regressi sunt, plebs vero excita ab aduersariis in Hieronymum, iussu magistratus eum in suo sibi secessu comprehenderunt cum duobus sodalibus, multis cruciatibus affligentes. Occisus est à populo Princeps ciuitatis vir, Hieronymi fautor, Franciscus Vallerius. Pontifex miserat potestatem captiuorum velut ordinario iure extremo supplicio afficiendorum, sic tres isti iunctim exusti sunt. Crimina imputata in id conueniebant, vt dicerent emotorem populi esse, quæ prædicere fingeret, suggestu fautorum rescire, qui interessent publi-

publicis priuatisque Consiliis. Meum non est vel accu-
sare vel condemnare homines, ignoro enim bene an
male peremti sint; certum est tamen veras non paucas
res dixisse, quæ Florentinorum ipsi nemo potuit subii-
cere; quod Regem autem inde attinet, quæque ei mala
aduentura essent, res vti videtis hac narratione cecide-
runt; primum scilicet vnici filii mors, post insecuta ipsius
propria, vidiq; quas indidem ad ipsum Carolum litteras
perscripsit.

CAPVT XX.

De Exsequiis & funere Caroli Octaui, deq; inauguratione Ludouici Vndecimi, succedentis in Regnum.

APoplexiam aut catarrum suffocatorium Regis ma-
lum vocabãt, sperabantque nonnulli Medicorum,
in latus alterum descensurum corporis, vnde id obstu-
peret: nec moriturum ipsum. Res tamen euenit aliter.
Erant ei quatuor insignes Medici, sed fidem non habe-
bat præter stultissimo, cui auctoritatem omnem dabat,
vt nec auderent loqui cæteri. Hi quatriduo ante corpus
euacuare suadebant, præscitis mortis indiciis, quæ &
superuenit. Omnes properabant ad Aurelianum Prin-
cipem cui sanguine proximo successio debebatur: Sed
Cubicularii defuncti egregio eum funere extulerunt;
ipsa hora à morte cæptum est has res curare, noctu diu-
que omnibus feruentibus tam sacris quam profanis of-
ficiis. Cum Canonici cantu destitissent, Monachi re-
dordiebantur eum, his finientibus, Boni (ita enim vo-
cantur ab ipso instituti,) homines suum officium facie-
bant. Ambosæ funus octiduo seruatum est, partim in
Templo, partim Cubiculo egregie præparato; omnia-

quę amplius locupletiusque facta & administrata sunt, quam cuiquam ante Regio funeri,nec recesserunt à seruando cadauere Cubicularii,cognati Aulicique omnes & Officiis præfecti, quousque terræ illocatum est, ad mensis nempe spatium, impensis insumtis ad quadraginta quinque millia Francorum,vt rationibus præfecti mihi retulerunt. Biduo post excessum Regis Ambosam veni,illico Deum ad funus precatus, spatio sex fere horarum; & reapse numquam visus est par vllibi dolor.quique tanto tempore durauerit.Familiares etiam proximi, duodecim nimirum Cubicularii, optime fuerant ab eo habiti, magnificis donis & officiis cohonestati, qualia nemini talium vmquam Rex priorum contulerat, ad vsque excessum.Insuper alloquio erat omnium hominum humanissimo atque dulcissimo, neque vmquam quippiam quid dixisse existimo, quod displicere posset,vt meliori tempore obire non potuerit ad permanendum in perenni memoria per Historiarum scripta, & dolore suorum ministrorum. Meque existimo eum esse cui inclementissimus aliquando omnium fuerit;verum agnoscens in eo adolescentem ætatem, neque auctorem rei ipsum esse,numquam propterea illi male volui. Cum vnam noctem Ambosæ fuissem ad nouum Regem profectus sum, cui familiarior fere cæteris omnibus fueram, rebus eius semper in omnibus damnis & adflictionibus meis steteram, nec tamen magnam tum propterea mei rationem habuit; sed sapienter cauteque Regni possessionem adiit, eo anno enim nihil pensionum cuipiam mutauit, & restabant sex integri menses.Paucos officiis submouit, affirmans omnes suis dignitatibus relicturos, oppido quidem opportune; quamque potuit primum ad Coronationem suam iuit. Ei quoque adfui; & Parium, ex veteri instituto, Franciæ nomine aderant,quorum nomina subieci: Primus fuit

fuit Dux Alenconius, vice Ducis Burgundiæ: Secundus Borbonius, vice Ducis Normanniæ: Tertius Dux Lotharingiæ nomine Aquitaniæ Principis. Primus Comitum Philippus Rauestenius, loco Flandri; Secundus Engilbertus Cliuiæ, pro Comite Campaniæ: Tertius Baro Foixius, pro Tholosano. Sic Rhemis inauguratio transacta est Ludouici Duodecimi vigesimo septimo Maii die anni. M. CCCC. XCVIII.

Reliquam paginam, cum Cominæi minime sit, nec ab vllo agnoscatur pro tali, libentes merito omisimus.

FINIS.





IOANNES SLEIDANVS LECTORI S. D.



Væ ſunt in his commentariis obſcuriora, paucis explicabimus, & primo quidem de Vicecomitum & Sfortiarum familiis, quæ Ducatum Mediolanenſem poſſederunt. Ante annos circiter mille, hi qui dicuntur Longobardi, mutatis ſedibus ex Pannonia tranſierunt in eam Italiæ partem, quæ nunc eſt Inſubria, & ab ipſis, qui occuparunt, vulgo nomẽ habet. Hi ducentis fere poſt annis, quã eo venerant, deuicti à Carolo Magno, facultates omnes atque regnum amiſerunt, & in Imperii Romani poteſtatem redacta prouincia, conſtitutus ibi fuit Præfectus, qui vulgo dicebatur Vicecomes, ad eumque modum adminiſtrata fuit, donec Ducatus nomen atque dignitatem obtinuit, quod fuit Wenceslao Cæſare. Is enim Ioannem Galeacium, Vicecomitem hominem crudelem, accepta pecunia, Mediolani Ducem inſtituit, ſic tamen vt eſſet in imperii Romani fide ac clientela. Huic duo erant filii Ioannes & Philippus cognomento Mariæ. Ioannes, quum ſuis moribus atque nequitia voluntates hominum alienaſſet, interfectus fuit à ſuis familiaribus, & quod nullos habebat liberos, imperii ſumma peruenit ad Philippum. Is in matrimonium duxit Ioannis Galliæ regis filiam, Bonam, & abſque liberis deceſſit. Eius vero ſororem, Valentinam, in matrimonio habuit Ludouicus Aureliorum Dux, Caroli

quinti Galliæ regis, filius, quem Ioannes Burgundiæ Dux, Lutetiæ per insidias, noctu summissis percussoribus, interfecit. Ludouicus tres reliquit filios, Carolum, Philippum, Ioannem. Carolo filius fuit Ludouicus Aureliorum Dux, de quo plurima fit in his libris mentio, postea factus Galliæ rex, eius nominis duodecimus. Philippus Virtutensium Comes, absque liberis è vita decessit. Ioannes Engolismorum Comes filium habuit Carolum, Francisci primi, Galliæ regis, nuper mortui, parentem. Ab illa igitur, quam diximus, Valentina, Ludouicus duodecimus, & post eum, Galliæ reges, Insubriam ad se pertinere contendunt. Nunc de Sfortiis dicendum est. Is quem diximus, Phil. Maria, tertius Mediolani Dux, nullam quidem legitimam sobolem, sed filiam habuit notham, eamque duxit in matrimonium Franc. Sfortia, quem hi commentarii celebrant; qui cum esset summæ virtutis, & bello multa fecisset præclare, mortuo socero Mediolani Principatum arripuit, quo tempore bellis ardebat tota Gallia, quam hinc Burgundiones, illinc Angli confœderati diuexabant. Sfortiæ quinque erant filii, Galeacius, Ioannes, Philippus, Ascanius, Ludouicus, de quo perpetuam hoc libro mentionem author facit, & quemadmodum ad principatum peruenerit, dilucide commemorat. Huic deinde bellum fecit Ludouicus duodecimus, Galliæ rex, & occupata Insubria, captiuum in Gallia deduxit. Erant ei duo filii, Maximilianus & Franciscus. Maximilianum, qui bellis contra Galliam excitatis à Pontifice Iulio, Mediolanum recuperauerat, totis viribus oppugnauit successor Ludouici regis, Franciscus primus, & cæsis ad Morignanum Heluetiis, exercituque omni profligato, cepit, captumque in Galliam misit, vbi & vitam ille finiit, vti pater. Franciscus autem, ex fratribus alter, variis agitatus procel-

lis,beneficio & opera Caroli quinti, Cæſaris, poſt diuturnum bellum profligatis Gallis, tandem recuperauit agrum paternum, & fuit eius nominis ſecundus Mediolani Dux, ac in matrimonio habuit Cæſaris è ſorore Iſabela neptem. Eo demum mortuo ſine liberis, Cæſar Inſubriam omnem in ſuam poteſtatem redegit, & ſupra duodecim nunc annos eam poſſidet. Proximum eſt, vt de regno Neapolitano quædam dicamus. Inde à morte Friderici ſecundi, Cæſaris, perpetua fuerunt ſuper eo regno & grauiſſima diſſidia, inter Arragonicam & Andegauenſem familiam. Et reiterato ſubinde bello, quem poſtremo Ioanna Regina Neapolis, Alphonſo, Arragoniæ rege, quem prius adoptauerat, repudiato, Ludouicum Andegauenſem arrogaſſet, varia fuit ac incerta victoria: verum extiterunt ſuperiores tandem Arragonii, & Neapolim tenuerunt, quoad eiicerentur à Carolo rege octauo, ſicut author commemorat; ſed recuperarunt tandem, vt in his commentariis videre licet, & ad hoc vſque tempus poſſident, ac Franciſcus Galliæ rex, bello captus ad Ticinum, inter alias pacis conditiones, liberam eius regni poſſeſſionem Carolo Cæſari permiſit, & ab omni iure atque actione diſceſſit, ante ann. vigintiduos.

Guelphorum & Gibellinorum factiones, originem habuerunt Friderico ſecundo Cæſare primum in Hetruria, neque multo poſt, omnem Italiam peruaſerunt. Guelphi ſunt Pontificii, Gibellini autem Imperio Romano ſunt addicti. Turcarum Cæſar, de quo loquitur, fuit Baiazethes, huius, qui nunc rerum potitur, Solymanni, auus. Erat ei frater, Zizimus, natu maior, qui grauiter ad ferens illum eſſe delatam imperii ſummam (quod ope Ianizarorum acciderat) ad Ægypti regem tranſiit, ab eoque impetratis auxiliis, cœpit mouere bellum: ſed bis prælio victus, Rhodum profugit. Quod vbi

vbi Baiazethes reſciuit, miſſis legatis & ampliſſimis donis, Rhodiorum ordinis præfectum orabat, vt illum diligenti cuſtodię mandaret: ſi faceret, annuam pecuniam, ad 40. aureorum millia, ſimul intermiſſionem belli aduerſum Chriſtianos, pollicebatur. Quo minus ergo dilaberetur ille, miſſus tandem fuit in Galliam, poſt dono fuit datus Innocentio octauo Pontifici ac Romam deductus, cumque Neapolim Carolus rex iret, Alexander ſextus, Pontifex Rom. eum ex pacto reddidit, ſed veneno prius infectũ, vt pleriq; dicebant, & paucis poſt diebus, quam regi traditus fuit, è vita deceſſit. De Ianizaris quia mentionem author facit, paucis rem exponemus. Turcarum Cæſaris hunc ferunt eſſe morem, vt quarto quoque anno, per Græciam & Aſiam minorem deligat Chriſtianæ profeſſionis hominum filios. E quibus, qui præſtantiores videntur ac pulchriores, eos in palatium, quod habet Conſtantinopoli, transfert, reliquos vero diſtribuit per agros in interiori Aſia, vt quotidiano labore ſeſe durent, ac ſimul linguam addiſcant. Poſt, reuocantur Conſtantinopolim, & traditi magiſtris, varia diſcunt artificia: diſtributi deinde inter milites, quum iis aliquandiu ſunt famulati, aſcribuntur ipſorum ordini, & Ianizari vocantur. Interim dum ruri educantur, victum eis communicant patresfamilias, qui eorum vtuntur opera: in reliquos autem, qui ſunt Conſtantinopoli, Turcarum Cæſar ſumptum facit. Nam in eo, quod diximus, palatio ſemper alit, vti ferunt, circiter quingentos adoleſcentulos ex omni multitudine delectos, vt paulo ſupra, diximus, eosque non minus in literis, quã in armis exerceri iubet, cumq; per ætatẽ idonei ſunt, reb. gerendis admouentur, ac præfecturas obtinent. Hanc rationem primus omnium inſtituiſſe dicitur Amurathes, eius de quo diximus, Baiazethis, auus, qui Peloponneſum expugnauit. Meminit author Conſtantini,

tini,hominis Græci,qui Monferratenſem ditionem administrauit. Id autem ſic accidit: Veneti Peloponneſum ademerant Turcis, & à Corinthiaco ſinu ad Megaricum, qui eſt aditus regionis atque ſpatium vbi mare intermittit, murum perduxerant: ſed Mahometus, eius nominis ſecundus, Amurathis filius, is, qui Conſtantinopolim cepit,cum ad eum locum veniſſet, prælio cum illis dimicauit, & vicit, ac non modo illam Græciæ partem, ſed & Eubœam inſulam, & Lemnum, & Mytilenen, & Neritum,& Zacynthum,& Samum, & Groiam occupauit, & Comneno patri huius quem dicimus Conſtantini,Scodram vrbem ademit. Carolum octauum, regem, vocat conſobrinum Ioannis Galeacii,Mediolani Ducis. Carolam enim,Sabaudiæ Ducis filiam, Ludouicus vndecimus, alteram vero filiam, Bonam Galeacius Mediolani Dux, eius quem diximus, Ioannis,pater,in matrimonio habuit. Renatus Siciliæ Rex,Andegauorum Dux, Prouinciæque Comes frater fuit Ludouici: quem Ioanna Regina Neapolis adoptauerat,vt ſupra diximus.Is filium habuit vnicum, Ioannem, Calabriæ Ducem: huic ſuperuixit ipſe, ideoque hæredem inſtituit Caroli fratris ſui filium, Carolum, qui ſine liberis decedens, Ludouicum vndecimum teſtamento fecit hæredem. Idem Renatus filiam habuit, matrem. Renati Lotharingiæ Ducis, de quo ſtatim initio libri mentionem author facit, ſed & ſororem habuit,quæ mater fuit Ludouici regis vndecimi. Renatus Lotharingiæ Dux is eſt, qui Carolum Burgundiæ Ducem,ad Nanceium prælio ſuperauit,adiutus ab Heluetiis. Venetorum Dux, cuius virtutem prædicat,eſt Auguſtinus Barbaricus,inter eius Reipub. Duces, ſeptuageſimus ſeptimus. Hunc inter & eum, qui nunc præeſt, Petrum Landum,tres fuerunt Duces, Leonardus Loredanus,Antonius Grinius Grimanus, Andreas

Gri-

Gritius, Marchio Mantuæ.tunc Venetorum exercitus Imperator, fuit Franciſcus Gonzaga. Ferrariæ vero Dux tum erat, Hercules Eſtenſis, cuius alteram filiam Elizabetham,is quem dixi, Marchio, in matrimonio habuit; alteram vero Beatricem, Ludouicus Sfortia: nam & author vtrumque vocat eius generum. Fuit autem ei filius, Alphonſus,& huic,Hercules, qui nunc rem adminiſtrat, Ludouici duodecimi, Galliæ regis gener. Hieronymus Dominicanus, fuit is, qui cognomento dicitur, Sauonarola, Ferrarienſis, vir doctus,& cuius extant non paucæ lucubrationes. De cataphractis, quod ſcribit, ſic accipiendum eſt, vt ſingulis quatuor attribuantur equi pro conſuetudine Gallica. Cardinalis Oſtienſis,quem ſæpe nominat,factus eſt deinde Pontifex Romanus,Iulius ſecundus. Familiæ Medices, primam celebritatem dedit Coſmus, qui octogenarius è vita migrauit, anno ſalutis noſtræ ſupra mille & quadringentos ſexageſimoquarto. Filios habuit Petrum & Ioannem. Petro fuerunt Laurentius & Iulianus. Laurentius quem author tantopere prædicat, filios habuit, Petrum,Ioannem,Iulianum. Ex iis Ioannes, fuit Cardinalis, & poſtea Pontifex Romanus, appellatus Leo decimus, Iulii ſucceſſor. Virgilius Vrſinus,poſt defectionem familiæ Columnenſis, fuit reconciliatus Carolo regi, & cum aliquandiu fuiſſet captiuus, tandem dimiſſus militauit ei, quod addendum eſſe putaui, ne quis authorum parum ſibi conſtare putet. Reliquum eſt,vt de ipſo authore quædam etiam dicamus. Ortum habuit è Flandria, & genere atque neceſſitudine coniunctus erat eius loci præcipuis viris, & amplas habebat facultates,non ibi tantum, ſed & in Hannonia. Forma fuit eleganti, & ſtatura procera: Gallica lingua optime vtebatur: Italica vero & Germanica, & Hiſpanica mediocriter. Hiſtorias omnis generis gallice con-

ſcriptas,

ſcriptas, præcipue Romanorum diligentiſſime legerat, & memoria prope tenebat. Multus erat ei vſus cum exteris hominibus: quod eo faciebat, vt ab iis aliquid, quod prius ignoraſſet, addiſceret. Temporis autem habebat accuratiſſimam rationem, nec vnquam erat ocioſus. Memoria fuit inſigni, ac ſæpenumero quatuor ſcribis eodem tempore dictabat, res diuerſas ad Rempub. pertinentes tanta quidem facilitate ac promptitudine, ac ſi vnum modo tractaſſet argumentum. Vehementer ei dolebat per omnem vitam, quod à teneris annis non fuiſſet inſtitutus in lingua Latina, & hanc ſuam infelicitatem non raro deplorabat. Ludouico regi, vndecimo eius nominis, longe erat gratiſſimus, & quamdiu ille viueret, ſummæ fuit per Galliam authoritatis ac demum vxorem duxit Helenam, ex familia Monſorella, in finibus Andegauorum. Ludouico autem mortuo, valde fuit exagitatus: & quoniam externus erat, augeſcente inuidia res eo deducta fuit ab aduerſariis, vt Loſcæ, quod eſt oppidum & arx Biturigum, in vincula conijceretur: quod in iis fieri conſueuit, qui ſunt læſæ maieſtatis rei. Duriter admodum in eo carcere tractatus fuit, vt in ſuis ipſe commentariis recitat. Sed interim eius vxor magna quadam ſollicitudine hoc effecit, vt Lutetiam deduceretur captiuus. Quo cum veniſſet aliquanto poſt accerſitur in Senatum. Aduerſarios autem habebat valde potentes, ac magnæ tunc authoritatis; & cum idcirco nullum poſſet inuenire patronum, cauſam ipſe ſuam egit, & per horas duas locutus, magna cum intentione omnium, ita ſe defendit, vt à iudicibus tandem abſolueretur. Inter alia commemorabat, quam varios & graues labores pro Rege atque Repub. ſuſcepiſſet: quam propenſa fuiſſet Ludouici regis erga ſe voluntas & munificentia: nihil autem auare, nihil cupide, nihil intemperanter à

ſe fa-

se factum esse: quod si priuatis tantum commodis, & rei familiaris amplificationi studuisset: suas facultates posse cum cuiusuis opibus conferri demonstrabat. Captiuus fuit per annos fere treis, & anno postquam dimissus fuit, vxor ei filiam peperit, Ioannem, quæ postea nupsit Renato, ex familia Britanniæ Ducum, Comiti Pentabriæ, eique filium edidit inter alios liberos, Ioannem, qui & Britanniæ præfecturam hodie obtinet, & regis Galliæ est primi ordinis Eques, & plurimas habet amplissimasque possessiones, atque in his, Ducatum Stampensem. Quum esset annorum circiter sexaginta quatuor Cominæus, mortuus est domi suæ, quam in Pictonibus habebat, Argentonicum vocant, anno salutis humanæ, supra mille & quingentos, nono, mensis Octobris die decimo septimo, & illinc Lutetiam delatus, in Augustinensium templo sepultus fuit. Rebus secundis habebat sibi peculiare dictum illud (nobilium hæc est consuetudo.) Qui non laborat, non manducet. Quum autem commutata fortuna grauissime affligeretur, vsurpauit illud, Veni in altitudinē maris, & tempestas demersit me.

Quærat aliquis, vnde hæc de Cominæo, tibi, homini Germano? Dicam paucis. Est apud Carnutes in Galliis, vir cum primis honestus, & eruditus Matthias Atrebas. Is domestice nouit Cominæum, eique famulatus est, ac præceptor deinde fuit eius è filia nepotis, quē paulo supra diximus esse Ducem Stampensem. Legit hic forte alteram Cominæi historiam, de Ludouico vndecimo, & Carolo Burgundiæ Duce, quam superioribus annis Latinam feci, & delectatus, vt ait, argumento, propter heri sui præstantissimi viri memoriam, ea quæ supra commemorauimus, per amicum quendam mihi communicauit. Et quoniam illiús laudes verecunde suo scripto prædicat, idcirco maiorem eo fidem tribuendam esse putauit, ac pergratum mihi fuit, quod eadem

fere,

fere, quæ per Galliam sæpe & ab aliis audiueram, ex ipso, qui familiarius ac propius omnia nouisset, cognoscerem. Hæc sunt, amice Lector, quæ tibi communicanda esse videbantur, vt nonnulla quæ his libris continentur, aliquando melius intelligi possint. Vale. Argentorati, sexto Calendas Iunii.



INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM LOCVPLETISSIMVS.

B.

D.

E.

F.

H.

L.

N.

O.

gundus

Ponti-

Rocca

T.

V.

FINIS.



Dionisius Areopagita dicit.

Decies decem faciunt centum;
Decies centum faciunt Mille
Decies Mille faciunt perfectam Legionem.
Decem Legiones faciunt una Miriadem:
X. Miriades faciunt unam Mirion:
X. Miriones faciunt unam cuneum
X. Cunei faciunt unum cetum,
X. Cetus faciunt unum Chorum
X. Chori faciunt unum falangem;
X. Falanges faciunt unam Turmam
X. Turmae faciunt unum Agmen
X. Agmina faciunt unam Catervam;
X. Catervae faciunt unam Turbam,
Et cum multiplicaveris X. turbas, adde cuilibet
eorum X. et tot fuerunt in Capite Luciferi.



Comines